Math. J. M. Linders
Litt. stu

f3

DE HORATIO POËTA.

LUGD.-BAT. TYP. L. VAN NIFTERIK HZ.

DE

HORATIO POËTA

SCRIPSIT

I. I. HARTMAN.

LUGDUNI-BATAVORUM,
APUD S. C. VAN DOESBURGH.
MDCCCXCI.

CAPUT PRIMUM.

Horatii editiones, quae nostra aetate in lucem prodeunt — neque paucae eae sunt et admodum inter se diversae — omnes, quotquot sunt, cuicuimodi sunt, artissimo quodam cum celeberrima illa, quam ante duodecim fere lustra Peerlkampius nostras publici iuris fecit, cohaerent vinculo. Quod cognationis quidem vinculum appellare licet, caritatis minime. Ex ingenti enim coniecturarum, quas vir clarissimus et in poëtis Latinis versatissimus protulit, numero duae tantum, ni fallor, sunt quae nostri saeculi viris doctis probari soleant. Qui illis ex tanta copia eligendis quas ceteris omnibus longe praestare censeant, se ipsos quodammodo prudentes, idoneos, callidos iudices esse demonstrant. Quid enim venustius probabiliusve cogitari potest quam Peerlkampii coniectura in hisce carminis III, 20 strophis

Non vides quanto moveas periclo,
Pyrrhe, Gaetulae catulos leaenae?
Dura post paulo fugies inaudax
Proelia raptor,

Cum per obstantes iuvenum catervas
Ibit insignem repetens Nearchum:
Grande certamen, tibi praeda cedat
  Maior an illi

pro inepto *illi* scribi *illa* iubentis?

Quid unquam in nostra arte certum nullique dubitationi obnoxium recte dici videbitur, si ambigetur etiam in hac C. II, 6 stropha

Tibur Argeo positum colono
Sit meae sedes utinam senectae,
Sit modus lasso maris et viarum
  Militiaeque.

utra lectio potior sit habenda, vulgatane codicum *modus* an Peerlkampii *domus*?

Sunt tamen multae aliae emendationes Peerlkampianae illis, quod ad elegantiam et perspicuitatem pertinet, vix impares, quarum hic aliquot citabo, unde tamquam summam aliquam iudicii conficiam quam in fronte huius commentationis proponam.

IV, 15, 1—4. Phoebus volentem proelia me loqui
Victas et urbes increpuit lyra,
  Ne parva Tyrrhenum per aequor
    Vela darem e. q. s.

Quam venusta est Peerlkampii coniectura pro *lyra* scribentis *lyrae*, quam ingens exemplorum locupletissimorum copia quibus locutionem *lyrae vela dare* illustrat!

IV, 7, 19. Cuncta manus avidas fugient heredis, amico
  Quae dederis animo.

Importuna est heredis mentio. Quidquid enim amittis, etiamsi tristissimo illud pereat modo, heredis manus avidas effugit. Si futurus heredis dolor semper est causa laetitiae, gaudeas oportet si ludo magnam pecuniam amiseris aliave nequitia profuderis; gratias habeas latronibus qui villam tuam compilaverint, incenderint, solo aequarint; inter amicos tuos numeres tyrannum vel demagogum qui te maiorem rei familiaris tuae partem vectigalis nomine in aerarium conferre coëgerit. Praeclara vero est sententia, quam praeeunte Waddelio et adiuvante aliquatenus librorum manuscriptorum auctoritate hoc loco posuit Peerlkampius:

> Cuncta manus avidas fugiunt; haerebit amico
> Quod dederis animo.

i. e. avarus sordidusque semper eget; id demum tuum appellare potes quod genio tuo indulseris; si in magnis opibus tuum defrudas genium, tua perdis, aliena servas. Hoc est quod alibi, recte adhibita heredis mentione, dicit Horatius (II, 14, 25 sq.):

> Absumet heres Caecuba dignior
> Servata centum clavibus.

I, 6, 1—4. Scriberis Vario fortis et hostium
Victor, Maeonii carminis aliti,
Quam rem cumque ferox navibus aut equis
Miles te duce gesserit.

Nimis magna de Agrippae laudibus pars decedet, *si praesertim* quae *milites* gesserint a Vario scribentur. Sed augebuntur illae si in eo carmine non solum tamquam egregius dux, sed etiam tamquam strenuus miles celebrabitur Agrippa. Egregie hoc sensit Peerlkampius, cui pulcherrimam debemus lectionem *gesseris* pro *gesserit*. Neque quidquam est

iucundius utiliusve quam longam illam perlegere seriem locorum disertissimorum, quos ex omni genere scriptorum ad coniecturam suam stabiliendam attulit vir ille tam doctrinae copia admirabilis quam venustate.

I, 22. „Pone me" Horatius exclamat laetus deorum tutela certissima:

Pone me pigris ubi nulla campis
Arbor aestiva recreatur aura,
Quod latus mundi nebulae malusque
Iuppiter urguet;

Pone sub curru nimium propinqui
Solis in terra domibus negata:
Dulce ridentem Lalagen amabo,
Dulce loquentem.

Nimis obscure verbis c u r r u n i m i u m p r o p i n q u i terrarum pars solis ardore exusta significatur; perspicuum vero et magnificum est Peerlkampianum s u b c u r r u n i m i i p r o p i n q u o S o l i s.

I, 35. Quis probe se intelligere contendat horum verborum vim, quibus nunc Fortunam alloquitur poëta:

Te Spes et albo rara Fides colit
Velata panno, nec comitem abnegat,
Utcunque mutata potentes
Veste domos inimica linquis.

Quis non, si optio detur, ambabus manibus Peerlkampii lectionem arripiat:

Te Spes et albo cana Fides colit
Velatam amictu, sed comitem abnegat
Utcumque mutata potentes
Veste domos inimica linquis.

In qua Fortuna secunda egregie dicitur albo amictu velata, neque minus egregie cana Fides permanere eo loco, quem illa, mutata veste i. e. adversa facta, relinquit.

I, 37. Nunc est bibendum, nunc pede libero
Pulsanda tellus, nunc Saliaribus
Ornare pulvinar deorum
Tempus erat dapibus, sodales.

Nonne verum est, quod Peerlkampius allata exemplorum nube demonstrat, tum demum recte tempus erat cum aliquo infinitivo coniungi „quum contrarium accidit, quam quod iure quodam postulare nobis videmur"? Nonne ergo multo eius lectio ornate vulgatae praestat?

II, 1. Memoratis belli civilis miseriis haec addit poëta:

Sed ne relictis, Musa procax, iocis
Ceae retractes munera naeniae.

Estne aliquis qui ex animi sententia declarare possit se neque in verbo retractare neque in locutione Ceae naeniae munera haerere? Nonne ergo se tam elegantiae quam sinceri sermonis nomine commendat Peerlkampii coniectura

Sed ne r., M. p., i.
Ceā retractes vulnera naeniā?

II, 2. Virtus veraque sapientia Regem crudelem iniustumque vere beatum esse negabit

regnum et diadema tutum
Deferens uni propriamque laurum,
Quisquis ingentes oculo irretorto
Spectat acervos.

Vel unum illud acervos sic nude positum sententiam claudam reddit et subineptam. Egregium vero est quod reponi iussit Peerlkampius:

regnum proprium atque tutum
Deferens uni, diadema et auri
Quisquis ingentes oculo irretorto
Spectat acervos.

II, 5. Amicum amore puellulae immaturae captum et alia et haec admonet Horatius:

Tolle cupidinem
Immitis uvae: iam tibi lividos
Distinguet autumnus racemos
Purpureo varius colore.

Nonne quicunque in tempore memor est notissimi loci Ovidiani, quem et Peerlkampius affert:

ut variis solet uva racemis
Ducere purpureum nondum matura colorem

verbum distinguet fere contrarium eius significare sentit quod hic requiritur, uniceque sententiae aptum esse quod Peerlkampius coniecit: distendet autumnus racemos?

Omnibus illis locis quos hucusque attuli satis est Peerlkampii annotationes perlegere ut summa movearis admiratione. Neque tamen in coniectandi verborumque emendandorum munere primaria Peerlkampianae praestantiae pars cernitur. Ipse enim saepius declarat multo magis se operam dedisse deprehendendis versibus, strophis, carminibus spuriis. Qua in parte quanta sit versatus iudicii elegantia paucis exemplis lectori in mentem revocabo.

I, 24. Egregium erit carminis exordium, gravique crimine liberabitur poëta, si prima stropha

Quis desiderio sit pudor aut modus
Tam cari capitis? Praecipe lugubres
Cantus, Melpomene, cui liquidam Pater
Vocem cum cithara dedit

delebitur; doctissime enim Peerlkampius demonstravit in magno dolore ergo initium saepe esse orationis; neque negari potest poëtam isto praecipe lugubres cantus Melpomene multa quidem et magnifica polliceri sed nihil ferre quod tanto sit dignum hiatu.

I, 31. Huius si carminis retinueris strophas primam et secundam et ultimam, cetera cum Peerlkampio abieceris, quod restabit lepidum erit et facetum. In strophis quas Peerlkampius damnavit multa esse inepta, insulsa, inutiliter repetita quis Peerlkampio non concedat? Quis enim, ut e multis unum afferam, non libenter careat isto

Mercator exsiccet culullis
Vina Syra reparata merce?

Nonne bene Horatii famae consuluisse dicendus est qui totum Carmen II, 15 tamquam illo indignum eiecerit? Quid enim ineptius cogitari potest quam Romuli Catonisque nomina sic inter se iuncta, nullo alio interiecto quo ingens chronologiae lacuna velut expleatur? Ad stropham ultimam

Nec fortuitum spernere cespitem
Leges sinebant, oppida publico
Sumptu iubentes et deorum
Templa novo decorare saxo.

quis non Peerlkampium et alia recte annotasse censeat et haec:

„Obsecro vos, quaenam leges, cuius aetatis? Veterum et Catonis, non dixeris. Itaque superest Romulus. Sed ipse Romulus habitabat in casa de stramine et cespitibus facta. Nec melius habitabant ceteri Romani. Idque faciebant non consilio, non lege, non exemplo, sed necessitate. Omnes erant pauperes. Et si hae leges referendae sint ad aetatem Romuli, quomodo illud explices quod eaedem leges iusserint oppida et templa novo saxo decorare? Romani non habebant oppida, quae decorarent, praeter Romam. Templa autem non magis ornabantur, quam aedes privatae, Ovid. Fast. I, 201:

Iupiter angusta vix totus stabat in aede
Inque Iovis dextra fictile fulmen erat"?

Horatium multo pluris facerent omnes si eum carminis III, 8 alteram partem non scripsisse scirent, in qua et alia permulta inepta sollerter deprehendit Peerlkampius et vigiles lucernas perfer in lucem non ad id significandum positum quod solum recte eo significari potest: „tolera lucernas nimium splendentes vel male olentes" sed sic fere accipiendum: „celebra convivium per totam noctem usque ad lucem."

Quis, ut unum etiam his addam, non et de lectoribus et de ipso Horatio egregie meritum censeat Peerlkampium, qui carminis III, 19 praeter 8 versus primos cetera omnia tamquam poëta indignissima circumscripserit? An poëtam quem amemus, diligamus, admiremur, lubenter credimus Musas tamquam impares numero opposuisse Gratiis, quum hae tres sint, illae novem?

Quod autem in prooemio dicebam, multum abesse ut caritatis vinculo inter se cohaereant recentiores Horatii edi-

tiones et Peerlkampiana, id nunc paucis mihi explicandum videtur: palam ergo proloquor nostrae aetatis viros doctos mihi iniquissimos in egregii viri memoriam videri. Nam quamquam obmutuerunt iam qui eum acerbis lacessere convitiis non verebantur barbaramque eius rationem clamare solebant, haud tamen desunt in quorum annotationibus facile acerbitatem quandam et malignitatem agnoscamus. Quorum alii quaecunque ille dixerit data occasione impugnant neque unquam eum nominant nisi ut cum contemptu quodam sententiam eius abiiciant, alii tacitum quoddam cum eo gerunt bellum eoque modo intricatiores Horatii locos explicant ut quivis assiduus Peerlkampii lector ad illius aliquam annotationem non sine iracundia alludi sentiat. His omnibus et aequiorem et, ut solet, prudentiorem se praebet Lucianus Muellerus, qui oblata occasione nunquam declarare negligit, quod Horatium nunc tanto melius quam antea intelligere, rectiusque de eius arte iudicare possimus, huius rei laudem tamquam ad auctorem ad Peerlkampium esse referendam, qui falsi praeiudicii nebulas discusserit primusque permulta vulnera indicaverit quibus sanandis nova essent quaerenda remedia.

Quodsi quis me roget: „ergone tibi temerariae istae Peerlkampii coniecturae certarum emendationum instar videntur?" ei sic respondere velim ut primo aspectu ei aenigma aliquod proponere videar. Dico enim me si discentium in usum Horatius mihi edendus esset, omnes aut fere omnes Peerlkampii coniecturas in textum esse recepturum; sin in doctorum aliquo conventu statuendum esset quid ipse Horatius scripsisse videretur, vix ullum traditae lectionis locum tangere me ausurum, nisi quod paucos versus secundum Luciani Muelleri rationem, id est grammatica, metrica, euphonia ducibus, aut corrigendos aut delendos declararem.

Peerlkampii ut in verba iurem tantum abest ut etiam de binis illis locis, quos in introitu tamquam egregia Peerlkampianae artis exempla attuli, amplius deliberandum censeam.

„Quae ergo ista perversitas est?" quaerat quispiam. „Pauca illa Peerlkampiana inventa, quae ceteri probant, tu num vera certaque sint dubitas etiam et tamen illos iniquitatis arguis, te ipsum aequum censorem fore profiteris?" Non e numero coniecturarum quae in textum recipiantur mihi aequitas vel iniquitas in illarum auctorem apparere videtur; hanc enim multo magis agnosco et in malignitate illa de qua modo dicebam et in iudicio quod de universa Peerlkampii ratione ferri solet. Plerique enim e Peerlkampii annotationibus haec verba protrahunt e quibus gravissimum in eum fingant crimen (ad I, 16):

> „Equidem Horatium non agnosco nisi in illis ingenii monumentis, quae tam apta et rotunda sunt, ut nihil demere possis, quin elegantiam minuas."

Absurdum autem esse nonnulli clamant praeclara omnia ab Horatio postulare; pravo abripi praeiudicio qui credere nolit poëtam interdum ea scripsisse quae aliquo modo reprehendi possint; errare humanum esse et commune omnibus poëtis tam lyricis quam epicis. Eiusmodi si quis Peerlkampii reprehensionem legat imperitus, Horatianorum carminum duo tantum esse genera credat: alia enim eorum esse egregia, alia, eaque non pauca, mediocria, et vitia a poëta esse commissa levia quidem sed permulta. Admodum enim credibilis res est; quam si non agnovit Peerlkampius, quum agnoscere posset, „pravo favore lapsus est" et „dum praeiudicio stabat erroris sui," alios quoque in errorem induxit. Sed

non ita res se habet. Saepe enim quod verisimile est non est verum. Non levia multa vitia ab Horatio reo in immerentes grammaticos grammaticorumque discipulos transtulit Peerlkampius; alium commisit errorem, cuius cuivis critico in poëta aliquo diu multumque versato parata est venia. Qui fuerit ille rogas? Vix audeo dicere. Metuo enim ne inimicorum agmina excitem qui odii et indignationis tela undique in me coniiciant. Vocabo ergo ab inferis ingentem aliquem Aiacem sub cuius clipeo lateam tutus; summi poëtae utar patrocinio, egregii viri, in quavis disciplina praestantissimi, de arte poetica iudicis tam idonei quam aequi: Goetheum in causa mea et testem et patronum citabo, qui de Horatio haec censuit:

> „Horaz. Sein poetisches Talent anerkannt nur in Absicht auf technische und Sprachvollkommenheit, d. h. Nachbildung der Griechischen Metra und der poetischen Sprache, nebst einer furchtbaren Realität, ohne alle eigentliche Poesie besonders in den Oden."

His enim verbis Goethei iudicium complectitur vir fide dignissimus F. W. Riemer, qui diu poëtae scriba fuit. (Mittheilungen über Goethe II, 644).

Non dico me prorsus Goethei iudicio assentiri; quantum de eo sit detrahendum mox declarabo; sed cuius generis error ille fuerit Peerlkampii, allatis Goethei verbis iam adumbrasse quodammodo mihi videor, nunc accuratius indicare conabor. Utar exemplo. Anno 1778 Pallavicini Romae in Bibliotheca Palatina invenit duo carmina adiecta ad finem Libri I, igitur carmina 39 et 40. Inepta ea sunt, insulsa, ieiuna; Horatii esse post Pallavicinium credidit nemo. Eorum autem alterum Peerlkampius iocose et lepide tam-

quam genuinum Horatii carmen tractat, annotationes adscribit, emendationem tentat. Deinde haec subiicit:

> „Quodsi tali commentario interpretes alii sua identidem addidissent, novaque huc illuc accessisset coniectura, hodie, credo, insipidum carmen in multitudine aliorum lateret: fere ut duo tres nummi adulterini in comitatu et praesidio multorum aureorum oculos Alphei alicuius mentito splendore praestringunt, neque is in Lydio probare lapide aut sonum auribus experiri cogitat. Nunc meum carmen stat solum et nudum, et una turbae clamantis vox est: prehende furem! Si itaque ostenderem hoc carmen esse spurium, rem plane supervacuam agerem, quia nemo dubitat. Quod autem in aliis carminibus et versibus, Horatio aeque indignis, feci, hoc multi inique ferent, et me sine modo ac more in poëta Venusino esse grassatum, et rem periculosi fecisse exempli, dolebunt."

Lepidum hercle est Peerlkampii argumentum, sed parum idoneum et logicae artis praeceptis contrarium. Equidem potius sic ratiocinarer: Quoniam istud carmen a Pallavicinio protractum in melioribus Horatii manuscriptis non legitur, num genuinum sit dubito; si in illis quoque inveniretur dubitare non auderem. Quid enim? Inficetum est et absurdum. Sed et alia fecit Horatius illo non meliora.

Adiiciam nunc eorum causa quibus neque Ianii editio prae manibus est, neque Villoisoni ad Longi Pastoralia commentarius, neque diarium „the Gentlemans Magasine", alterum illud Pallavicinii carmen, quo ad sententiam meam illustrandam utar. Deinde quam accuratissime describere conabor cuiusmodi sint illa vitia quae quin ab ipso sint commissa Horatio nulla esse possit dubitatio et e quo fonte

nata sint; postremo interiectis quibusdam disputationibus, quibus me meamque rationem contra doctos adversarios defendam, quid de universa Horatii arte censendum mihi videatur exponam. Nam Goethei verba me non ideo attulisse, quod illius iudicio standum arbitrarer, iam significavi.

Od. XL.

Ad librum suum.

Dulci libello nemo sodalium
Forsan meorum carior exstitit.
De te merenti quid fidelis
Officium domino rependes?

Te Roma cautum terruit ardua?
Depone vanos invidiae metus
Urbisque dignitate fidens
Per plateas animosus audi.

En quo furentes Eumenidum choros
Deiecit almo fulmine Iuppiter!
Huic ara stabit: fama cantu
Perpetuo celebranda crescet.

Hoc ego carmen quominus Horatio abiudicetur non intercedo: haud enim idonei adsunt testes qui ab illo compositum affirment. Sed neque argumentum neque verborum delectus locutionesque eiusmodi sunt ut propter illa Horatio indignum censeam. Adnotat quidem Ianius:

> „Risum movent, ne alia tangam, Eumenides Iovis fulmine disiectae."

Sed parum me quidem vitium illud movet. Leguntur enim apud Horatium et alia eiusdem generis illo haud minus improbanda. An forte magis placet quod III, 26 Venus

ut Chloae amorem incutiat rogatur, non Cupidinis sagittis sed.... sublimi flagello? Afferunt quidem docti hos Tibulli versus (I, 8, 5 sq.):

Ipsa Venus magico religatum brachia nodo
Perdocuit multis non sine verberibus,

sed nihil in iis est praesidii: ibi enim poëta loquitur de dura servitute, quam sub domina Venere sit perpessus.

Minusne est ridiculum quod III, 21 poëta vini „testam" sic alloquitur:

Te Liber et si laeta aderit Venus
Segnesque nodum solvere Gratiae
Vivaeque producent lucernae
Dum rediens fugat astra Phoebus.

Ubi ergo Liber Liberum producere dicitur.

Magisne sunt probandae absurdae illae inferorum descriptiones (II, 13 et 19), quae quam sint bono poëta indignae egregie apparebit si contuleris eximium apud Ovidium de Orpheo animas carminibus permulcente locum (IX, 40 sqq.).

Minusne inepte poëta in enumeratione rerum mythologicarum, quae cum allio isto viscera exurente comparari possint, hos posuit versus (Epod. III):

Nec munus humeris efficacis Herculis
Inarsit aestuosius?

Sed ad alterum disputationis locum transeundum est. Quonam mihi ducere videantur acutae lepidaeque Peerlkampii observationes, si recte iis utamur, iam ut potui indicavi.

CAPUT SECUNDUM.

Horatianam poësin qui recte aestimare cupiat, id est qui eius non fucatam exornatamque sibi formare velit imaginem, sed veram naturam indolemque cognoscere et perspicere, ad quem se ille prius convertat quam ad ipsum poëtam? Horatium ergo interrogemus quid de sua arte ipse censeat, vel potius ab eo petamus ut nobis exponat quo modo poësin amare coeperit, quibus artibus ingenium suum excoluerit, quem sibi finem quodve fastigium proposuerit, quo intentis omnibus viribus mentisque facultatibus esset enitendum. Respondebit autem nihil magnificum, nihil quod admiratione nos impleat, nihil denique quo ita commoveamur ut statim nos colloqui sentiamus cum poëta, i. e. cum Musarum amico et sacerdote, quem deae ipsae in summas coeli plagas sustulerint, ubi ea aspexerit audieritque quibus relatis vita hominum illustrari exornarique posset. In mentem enim nobis revocabit iocosam de Pompei milite narrationem (Epist. II, 2, 26—40), qui quum antea iners ignavusque fuisset, amissa pecunia, quam multo labore collegerat, tanto ardore damni compensandi tantoque furore et ira impletur ut ne firmissimum quidem hostium praesidium impetum eius susti-

nere possit; pro quo facto simulatque honores praemiumque accepit, ad pristinam naturam redit. „Idem et mihi accidit" poëta ait:

Paupertas impulit audax
Ut versus facerem. Sed quod non desit habentem
Quae poterunt unquam satis expurgare cicutae,
Ni melius dormire putem quam scribere versus?

„At enim" quaeras „nonne commune hoc est omnium hominum artificium ut de se suaque arte cum contemptu loquantur, quo alios ad contradicendum, id est ad laudandum alliciant? Neque illud ignoro neque dissimulo, sed hoc dico, qui divino quodam spiritu afflatus de amore suo, de deorum potestate, de patriae laudibus cecinerit, nunquam eo esse descensurum ut invitum se et contra indolem suam carmina fecisse mentiatur, quibus honeste inopiae suae subveniret arcamque impleret. Eiusmodi mendacium vero poëtae ne ebrio quidem in hilarissimo amicorum convivio in mentem venire potest. Sed fingamus iam semel in vita poëtam incredibile aliquid iocatum esse, tamen hoc constat, quo quisque sit artifex melior eo minus eum de se suaque arte loqui solere. Avium similes sunt veri poëtae, quae per silvas errantium aures suavi voce deleniunt, sed quid illi de suo cantu censeant nunquam cogitant. Hoc vero vel minime exspectandum est egregium aliquem poëtam eiusmodi de sua arte usurum vocabulis ut de gravi molestoque quodam labore sermonem esse putes. Horatius autem frequenter, quum totam eius mentem in ipsa poësi occupatam esse oportebat, gloriatur se difficillimo munere feliciter esse perfunctum. Qui ille labor fuerit rogas. Faciamus initium ab initio.

Parios (ait) ego primus iambos
Ostendi Latio, ... non res et agentia verba Lycamben.

Quid illi versus significare possunt? Nempe: „sermonem Latinum metro cuidam Graeco, inusitato antea apud nostrates, adaptavi". Nihilne amplius? Immo: „Archilochum imitatus sum specie magis quam revera; versuum quoddam genus ab eo sumpsi, Lycamben, quem cum filiabus acerbis iocis insectarer et ad voluntariam mortem compellerem, sumere non potui. Quid ergo feci? Parios iambos ostendi Latio; convitia maledictaque et ipse eodem quo ille metro composui, non ira ductus neque ut adversarium aliquem lacesserem, sed ut peritiae metricae darem documentum." Mirum, hercle, poësis genus. Videamus tamen sintne revera ad illud Horatiani iambi referendi; raptim Epodos qui eo pertinent percurramus.

IV. Lupis et agnis quanta sortito obtigit,
Tecum mihi discordiast.

Verusne aliquis hostis contumelioso hoc carmine petitur? Vix credo. Ille enim, si in rerum fuit natura, aut de plebe aliquis fuit maleficus, quem omnes nossent δοῦλον κἀκ δούλων, pravis artibus libertatem adeptum, furtis rapinisque divitem factum. Quid ergo opus erat tanto hiatu? Ad tresviros nocturnos potius nomen eius deferres, simulatque novum eius malefactum deprehenderes: illi enim hominem sibi notissimum capitali poena afficere non dubitarent. Aut fuit homo qui dolo et astutia ad iniquam potentiam pervenisset, quem metuerent omnes, quo ipse Augustus, quum e civitate pellere eum non auderet, tamquam instrumento aliquo uti mallet. Ne sic quidem satis lepidum exsistit carmen. An forte tribunatus militum potentiae fastigium est putandum? An nosse cives poterant quis eo tribuni nomine peteretur? Hoc vero minime credibile videtur Horatium, amisso patrimonio, pauperem et unde vivere posset quaerentem lacessere

eum ausum esse per quem aditus ad Maecenatem et Pollionem parandus esset potius. Denique, ut quid intersit inter verum aliquem Archilochum et poëtam nostrum penitus sentias, praeclarum istud in hoc genere Catullianum

Eone nomine, imperator unice,
Fuisti in ultima occidentis insula,
Ut ista vestra diffututa Mentula
Ducenties comesset aut trecenties?
Eone nomine urbis o potissimi
Socer generque perdidistis omnia?

cum languidis hisce compara versiculis:

Quid attinet tot ora navium gravi
    Rostrata duci pondere
Contra latrones atque servilem manum
    Hoc, hoc tribuno militum?

Eo ergo res redit ut videamus adversarium ab Horatio fictum, ne prorsus novi deesset carminis materies.

VI. Quid immerentes hospites vexas, canis,
    Ignavus adversum lupos?

Ineptum profecto est et ridiculum poëtarum opera ad severas quasdam leges, quas ipse tibi de nihilo finxeris, revocare velle et nisi illis respondeant, tamquam vitiosa condemnare, sed hoc iure nostro a poëta postulare videmur ut sibi constet neve ea dicat quae adversa fronte inter se pugnent: huic legi parere oportet tam eum qui tragoedia vel carmine heroico magnorum hominum facta, dicta, cogitationes aeternitati commendare studeat, quam qui paucis versibus risum movere aliamve brevem parare legentibus oblectationem velit. Quod qui non fecerit, operam perdiderit,

et altera carminis parte alteram tollente et infringente, multis verbis dixerit nihil. Quod hic Horatio evenit. „Cave" inquit „tu, hostium pestis et calamitas, ne meam moveas iram: tum enim a te eodem modo poenas sumam quo a Lycambe Archilochus et a Bupalo Hipponax." At quid hoc carmine facit Horatius? Nonne acerbissimis illum hominem lacerat maledictis? Quae ergo vis est verborum canis, malus, atro dente, quaeve versuum 9 et 10

Tu, cum timenda voce complesti nemus,
Proiectum odoraris cibum?

Et si numquam inimicum expertus est hominem Horatius, quid tam acriter in eum invehitur? Quid minus verae irae veraeque indignationi convenit, quam cum maledicis clamare: „nisi cavebis maledicam tibi"?

X. In quavis arte qui modum tenere nescit spectantium legentiumque affectus movet propriis affectibus contrarios. Sic, qui orator nimiis laudibus virum aliquem quamvis magnum extollit, eo rem perducit ut de illius meritis iusto magis dubitemus; qui in convitiando semet continere non potest efficit ut eum, qui maledictis petitur, non tam pravum hominem quam dicatur esse credamus. Sed quid de propriis affectibus loquor? Non enim qui revera iratus est verave commovetur admiratione, sed qui iram vel admirationem simulat in illud quod dicebam vitium incurrere solet. Ut ab hoc carmine exemplum sumam, nisi obstaret Virg. Buc. III, 90.

Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Maevi

nullum unquam Maevium Horatio notum fuisse, sed fictum illud a poëta nomen esse crederemus. Hoc tamen persuasissimum nobis est, quum carmen scriberetur, neque iter eum fecisse neque facturum fuisse. Tam enim crudele qui

navigantis a diis precatur exitium, lectorum erga illum movet misericordiam, ne benevolentiam dicam amoremque. Quid quod innocentibus navitis, qui Maevium in itinere maritimo comitarentur, tristem perniciem imprecando a Maevio in semet ipsum convertisset aequalium odium Horatius.

Alii quidam epodi maledictorum pleni ad aliam huius disputationis partem sunt servandi; hoc iam et ex poëtae confessione et e carminibus ipsis cognovimus, Horatium non ideo sibi Archilochum tamquam exemplum proposuisse quod et ipse suum sibi haberet Lycamben, sed ut illius verba modosque imitando vires suas exerceret famamque quaereret novi carminum generis inventi et in Italiam invecti. Videamus nunc quid de carminibus suis et ipse censeat Horatius et alios censere cupiat: eodem eum studio ad Sappho Alcaeumque imitandos ductum esse agnoscemus. Quorum quum carmina multo artificiosius quam Archilochi iambi essent composita, mirandum non est illorum imitationem multas magnasque praebuisse Latino poëtae difficultates, quibus ille feliciter superatis meritum strenui assiduique laboris praemium ab aequalibus posterisque petit. Locos huc pertinentes paucos sed admodum insignes ex ipsis carminibus afferam.

II, 20. Me Colchus et, qui dissimulat metum
Marsae cohortis, Dacus et ultimi
Noscent Geloni, me peritus
Discet Hiber Rhodanique potor.

i. e. ego effeci ut lyrica Graecorum poësis per totum imperium Romanum legi et intelligi possit.

Eadem est vis versuum 10—16 carminis III, 30:

Dicar qua violens obstrepit Aufidus
Et qua pauper aquae Daunus agrestium

Regnavit populorum, ex humili potens
Princeps Aeolium carmen ad Italos
Deduxisse modos. Sume superbiam
Quaesitam meritis et mihi Delphica
Lauro cinge volens, Melpomene, comam.

nisi quod in illis magis est aperta industriae diligentiaeque significatio.

Non lusciniae, quam ipsa natura canere cogit, similis videri vult Horatius, sed cum ea bestiola se comparat, quae semper sedulitatis exemplum habetur, venustis hisce lepidi carminis IV, 2 versiculis:

Ego apis Matinae
More modoque
Grata carpentis thyma per laborem
Plurimum circum nemus uvidique
Tiburis ripas operosa parvus
Carmina fingo.

in quibus haud dubie *plurimum* cum *laborem* iungendum est.

Sunt et alii loci quibus de se ipso Horatius loquatur, sed haud facile ullum invenias e quo appareat propter ipsum carminum *argumentum* poësin suam amare eum coepisse. Poëta haberi vult sed lyricus, i. e. agnoscere cupit homines novam se Romanisque inauditum antea versuum genus Romam transtulisse.

Cui autem externa versuum species tam cordi fuerit, quis non lubenter credat illum de eorum argumento satis fuisse securum, saepissimeque quum numeris operam daret, contra sententiam ea commisisse vitia quae a iudice non cupido negligi dissimularique nullo modo possint? Eorum genera

aliquot indicabo, initiumque ab eo faciam quod iam in priore capite leviter attigi et ita ut primariam disputationis partem ad hunc libri mei locum reservarem.

Afferebam enim alterum a Pallavicinio inventum carmen. Spurium autem illud esse uno argumento tam certo demonstrari potest ut nulla supersit dubitatio. Quod quale sit suo loco dicam; sed graviter mihi errare videntur qui propter versus

En quo furentes Eumenidum choros
Disiecit almo fulmine Iuppiter!

totum carmen Horatio indignum censeant. Quid enim? Orestem olim persequebantur Furiae, miserumque hominem nusquam terrarum quietum esse sinebant: tandem Phoebus adest, quo viso crudeles deae resistere non audent sed in fugam se coniiciunt. Eodem modo poëtam novi generis inventorem diu adversarii undique lacessebant; illi suas sibi habebant Deas implacabiles: Invidiam, Calumniam, Derisionem; eas nunc cum Furiis Horatius comparat. Tandem aliquando auxilio poëtae venit bona apud peritos de arte poëtica iudices fama; favere ei coepit aura quaedam popularis. Ipse Iuppiter mutatae fortunae signum dedit, nubes quibus coelum obsitum erat discussit, simulque novas illas Furias fugavit: laeta tum poëtae lux affulsit. „Contorta, hercle, explicatio" dicat quispiam „et qua mythologiae vis fiat." Neque ego nego, sed hoc addo saepissime a viris doctis ad ineptos locos tuendos et utcunque illustrandos haud minus longe arcessi defensiones. In Horatio vero legendo qui nullam probabit explicationem nisi quae sponte se offerat, qui in interpretationibus quamvis improbabilibus acquiescere nolet, is in multis carminibus sic haerebit ut extricare se nullo modo possit. Dabo pauca exempla.

II, 2, 9.

Latius regnes avidum domando
Spiritum, quam si Libyam remotis
Gadibus iungas et uterque Poenus
Serviat uni.

Ne de verbis uterque Poenus, quae nulla ratione explicari possunt, dicam, quis non istud Libyam Gadibus iungere legens de Xerxe aliquo pontem in freto Gaditano faciente sermonem esse putet? Vel sic tamen adiectivum remotis additum mirabitur: quamvis enim longo ad iungendas Gades cum ora Africae ponte opus sit, tamen tum demum recte illud adiectivum adhiberi ubi agatur de locis quos mare dividat ingens, non qui freto separentur. Quam facilem vero illum esse oportet, qui credat recte Africam Gadibus iungere eum dici cuius regnum et dominatio per totam Hispaniam Africamque extendatur.

IV, 11. „Hilariter Idus Apriles mihi sunt celebrandae" poëta ait

quod ex hac
Luce Maecenas meus affluentes
Ordinat annos.

Ergone fastos corrigendi munus ab Augusto accepit Maecenas, eumque honorem Idibus Aprilibus iniit? Minime; diligenter enim eo munere functus erat Iulius Caesar, et vix est credibile post triginta annos nova recensione fuisse opus. Quid ea locutione velit perspicue indicat poëta; praemittit enim haec:

Iure solemnis mihi sanctiorque
Paene natali proprio.

Natalem ergo diem Idibus Aprilibus agebat Maecenas; sed Latinitati vis facienda est ut eum sensum e verbis ex hac luce affluentes ordinat annos extorqueas.

Permulta sunt ex hoc genere vitia apud Horatium, quae diligens lector facile ipse colligat; unum etiam addam quod, licet prave eo usus sit, recte tamen observavit Peerlkampius.

IV, 14, 10 sqq.

Drusus Genaunos, implacidum genus,
Breunosque veloces et arces
Alpibus impositas tremendis
Deiecit acer plus vice simplici.

Quid poëta voluerit aliquo modo divinare possumus. Dicendum enim hoc erat: Genaunos pro damnis, quae finibus Romanis intulerant, multiplices poenas dare coëgit. Quis tamen obloqui audeat Peerlkampio annotanti: „Drusus deiecit Genaunos ex Alpibus plus vice simplici; ergo Genauni eum antea deiecerant, ut nunc vicem redderet. Quod non verum est."

Ad aliud genus transeo. Qui multo labore numerorum difficultates superare studet, in eoque negotio totus est, non potest quin interdum sui ipse argumenti fiat immemor: multa ei tunc imprudenti excidunt vocabula, sententiae, locutiones quae accurate legenti risum moveant:

I, 32. Poscimur. Si quid vacui sub umbra
Lusimus tecum, quod et hunc in annum
Vivat et plures, age dic Latinum,
Barbite, carmen
Lesbio primum modulate civi.

Lepidissime aliquid excogitavit Peerlkampius ne prorsus sensu cassi hi versus essent. Coniecit enim Horatium carmen

liberius scripturum, in quo, ut fieri solet in Epodis, spurcae res spurcis vocabulis nominarentur, iocantem graviter sonantes versus praemisisse quibus Lesbium invocaret barbiton. Lepida est, ut aiebam, coniectura: veram esse nemo facile credet; verbis enim dic Latinum, Barbite, carmen Lesbio primum modulate civi Horatius, ut solet, suas laudes praedicat, qui primus verba Latina Lesbiis numeris exornaverit. Sed licet Peerlkampio non assentiamur, tamen aliquis usus esse potest verborum quae addidit: „Ipsum vero illud Latınum carmen intercidisse puto. Hoc, XXXII, non est illud. Quominus sit, vel metri diversitas vetat. Quomodo enim quis rogat lyram Alcaei, ut sibi faveat in canendo modos Sapphicos?" Nonne enim qui in carmine Sapphico, dum de auctore artis suae loqui vult, Alcaeum nominat, de Sapphone ne cogitat quidem, ridiculae negligentiae accusandus est?

II, 6. Sententia huius carminis, si tamen ulla est, haec esse videtur: Septimius poëtam invitaverat ut secum iter faceret longinquum et ita curas animi deponere conaretur. Respondet: „iam me itinerum taedet, satis enim laborum et aerumnarum pertuli mari et in Bruti exercitu; iam requiescere cupio; quam ergo sedem Tiburi, amoenissimo oppido praeferam?" Aliqua, ut vides, similitudo inter carmen nostrum intercedit et epistolas; hae tamen multo ei praestant. Afferre quoque possis lepidissimum Catulli carmen

Furi et Aureli comites Catulli

si cognoscere velis quid intersit inter poëtam veram aliquam animi sententiam venuste eloquentem et eum qui quid dicat nesciens vel non curans, quomodo dicat secum deliberat. Incipit enim a Tiburis laude, sed statim ad Tarentum transit quod quatuor strophis continuis extollat, de Tibure ... οὐδεὶς λόγος.

II, 7. Oblivioso levia Massico
Ciboria exple.

Multis nominibus vinum laudari potest: gaudium affert, aerumnarum oblivionem, somnum etiam si eo opus est. Sed non potuit aliud epitheton excogitare Horatius quod huic carmini minus aptum esset quam illud obliviosum. Amicum enim post longam absentiam in patriam reducem sic fere alloquitur: „Quam saepe una hilariter convivia celebravimus, quot et quanta pericula simul adiimus! Age Iovi ob reditum tuum rem divinam faciamus, laetis inter pocula sermonibus diem transigamus. Quid enim iucundius nobis esse potest quam sic memoriam renovare dulcissimi temporis quo semper una eramus?" Absit ergo quidquid obliviosum est vel obliviosos reddit.

III, 8. Maecenatem virum sapientem et sobrium ad epulas invitat modici vini assiduus laudator Horatius. Quam ergo sui hic immemor est qui eiusmodi hospitem moneat ut centum cyathos sumat. Quam parum urbanum est in ea invitatione clamoris et irae mentionem facere, quum ipse alio loco dixeris:

Natis in usum laetitiae scyphis
Pugnare Thracumst.

Sed non satis causae est cur cum Peerlkampio totum carmen Horatio abiudicemus. Eiusdemmodi enim negligentiae et aliud apud Horatium exstat exemplum III, 21. Cum Messalla Corvino epulaturus poëta „testam" vini, quam reconditam antea ad hanc occasionem protraxerat, alloquitur, lepide quidem sed ita ut interdum se ipsum prodat: apparet enim numeris magis affixam habere mentem poëtam quam carminis argumento. An nesciebat Horatius vinum e quo

querelae, immo *rixae* nasci possent minime convenire epulis cum Messalla Corvino, viro, cui iudice Cicerone (ad Brutum I, 15, 1) *constantia* et *probitate* nil simile esset? Quid eiusmodi viro cum *insanis amoribus*, qui „in studio eloquentiae evigilare soleret"? An forte virum cultissimi ingenii convivam quum habes, tantum tibi taedii devorandum fore exspectas, ut ad vinum *facilem* afferens *somnum* sit confugiendum? Egregie se habent strophae tertia quartaque, dignissimaeque sunt poëta amico gravi atque docto, perfecto oratori, homini praeceptorum philosophicorum pleno, epulas parante, sed cum praecedentibus mirifice certant, quibus ille se nescire significat cuiusmodi vinum prompserit, quod idem est atque non curare quod vini genus tales epulas deceat. Sententiam stropharum primae secundaeque bene perspexit Peerlkampius, sed legendo

Quocunque lectum nomine Liberum

pro

Quocunque lectum nomine Massicum

unius quidem versus vitium tollit, toti carmini non medetur. De ultima eius stropha mox erit videndum.

Quem Musae diligunt, naturae aspectu ille delectatur: amat silvas montesque, amat prata virentia, loquaces rivulos; avium cantu delenitur, varios florum colores admiratur; neque auribus solum oculisque gaudia pariunt illa voluptatemque sed mentem quoque pulcherrimis implent imaginibus cogitationibusque. Poëtam facit amoeni ruris aspectus, quale illud erat quo Tibur cingebatur. Lubenter ergo Horatio fidem habemus narranti se, quod poëta factus sit, Tiburi acceptum referre, sed in versibus (IV, 3, 10 sqq.):

Sed quae Tibur aquae fertile praefluunt
Et spissae nemorum comae
Fingent Aeolio carmine nobilem.

duo vehementer improbanda videntur. Primum quod adiectivum Aeolio nomini carmine additum est, quasi vero silvarum comae et flumina limpida amorem inspirent non cantandi sed aliena carmina multo labore in patrium sermonem vertendi. Sed hoc quoniam ad eum locum pertinet, de quo satis fuse iam dixi, missum facio. Alterum autem vitium multo gravius est. Cui enim, non quid metro sed quid sententiae conveniat quaerenti, epitheton aliquod dum nomini Tibur apponere vult, in mentem venire potest istud fertile, quo nullum est ineptius. Qui ante omnia fertilitate amoenae cuiusdam regionis commovetur, non Musis amicus est sed Cereri, non poësi natus sed agriculturae.

Naturae vices nos admonent brevem vitam esse. Tam saepe ea sententia apud Horatium recurrit (e. c. IV, 7, I, 4. Epod. 13) ut facile agnoscas mortis cogitationem philosophiae (si eo vocabulo uti hic licet) Horatianae haud spernendam fuisse partem, et iucundissimus simulque ad Horatium cognoscendum utilissimus est Ommereni nostratis libellus ante centum fere annos scriptus, qui eo argumento (p. 22 sqq.) demonstrare conatur haudquaquam tam levem futilemque hominem fuisse Horatium quam vulgo videatur. Plerumque autem ea sententia ita utitur Horatius ut amicos moneat ne nimis vitae aerumnis futurorumque metu se angi patiantur, sed potius modico vino hilarique cum amicis sermone curas dissipent. Nusquam vero venustioribus eam adhortationem exornavit versiculis quam c. IV, 7. Egregie ibi veris reditus describitur, et, si fieri potest, melius etiam celeres temporum vicissitudines; apte praecedentibus adiungitur brevis aevi quod mortalibus conceditur commemoratio, qua non ad tristitiam movendam utitur poëta, sed ad demonstrandum quam utile sit in tempore indulgere genio. Sive enim cum Peerlkampio legis:

Cuncta manus avidas fugiunt; haerebit amico
Quod dederis animo.

sive cum vulgo codicum

Cuncta manus avidas fugient heredis, amico
Quae dederis animo.

inest his versibus ad hilare et iucundum cum amicis convivium invitatio. Quam ἄκαιρον ergo est, postquam prudenti admonitione moestitiam et tuam et amici pellere conatus es, statim ita pergere:

Cum semel occideris et de te splendida Minos
Fecerit arbitria,
Non, Torquate, genus, non te facundia, non te
Restituet pietas.

Quid enim magis aptum est ad aegritudinem animi augendam quam haec desperantis exclamatio: quid miseris mortalibus prodest pietas, quid dotes animi?

Transeo nunc ad eos locos, ubi poëta, licet quid dicere vellet probe sciret, propter metrum dicere id non potuit, ergo pro eo quod sententia postulabat aliud quid multo minus aptum posuit. Initium faciam a loco qui multorum instar est. Vidimus enim quam pulchram stropham Peerlkampius fecerit ex his versiculis subineptis:

(Vocibus), regnum et diadema tutum
Deferens uni propriamque laurum
Quisquis ingentes oculo irretorto
Spectat acervos.

Non leni, hercle, medela Horatium sanavit vir praestantissimus, sed ut aliquid auderet impulerunt eum gravia vitia quibus versus citati laborabant. Credo autem nihil ei

minus ferendum visum esse quam substantivum *acervos* sic sine ullo adiectivo vel genitivo ad magnas divitias significandas positum. Sed eo vitio notando non grammaticum aliquem vel librarium perstrinxit sed ipsum Horatium, qui metri difficultate ad incitas redactus sententiae vim fecerit. Dicendum erat, ut opinor, *thesauros*, atque illud ipsum in mente habebat Horatius. Non enim melius animo nostro repraesentare possumus virum sapientem, suo contentum, divitiarum contemptorem, quam si eum fingimus, dum alicubi thesaurus effoditur, cuius suam sibi partem iure vindicare poterat, praetereuntem neque respicientem. Sed vocabulum unice huic imagini aptum versus respuebat; alio ergo contentus esse debebat poëta et prae numeris cetera omnia contemnens pulcherrimi ornamenti fecit iacturam. Quod si quis nimia Horatii admiratione ductus incredibile et illo indignum putat, inspiciat mihi alium locum, ubi fere idem ei accidisse videtur.

I, 2. Summis effert laudibus Augustum poëta: non homo ille ei videtur sed deus; Mercurium de coelo descendisse credit qui rei Romanae prospiciat. Hunc ergo sic alloquitur:

> Serus in coelum redeas, diuque
> Laetus intersis populo Quirini,
> Neve te nostris vitiis iniquum
> Ocior aura
> Tollat; hic magnos potius triumphos,
> Hic ames dici pater atque princeps,
> Neu sinas Medos equitare inultos,
> Te duce, Caesar.

Praestantissime hoc dictum est, et vellem in vocabulo *tollat* finem facere potuisset Horatius: in ipsa enim Dei praesentia insunt omnia; praesente deo omnia florent, prae-

sertim si laetus adest; si vero diu laetus inter Romanos moratur, documento est ipse veniam illis priorum facinorum datam esse et in posterum optima quaeque eos exspectare posse. Haud male tamen et haec sequuntur

hic magnos potius triumphos,
Hic ames dici pater atque princeps.

Apta enim et eleganti brevitate a deo precatur Horatius ut apud exteros praebeat populo Romano gloriam, in urbe ipsa quietem tueatur et securitatem. Hoc quoque ferendum, peculiare aliquod bonum addi, quod prae ceteris sibi a Deo patre et principe praestari cupiant Romani. Sequitur autem

Neu sinas Medos equitare inultos,
Te duce, Caesar.

Quod ineptissime dictum est. Ne de vocabulis te duce sic positis loquar, ut ridicula exsistat ambiguitas, quid verbo equitare faciamus? Turmas equitum Medorum late extra fines suos vagari et inultos imperium Romanum vastare dedecori est nomini Romano et quantocius illi barbarorum insolentiae finis est ponendus. Hoc quoque Romanis pristinae virtutis memoribus vix est ferendum quod nondum deleta est Crassianae cladis infamia quodque impune Romanos a se victos derident Parthi eorumque signis et aquilis gloriantur. Sed qui Medos equitare doleat, is etiam indignetur quod aves volitent piscesque natent. Pauca etiam alibi de hac stropha erunt dicenda; sed interdum metrum obstitisse, quominus id quod sibi proposuerat apte diserteque enuntiaret poëta, luculento nos iam docuit exemplo.

I, 20 Caecubum et prelo domitam Caleno
Tu bibes uvam, mea nec Falernae
Temperant vites neque Formiani
Pocula colles.

Obscure dictum esse non Falernae vites mea temperant pocula hoc sensu: Vinum quod ego, aqua mixtum, bibere soleo non magni pretii (sed quotidianum et prope fundum meum natum) est, quis neget? Minime tamen cum Peerlkampio totum carmen Horatio abiudicem. Ex uno enim vocabulo temperant, quod optimo iure Peerlkampius improbat, ego, quamvis absurda mea de eo videri possit sententia, Horatium auctorem agnosco. Nam ad illud utcunque explicandum defendendumque iisdem fere opus est ambagibus quibus viri docti in versibus (I, 31):

Premant Calena falce quibus dedit
Fortuna vitem, dives et aureis
Mercator exsiccet culullis
Vina Syra reparata merce.

ad vocabulum exsiccet probandum uti solent. Et quoniam semel de vino epulisque agimus, in mentem tibi, Lector, revoca illud vigiles lucernas perfer in lucem, quod quin hoc sensu positum sit: „noli simulatque nox ceciderit domum, ut soles, reverti; quin potius tenebras pellamus lucernis et sic ad solis ortum strenue bibamus et iocemur" equidem minime dubito. Conferatur denique quod IV, 12 legitur. Virgilium quendam, mercatorem (ut aiunt nonnulli), iocose ad epulas invitat Horatius: ver enim quod iam inierit, bibendi tempus esse sed vinum egregium, quod anxie in cella condiderit, se non esse prompturum nisi ea conditione ut amicus nardum praestantissimum

(quod ille, ut videtur, ipse ex Oriente petiit) secum afferat. Lepidum sane argumentum; ne tamen nimis, Lector, hoc carmen admireris, auctor tibi sum ut cum eo Catullianum illud

Cenabis bene mi Fabulle apud me

compares, ubi contrariam Horatianae permutationem amico proponit Catullus, sed quanto venustior hic illo est, quanto urbanior, quanto facetior! A Catullo autem si statim ad Horatium transieris, facile tibi persuadebis hunc metro coactum ad verba confugisse quae toti carmini maculam afferrent. Unum proponam versum

Ad quae si properas gaudia cum tua
Velox merce veni.

Quid minus recte hoc loco poni potuit quam istud properas? Ea conditione amicum invitat Horatius quam ipse admodum gravem videri vult. Fingere ergo potest illum ea post aliquam deliberationem contentum fore, avide accepturum fingere non potest. Et quam inepte illo verbo adiectivi velox vis infringitur. Mirum non est eundem poëtam in alio carmine (IV, 14) ad versus explendos in aevum aeternet scripsisse. Sed finem iam facio, quamquam abundat etiam copia locorum qui Peerlkampio emendandi vel proscribendi ansam dederunt, nos autem ab eo monitos ad recte de Horatii arte iudicandum reddere possunt paratiores.

Inter poëtam et versificatorem et alia intersunt multa et hoc quod ille quid sit dicendum, vel potius quid dicturus sit, probe scit. Non quod anxie secum de carminis sui ambitu verborumve delectu deliberaverit, vix enim sui

sibi laboris conscius est; sed quum cogitationis alicuius plenus est, hanc solam curat, hac duci se patitur, quidquid ab hac alienum est a se removet. Sic ubi quod diu mente clausum tenuit tandem aliquando promit, non opus est vocabula, numeros, versus quaerere: sponte ea veniunt; natum iam erat carmen priusquam chartae mandaretur: ipsa poëtae indoles simul et argumentum peperit et quidquid ad illud exornandum pertineret. Versificator argumentum plerumque ab alio. mutuatur, ipse si nova sententiarum verborumque attulerit lumina quaedam gaudet sibique admodum placet. Quodsi aurem assidua bonorum exemplorum lectione satis exercitatam habet, haud raro aliquid scribit quod lectu audituque sit iucundissimum. Interdum tamen res minus prospere ei cedit. Aut aptum carminis introitum non invenit aut aliquot versiculis satis venuste compositis quomodo sit pergendum nescit; frustra aptum ab alia ad aliam partem transitum quaerit, non denique verbis tamquam instrumento utitur, sed ipse illis servit, quo illa trahunt sequitur; non ergo ad aliquem finem, quem ipse sibi antea proposuerit, pervenire potest sed vagus errat. Sic invito poëta et invitis Musis versus nascuntur sensu vacui languidique. Sumam exemplum ab Horatio, sed nescio an exemplum quod meo proposito vel aptissimum sit iam attigerim. Allocutio illa ad Augustum si huiuscemodi fere esset: „Auguste, si revera, quod ego suspicor, deus es, utinam diu inter nos moreris, utinam ne scelerum nostrorum odio oculos amoveas teque a nobis avertas", revera magnifica esset: haberet enim, id quod in huiusmodi locis vel maximi est momenti, finem graviter sonantem qui aures impleret. Sed abundabat vox tollat, quae quum nulla ratione strophae plenae iam et perfectae inseri posset, in novae strophae initio erat ponenda; ea ergo, quamquam exhausta iam erat materies, utcunque erat

explenda; invenit autem Horatius, ut homo in versibus faciendis exercitatus, unum quod praecedentibus etiam sine magno damno adiici posset:

Hic magnos potius triumphos,
Hic ames dici pater atque princeps.

Ad finem autem praeclara illa Augusti laude dignum perducere stropham non potuit: ergo ut tamen aliquo modo officio perfunctus videretur ineptissima ista

Neu sinas Medos equitare inultos
Te duce Caesar

addidit.

I, 22. Deorum se tutela semper et ubique securum et aliis exemplis demonstrat poëta et hoc:

Namque me silva lupus in Sabina,
Dum meam canto Lalagen et ultra
Terminum curis vagor expeditis,
Fugit inermem.

Ad ingens autem periculum quod Deorum ope effugerit significandum simplici substantivo l u p u s neque contentus erat neque poterat esse: opus erat aliquo adiectivo quo immanem, crudelem, sanguinis humanaeque carnis avidum lupum fuisse intelligeremus. Illi autem quum in praecedentibus nullus iam superesset locus, unius vocabuli causa haec stropha nata est:

Quale portentum neque militaris
Daunias latis alit aesculetis,
Nec Iubae tellus generat, leonum
Arida nutrix.

quam circumscripsit Peerlkampius, iniuria nisi omnia me fallunt: proprium enim Horatio esse istud genus versuum et stropharum „explicativorum", ut ita dicam, non hic solus locus docet.

I, 31. Quin lepidum existat carmen si cum Peerlkampio pro grata Calabriae armenta legamus Graia Calabriae armenta, deinde strophas quae secundam ab ultima separant eiiciamus, equidem minime dubito. Secum poëta deliberat quid ab Apolline, cuius novum templum nunc cum maxime frequentant Romani, sibi potissimum precandum sit. „Non ea" ait „quae ceteris hominibus sunt in votis: opimae segetes, armenta nitida, auri copia." Hanc deliberationem subito abrumpere et post breve silentium paucis hisce verbis viri vere sapientis enuntiare preces:

Frui paratis et valido mihi
Latoë, dones et precor integra
Cum mente, nec turpem senectam
Degere nec cithara carentem.

elegantis est poëtae: ipsa enim brevitas sententiae gravitatem mirum quantum auget. Neque tamen cum Peerlkampio stropham tertiam quartamque proscribere ausim: Horatius enim unice de metro sollicitus brevem rerum, quas vulgus amat magnique facit, sufficere enumerationem, eique statim ne uno quidem verbo interiecto opponendas esse veras sincerasque philosophi et poëtae divitias non sensit. Immoratur ergo aliquamdiu suo ipse responso, quo se vulgares divitias contemnere declaravit, et „istas" inquit „alii sibi habeant", atque ex hac sententia tam exili tamque superflua duas strophas effecit, quoniam metrum una contentum esse non sinebat. Sic interiectis ineptissimis hisce versiculis:

Premant Calena falce quibus dedit
Fortuna vitem, dives et aureis
Mercator exsiccet culullis
Vina Syra reparata merce,

Dis carus ipse, quippe ter et quater
Anno revisens aequor Atlanticum
Impune. Me pascunt olivae,
Me cichorea levesque malvae.

suae ipse laudi offecit obstititque poëta.

II, 20. Insulsum inficetumque totum hoc carmen esse libens concedo, neque quemquam negaturum opinor. Quamvis enim lepida sit coniectura qua ad explicandum defendendumque utitur Peerlkampius, num cuiquam persuaserit egregius vir vehementer dubito. Non video igitur cur cum Peerlkampio, quem hac quidem in re nonnulli editores sunt secuti, stropham tertiam

Iam iam residunt cruribus asperae
Pelles et album mutor in alitem
Superne, nascunturque leves
Per digitos umerosque plumae,

Horatio, id est ineptissimis quibus cingitur strophis, indignam censeamus, quum praesertim quo modo nata sit certo deprehendamus indicio. „Non me tenebunt Orci claustra" poëta ait „libere Icari instar, sed illo tutius, per coelum volitabo." Eam autem sententiam quum poëtice exornare vellet, non poterat sic subito ab Orco ad Icarum transsilire. Quaerendum aliquid erat quod viae pontisve instar esset, neque tamen quidquam aptius excogitavit quam quod nunc habemus.

Quam pulchrum sit carmen IV, 5 exponere opus non est, sed hoc dico ultro ei maculam aspersisse ipsum poëtam. Eximiis laudibus Augusti de republica merita exornat, quantum boni eius cura Romanis attulerit, quam gratos erga eum esse cives deceat egregiis versibus describit: tuti a latronibus sunt agricolae, a piratis iam sibi non metuunt pericula navitae, prudentibus Augusti legibus mores sunt emendati, cum securitate laetitia rediit, ceteraque eiusmodi. Sed poëta externum carminum suorum ornatum prae ceteris curare solitus, obliviscitur unicum boni poëtae esse officium quod penitus sentiat gravibus, aptis, canoris enuntiare vocabulis; facile eum, si quid omiserit, veniam impetrare, dummodo id quod canat aures permulceat mentemque percellat atque commoveat. Ergo ne negligens videatur, nimis accuratus est: in bonorum quae Augusto cives accepta referant enumeratione non deesse posse credit externorum hostium mentionem, qui antea provincias Romanas vastarint, nunc se movere non audeant. Qui ne nimis diu lectorem morentur omnes in hanc unam coguntur stropham:

Quis Parthum paveat, quis gelidum Scythen,
Quis Germania quos horrida parturit
Fetus incolumi Caesare? Quis ferae
Bellum curet Hiberiae?

Quid attinet hic cum Peerlkampio pro fetus legere motus? Nonne si legentium voluptatis causa Horatius edendus esset, totam potius deleremus stropham?

Carminis III, 16 quod sit argumentum haud facile dixeris: constat de auro divitiisque agi, sed sunt selecta tamquam capita e scriptorum de moribus libris, male inter se cohaerentia vel potius male inter se iuncta. Primum laudari auri potentia videtur: quid enim aliud sibi vult Danaës

mythus? Mox tamen specie te deceptum agnoscis; sequitur enim longa exemplorum series e quibus appareat interdum summorum malorum aurum causam esse. Altera carminis pars, qua modica pecunia, magnarum divitiarum contemptus, secura quies commendantur, praecedenti multo praestat. Longus tamen est poëta taediumque movet, ne indignationem dicam. Quod enim tamquam in transitu se his ad Maecenatem convertit verbis:

Nec si plura velim tu dare deneges

mendicantis videtur potius quam prudenti consilio monentis alios. Quid vellet ipsum ignorasse poëtam suspicor, sed quum satis facete Danaës mythum per allegoriam esset interpretatus, haesisse et frustra quid illi recte adiungi posset quaesivisse; duce ergo non sententia sed metro stropham strophae addidisse, donec tandem aliquando id natum esset quo carmen claudi posse videretur. Ita ut sentiam adducor ingenti vocabulorum locutionumque copia, quae non nisi *πρὸς τὸ κεχηνὸς τοῦ ῥυθμοῦ* sunt posita: vs. 15 sq. navium saevos duces. Quorsum istud s a e v o s? Vs. 22 inepta est *τοῦ ἀπροσδοκήτου* subtilitas in verbis: „nil cupientium nudus castra peto et transfuga divitum partes linquere gestio." Divitem enim se neque esse neque unquam fuisse ipse poëta iterum iterumque eodem hoc carmine declarat. Notanda praeterea: i m p i g e r A p u l u s; f e r t i l i s A f r i c a e; C a l a b r a e a p e s; L a e s t r y g o n i a a m p h o r a; p i n g u i a v e l l e r a; G a l l i c i s p a s c u i s; p a r v a v e c t i g a l i a p o r r i g a m; M y g d o n i i s c a m p i s; r e g n u m A l y a t t e i.

Quodsi quis cognoscere vult carmen Horatianum vesti simillimum ex variis pannis consutae, inspiciat mihi III, 27. Neminem enim tam esse Horatii admiratorem opinor qui illud laudet. De quo multis disserere piget, sed hoc dico me

statuere neque posse neque velle rectene an iniuria unam alteramque eius stropham deleverit Peerlkampius. Tam enim insulsum carmen est, Musis iratis compositum, ut corrumpi ne ab ineptissimo quidem grammatico potuerit.

In Horatii carminibus saepe unam alteramque abundare stropham quis neget? Illarum quae fuerit origo demonstrare conatus sum: melius tamen rem perspicies si reputaveris permulta esse carmina eiusmodi ut ultima stropha cum magno totius emolumento abiici possit. Sedulus enim versuum Sapphicorum Alcaicorumque fabricator interdum non sentit materiam se iam exhausisse et ad finem pervenisse, quaeque postremo dixerit claudendo carmini esse aptissima. Nova ergo stropha addenda suum ipse opus dum explere vult corrumpit. Dabo exempla.

II, 5. Carmine Romano admodum et rustico, sed haud illepido, amicum immaturae puellulae amore captum ut semet contineat neve nimia peccet festinatione poëta admonet. Venuste illam cum vitulo per prata libere luxuriante comparat; tum alia imagine, ad amicum conversus, „tolle" ait

Tolle cupidinem
Immitis uvae.

Egregie huic annectitur stropha, quam si ultimam esse passus esset poëta, nihil fere esset quod in toto carmine iure reprehendi posset. Primum, ut omnia recte inter se cohaereant, ad priorem redit imaginem his verbis

Iam te sequetur: currit enim ferox | Aetas.

Quibus de aetate addit observationem, qua nihil melius sub carminis finem poni possit: paulo enim obscurior est et ἀινιγματωδεστέρα, ideoque sententiam moralem continere videtur gravissimae plenam sapientiae:

et illi, quos tibi demserit,
Apponet annos.

Tum subito omnibus missis ambagibus omnique neglecto ornamento

iam proterva
Fronte petet Lalage maritum.

Vides quam sit omnibus numeris absolutum carmen, quam plene sonet eius clausula. Haud ita visum Horatio, vel potius prava ductus diligentia ita se rem habere non sensit. Non deesse posse credidit illarum mentionem quas antea amarit amicus, sed non tanto ardore quanto nunc Lalagen diligat. Pholoën ergo nominat, Chloridem; ad illam autem ubi perventum est haeret neque habet quo se convertat; viatoris similis est qui vesperi prope deversorium amissa semita incertus errat et sub divo pernoctat. Nitentem enim Chloridis humerum comparat primum cum luna, deinde... cum Gyge puerorum formosissimo. Iam hoc satis ineptum quod comparationis causa simul luna et puer aliquis afferuntur; ineptius tamen mihi videtur quod postremo tota additur stropha Gygis laudibus repleta. Sic quod esse poterat carmen lepidissimum ab ipso poëta languidum factum est taediique plenum.

III, 18. Faunum pastorum deum ruris amator Horatius alloquitur carmine quod venustissimum esse potuisset, si tribus contentus fuisset strophis; nunc unam etiam addendo omnia perdidit. In qua permulta esse absurdissima recte observavit Peerlkampius: securae quietis, qualis Saturno regnante fuit, exemplum affertur non agnus inter lupos placide gramina carpens, sed lupus inter audaces agnos errans (neque tamen timidus: sic enim sententiam cogitando supplere possis, non aliter); agricolae invisa esse dicitur

terra cui ille nihil non debet, ceteraque eiusmodi. Non tamen stropham Horatio abiudicasset Peerlkampius, si reputasset qui, quum nil iam habeat quod dicat, tamen tacere nolit, non posse non inepte loqui.

De carmine III, 21 iam diximus quaedam. Haud ineptum est neque tamen vitiis caret. Quid dicendum esset haud satis consideravit poëta, perverse ergo de convivio cum Messalla Corvino celebrando loquens, *querelarum*, *insanorum amorum*, *facilis somni* mentionem iniicit; vinum alloquitur, sed quale illud sit se nescire profitetur, ideoque ultro in gravissimae erga convivam, hominem praestantissimum, negligentiae incurrit crimen. Sed haec ceteraque huiusmodi tamen aliquo modo excusari possunt. Additur autem illis, panni instar, stropha supra quam dici potest inepta: in qua Liber *Liberum* producit, Venus vero convivium productura dicitur *si aderit*. (Bacchanalia ergo lasciviae plena celebraturus est poëta cum Messalla Corvino, quem aequales posterique certatim tamquam antiquae virtutis laudarint exemplum. Et mirum ni *absens* quoque Venus producat convivium). Cum Venere autem iunguntur Gratiae, quae, ne versui implendo impares sint, *segnes nodum solvere Gratiae* dicuntur. Hoc vero maxime ridiculum quod Veneri Gratiisque adduntur *vigiles lucernae*.

III, 23. Poëta simplicitatis rusticae nativaeque pietatis amatore dignissimum est huius carminis argumentum. Recte tamen habere omnia quae in eo dicantur affirmare non ausim. „Piae preces" ait „parvaque dona tua, Phidyle, ab agello tuo, vitibus, pecore omne malorum avertent genus: haud enim donorum magnitudinem dii respiciunt sed dantis mentem." In quibus vix probari posse videtur istud *avidaque porca*: nimis enim magnum hoc donum est pro pauperis opibus. Tum sic pergit: „Bovem taurumve magni

pretii immolent pontifices" (Populine Romani causa, an eo pontificum nomine omnino divites significantur?). „Te opus non est magnam ovium mactare copiam" (Melius, ni fallor, praecedentibus armentis una ovis opponeretur quam multa caedes bidentium; quare admodum elegans est Peerlkampii coniectura pro temptare multa caede bidentium legentis certare multa caede bidentium: si homo dives multas oves mactat, Phidyle una ove offerenda iam praeclare suo ergo deos officio functa est; non opus est ut numero hostiarum certet cum divitibus). Credo iam his lectis pauperculam nostram de rebus suis fieri sollicitam: primum manus sibi tollendas esse, si pia esse velit, cognoscit: gaudet iam; hoc enim quotidie nascente luna facere solet. Farris addendum est aliquid: ne hoc quidem nimis grave. Quid vero si porcam quoque dii postulant? At unicam habet eamque tam avidam ut interdum vix quomodo ei praebeat pabulum sciat. Auget miserae sollicitudinem poëta mentione de ove iniicienda; nam quod multis bidentibus opus non esse dicit, irridere videtur. Unde enim sibi multas oves? Dummodo suam sibi porcam suamque ovem servare possit sat sibi dives videtur: saepe enim metuit ne altera aliquando alterius causa sit vendenda. At anxiam iam et vix sui compotem ipse poëta solatur, idque facit non admonitus et ita ut satis inepte sibi obloquatur: subito enim et missis quae antea a Phidyle postulavit satis esse illam admonet Penates suos floribus coronisve ornare. Atque in hac quidem poëtae inconstantia, quamvis ea sit obvia, tamen aliquo modo acquiescere possumus; ultimam stropham probare nullo modo possumus, quae vix, etiam si sola et per se ipsa spectetur, intelligi possit, et, quoniam tam secum certat quam cum praecedentibus, totum carmen prorsus obscurum reddit et sensu cassum. Primum nul-

lum a paupere donum poscere deos significat poëta. (Quae enim alia vis esse potest adiectivi immunis? Quamquam quis aram tangit qui nil deo offert?) Dein farre pio et saliente mica opus esse declarat. Iam quo se misera convertat Phidyle? Alio, ut opinor, opus est indoctae mulierculae magistro a quo dii immortales qua ratione placandi sint discat.

Pulchrum est carmen IV, 2 venustumque et elegantissimae verecundiae. Rogatus ut Augusti reditum carmine lyrico celebret, respondet Horatius eiusmodi opus multo esse gravius quam pro suis viribus, idque responsum lepidissime exornat. Pindari enim virtutes longa stropharum serie enumerat egregieque illas extollit et ita ut plane sentias Thebanum poëtam, lyricorum principem, ab Horatio frequenter lectum optimeque intellectum esse. „Hunc quis aemuletur?" ait. „Non ego, qui cum magno labore parva Graecorum poëmata in nostrum vertam sermonem. Tibi vero Iule Antoni [1]) aliquid audendum est: egregium te poëtam iam saepe praestitisti, tuum est Pindarum non aemulari sed imitari. Magnificum ergo tu carmen compones quod, ubi ego didicero, pro viribus meis tecum cantare conabor: tu divitis hominis instar es, cui decem tauri totidemque vaccae sint immolandae, me solvet vitulus." Hactenus omnia plena sunt venustatis: elegantissimo quodam artificio, dum Antonium ut laudes Augusti celebret hortatur, ipse quodammodo id facit quod se facere non posse lepide simulavit. Quo magis dolendum quod sola vituli, quo venuste, tamquam imagine usus est, mentione contentus non fuerit,

1) Bonum factum quod misella Peerlkampii coniectura Ille pro Iule carere iam possumus, gratiaque Mommseno qui ex inscriptionibus effecerit iunioris Antonii verum praenomen esse Iullus δισυλλάβως.

sed accurate eius aetatem, formam, colorem describenda esse quum putaret, languidissima haec adiecerit:

relicta
Matre qui largis iuvenescit herbis
In mea vota
Fronte curvatos imitatus ignes
Tertium lunae referentis ortum,
Qua notam duxit niveus videri,
Cetera fulvus.

Nunc, quo magis nota sit sententia mea meliusque stabilita, tota aliquot Horatii carmina recensebo. Si enim non nimis inepte quaenam res in errorem saepe induxerint Horatium et malos facere versus coëgerint demonstravi, admodum credibile est interdum omnia illa vitiorum genera quae enumeravi in unum confluxisse carmen, atque ita aliquid natum esse quod ab initio ad finem iure reprehendi possit. Exemplo sit primum c. I, 15.

En carmen quod non fecisse poëta dicendus est sed quod metrum invito ei extorsit! „Hac ode Bacchylidem imitatur, nam ut ille Cassandram facit vaticinari futura belli, ita hic Proteum," ait Scholiasta. Illud Bacchylidis carmen cuiusmodi fuerit nemo dicere potest; longos ergo de eo viri docti scribunt commentarios. Lubenter tamen Scholiastae fidem habemus: quin sibi aliquem poëtarum Graecorum imitandum hoc carmine sumpserit Horatius, sive Bacchylides is fuit, sive alius, non est quod dubitemus. Hoc certe constat, hoc e quovis carminis versu apparet, non in ipsius Horatii mente natum esse argumentum eique tam egregie placuisse ut

sponte carmen numeros veniret ad aptos, sed casu et fortuito poëtam quaerentem quonam modo suas in metro Graeco experiretur vires in illud incidisse. Metrica enim exercitatio est, non carmen. Quod autem viri docti aiunt, tempore aut primam aut inter primas hanc ab Horatio odam factam esse, id valde mihi probabile videtur. (Non ob trochaeum Ignis in initio versus Glyconici positum: subtiles enim eiusmodi observationes mihi quidem haud magnam habere videntur persuadendi vim. Semel errare potuit poëta; potuit etiam Ignis Iliacas vitio ex Ignis Pergameas nasci). Puerile enim aliquid habet: qui autem primum novorum versuum facit periculum, licet annos fere 35 natus sit, tamen in hoc quidem labore pueri in schola discentis instar est. Sed percurramus carmen. Quum Paris (sive Pastor, quemadmodum sat obscure metri causa eum nominat poëta) Helenam navibus secum duceret, Proteus (probabilior enim haec, quam Porphyrio servavit, lectio est quam vulgata Nereus, licet magis etiam sit mirandum penes Proteum arbitrium unquam fuisse ventorum quam penes Nereum), Proteus ergo caput extulit undis, ut de Troiae, praesertim autem de ipsius Paridis sorte futura caneret vaticinium. Sed ineptum vaticinium est et deo aliquo „minorum gentium" dignissimum. „Nonne vides" ait „quot quantaque te circumstent pericula; ecce irruunt in te Achivorum fortissimi, certum tibi minitantes exitium: Aiax, Ulysses, Nestor, Sthenelus, Meriones, Diomedes." De Menelao, Philoctete, Pyrrho *οὐδεὶς λόγος*. Aegerrime tamen illi in eiusmodi vaticinio desiderantur: Menelai enim iram gladiumque vix effugit Paris, tandem aut Philoctetis inevitabili est perfossus sagitta aut Pyrrho dedit poenas. Sed quis locus illis quorum longa enumeratur series? An, ubi sermo est de bello Troiano, illustria Achillis, Ulyssis, Aiacis, Nestoris nomina sileri non possunt? Audio;

quamquam Achillis vix mentio hic fit: tantummodo enim aliquamdiu pugnae *non* adfuisse dicitur; Aiax autem, cuius nomen vs. 19 legitur, non Salaminius esse videtur sed Locrus; efficio hoc ex epitheto *celerem sequi*, sed fortasse et hoc ad explendum versum positum est. Neque tamen incredibile Teucrum nominatum esse a poëta, fratrem Aiacem neglectum. An minus ineptum est quod inter illos, a quibus pernicies sit exspectanda Paridi, qui pedum velocitate fere omnibus praestat, et Nestor appellatur, cuius βίη λέλυται, quem χαλεπὸν γῆρας ὀπηδεῖ, cui imbellis sit auriga et βραδέες ἵπποι? Metro convenit istud *Pylium Nestora*: ideo aliis potior ille habetur. Hinc natum illud *celerem sequi Aiacem*, hinc *Laërtiaden exitium tuae gentis*: nam *gentis* suae *exitium* neque visurus est Paris, neque vidit, quum ante equum Troianum factum ceciderit. Hinc *impavidus Salaminius* Teucer dicitur: quod enim minus aptum illi excogitari potuit epitheton, qui sub clipeo fratris latere soleret? Iam nata est eo quo dicebam modo stropha fere plena et perfecta:

Non Laertiaden, exitium tuae
Gentis, non Pylium Nestora respicis?
Urgent impavidi te Salaminius
    Teucer,

Quid addendum videtur potissimum? Iubet metrum: *te Sthenelus*, et nunc una iunguntur Teucer et Sthenelus. Nunquam, ut opinor, hoc fore exspectaverat Homerus. Deëst etiam aliquid versui: parva est lacuna duarum syllabarum, sed totam fere stropham illa peperit. Sic enim poëta pergit:

                                        sciens
Pugnae, sive opus est imperitare equis
Non auriga piger.

Putes de aliquo heroum, qui primas in Iliade egerit partes, sermonem esse. Ad quem nunc est transeundum? Scilicet ad Merionen: hic enim cum utilissima huic loco coniunctione quoque egregie versum explebit. Diu post aurigam tardus incedit Diomedes; ne tamen stomachetur, ornatur primum epitheto melior patre, quod quamquam ab Homero sumptum est tamen *οὐδὲν πρὸς τὸν Ὅμηρον* videtur; deinde integra stropha

Quem tu, cervus uti vallis in altera
Visum parte lupum graminis immemor,
Sublimi fugies mollis anhelitu,
Non hoc pollicitus tuae,

qua non de Diomede vaticinari putes Proteum sed de Menelao, qui nunc miser exulat, quoniam nullam ei sedem reliquerunt commilitones metro habiliores. Sed ne sic quidem ad finem pervenit poëta: quamquam enim sat longum iam exstat carmen, unam stropham etiam addendam esse rectissime perspexit. Taceri enim nullo modo poterat de urbis futuro excidio. Hoc est cur minime cum Peerlkampio faciam ultimam stropham delenti, sed lubenter ei assentior illam praecedentibus, si fieri potest, etiam esse ineptiorem. Iam absurda est sententia: „post certos annos Achaei igne urbem vastabunt, quamquam fatalem illum diem irati Achillis absentia aliquantisper differet." Parva enim, hercle, mora illa fuit. At ineptior elocutio:

Iracunda diem proferet Ilio
Matronisque Phrygum classis Achillei;
Post certas hiemes uret Achaicus
Ignis Iliacas domos.

Audisne poëtam metri difficultate ad incitas redactum?

IV, 6. Carminis Saecularis est prooemium: ineptum, hercle, prooemium carminis ieiuni frigidique! Bipartito illud est divisum: altera parte Apollo invocatur ut carmini Saeculari eiusque poëtae favere velit, altera pueri puellaeque monentur ut in Apollinis Dianaeque honorem pulchre canendo dent operam. In priore parte de unius Apollinis laudibus multus est poëta, Dianae in altera demum fit mentio: parum συμμέτρως, ut vides. Et in illis ipsis quae de Diana dicuntur nihil est ex quo appareat in illius tutela aut urbem Romam esse, aut, id quod prae ceteris demonstrandum erat, puellas Romanas: frugum dicitur dea, venationis, lunae. Sed videamus quo sententiarum nexu carmen cohaereat. Paucis verbis dici potest. „O pueri" poëta ait „puellaeque, pulchre canite in Apollinis Dianaeque honorem, tum vestrum, puellae, ubi nuptae iam eritis, unaquaeque dicere poterit: ego in deorum honorem Horatii carmen saeculare cecini." Quid sensu cassum est nisi hoc est? Et quorsum istud nupta? Rectissime illud hic sedem suam haberet, si in Dianae laudibus aliquid legeretur simile Catulliani:

Tu Lucina dolentibus
Iuno dicta puerperis

vel Horatiani:

Quae laborantes utero puellas
Ter vocata audis adimisque leto.

At metrum eiusmodi aliquid iam non admittebat. Observemus praeterea locutiones: 27 Dauniae decus Camenae, 35 Lesbium pedem, 36 pollicis ictum, 30 artem carminis nomenque poëtae, 44 docilis modorum; videbimus summam huius quoque prooemii laudem in eo ponere poëtam quod difficilia illa Graecorum metra Latine sit imitatus. Sed redeamus ad versus 1—28, quibus Apollinis imploratur

auxilium. De Niobe poenas sumpsit Apollo. (Non, hercle, hic habet quod glorietur deus: nihil enim unquam fecit crudelius immaniusve). Tityum vicit, Achilli letale intulit vulnus. Sed quid haec omnia ad urbem Romam eiusque ferias? Hoccine ignoras? Nihil tamen intellectu facilius. Explicabit poëta: „Nisi in tempore cecidisset Achilles, non superstes fuisset Troianae cladi Aeneas. Achilles enim ferro et igne vastasset omnia, pepercisset nemini, cum matre etiam puerum nondum natum interfecisset." An ergo illi qui in equo Troiano latuerunt quique ab illis in urbem sunt introducti Achille fuerunt clementiores? Achilles, ut opinor, a se impetrare non potuisset ut Priamum, quem olim hospitio excepisset, in sanguine filii mactaret. At potuit Pyrrhus filius. Denique ideone Aeneas superstes fuit quod non vi sed dolo urbs capta est? Id enim diserte declarat poëta his verbis:

Ille non inclusus equo Minervae
Sacra mentito male feriatos
Troas et laetam Priami choreis
    Falleret aulam,
Sed palam captis gravis, heu nefas, heu
Nescios fari pueros Achivis
Ureret flammis, etiam latentem
    Matris in alvo.

At quid attinet quo modo capta sit urbs? Post enim urbem captam miseri Troiae incolae caedi et interfici coepti sunt. At illud ipsum „Achillem cadere opus erat ut salvus esse posset Aeneas" quomodo enuntiavit poëta? Audiamus ipsum:

Ni tuis flexus Venerisque gratae
Vocibus divum pater annuisset

Rebus Aeneae potiore ductos
Alite muros.

Quod tum demum veritati convenienter dictum esset si Iupiter, Veneris et Apollinis precibus motus, Achillem fulmine percussisset. At illum sagitta interemit Apollo, non rogatus sed ob caedem Troianorum Achilli iratus. Possum sic cetera persequi, sed iam haec sufficere videntur.

Ad aliud carmen transeo, quod et eodem fere tempore compositum est atque id de quo modo dicebam (est enim et ipsum libri quarti), et illi quod e L. I attulimus (c. 15) propter frequentem belli Troiani mentionem dici potest cognatissimum. Nusquam magis de sensu eorum quae diceret securus fuisse, dummodo metrum Graecis exemplis responderet, poëta videtur. Sic enim Lollium amicum (Libri quarti nonum est carmen) alloqui incipit: „Noli metuere, mi Lolli, ne carmina lyrica mea, quod ego genus primus Latio ostendi, in oblivionem abeant." Est ergo quod suspiceris iam antea saepius Lollii laudes ab Horatio carmine lyrico esse celebratas. At nusquam huiusce Lollii praeterea mentio fit nisi Epist. I, 20, 28, nihilque in eo versu laudis est: anni enim indicandi causa scriptum est

Collegam Lepidum quo dixit Lollius anno.

Sed utut est, illum metum ut amico demat hoc fere utitur argumento Horatius: „licet Homerus ceteris omnibus cuiusvis generis poëtis palmam praeripiat, tamen minime poëtarum lyricorum interiit fama: Pindari, Simonidis, Alcaei, Stesichori, Anacreontis, Sapphus." Profecto idoneum est hoc argumentum eoque magis laudandum quod egregiis versibus est exornatum:

Non, si priores Maeonius tenet
Sedes Homerus, Pindaricae latent
  Ceaeque et Alcaei minaces
    Stesichorique graves Camenae,

Nec siquid olim lusit Anacreon
Delevit aetas; spirat adhuc amor
  Vivuntque commissi calores
    Aeoliae fidibus puellae.

Vides hactenus artissimo omnia cohaerere vinculo. Quid autem sequitur? Quatuor strophis continuis hanc defendit sententiam poëta: „Res quas Homerus narravit non sunt in suo genere antiquissimae, sed quae illas aetate antecedunt oblivionis nocte premuntur, quia vate caruerunt." Huic autem sententiae quis locus post priorem illam de lyricis poëtis non prae Homero contemnendis? Et cuiusmodi sunt argumenta quibus confirmatur? Dicam aperte: absurdissima et eiusmodi ut nullo negotio infirmari et perverti possint. Persequamur singula.

„Non prima adultera fuit Helena." At enim quae de ea narrat Homerus non eiusmodi sunt ut praesertim culpam eius et male factum in clara ponere luce velle videatur: de bello ob eam gesto narrat, de ipsa raro loquitur, neque tamquam de adultera sed tamquam dignissimo tanti certaminis pretio. Sed hoc mittamus. Nonne tota illa adulterae mentio inepte in hac enumeratione ponitur? Exemplis enim demonstraturus est poëta egregios viros qui ante Homerum vixerint posteris notos esse non potuisse quia laudes eorum a nullo poëta essent celebratae.

„Non Teucer" primus „tela Cydonio direxit arcu." Lubenter credo, sed quid tum? Ergone qui ante Teucrum egregii fuerunt sagittarii noti iam non sunt? Immo vero

Herculem et Eurytum aliquanto Teucro celebriores esse credo.

Continuo sequitur: „Non semel Ilios vexata". Dicere voluit poëta, ut opinor, expugnata, capta, sed metrum ei extorsit illud vexata. Ridicule Teucer, qui apud Homerum nil sine fratre potest, nunc totum bellum Troianum urbemque Troiam solus secum trahit. Et quid sibi istud „non semel Ilios vexata" vult? Primum a Neptuno ager Troianus aquis submersus est, deinde ab Hercule capta est urbs, postremo urbem iterum expugnarunt communes Graecorum copiae. Quis hoc ignorat? Nemo, ut opinor. Apparet ergo etiam multas res quae ante Agamemnonem evenerunt immortalitatem quandam esse assecutas.

Habemus igitur totum bellum Troianum, habemus Teucrum. Quinam praeter illum afferuntur tamquam praeclarae virtutis exempla? E Graecis Idomeneus cum Diomedis auriga Sthenelo (in libri I, c. 15 simul Diomedes nominatur cum Idomenei auriga Merione). Tribus illis Teucro, Idomeneo, Sthenelo opponitur e Troianis praeter Hectorem Deiphobus. Quae causa esse potest cur illi potissimum Graecorum heroes afferantur, qui in Iliade secundas agunt partes? Praeclarum ad hanc quaestionem responsum et Oedipode aliquo dignum apud recentem quendam Horatii inveni commentatorem. „Varietati" ait „Horatius consulit: nimis enim iam decantata sunt Achillis, Aiacis, Diomedis nomina; eodem consilio Hectori addit Deiphobum, qui tamen et apud Dictyem tamquam primarius vir memoratur, minime est, id quod Peerlkampius dicit, minorum gentium." Vides quam mirifice vir doctus, dum Peerlkampium refellere studet, sibi obloquatur. Illud tamen de Deiphobo verissimum, qui apud Homerum (XXII, 234) Hectori est πολὺ φίλτατος

γνωτῶν οὓς Ἑκάβη ἠδὲ Πρίαμος τέκε παῖδας.

Posthomerica autem poësis, qua interempto Paride Helenam uxorem duxisse fingitur, eum Troianorum primum facit: nemo ergo dignior qui simul cum Hectore nominetur. Atque hic quidem facile fuit metrum Alcaicum et id quod dicendum erat libenter recepit; ubi de Graecis agebatur non eos admittebat quos postulabat argumentum: rationem ergo habuit poëta non dignitatis sed nominum.

His iam ita expositis quae de aetate antehomerica dicta sunt una comprehendit stropha:

> Vixere fortes ante Agamemnonem
> Multi: sed omnes illacrimabiles
> Urgentur ignotique longa
> Nocte, carent quia vate sacro.

Quod elegantissime enuntiatum est; minime verum esse supra iam demonstravimus.

Apte illi adiungit sententiam communem

> Paulum sepultae distat inertiae
> Celata virtus

quam eleganti coniectura sanare conatus est Bentleius, *inertiâ* pro *inertiae* scribens; et elegantiore etiam Peerlkampius *sepulti* pro *sepultae* reponens hoc sensu: „Virtus hominis sepulti, si celata sit neque ad posterorum notitiam venerit, paulum distat ab inertia. Parum refert fuerisne homo fortis an iners, κάτθαν᾽ ὁμῶς ὅ τ᾽ ἄεργος ἀνὴρ ὅ τε πολλὰ ἐοργώς, nisi tuae laudes post mortem tuam a poëtis vulgentur. Dum vivis, tui aequales de te loquuntur, de inertibus silent. Inertes iam tum sepulti sunt. Sed quum et tu morieris, in eodem eris silentio in quo sunt inertes, quia vate cares, tua gloria per vatem ad nos non pervenit." Sed harum sive alterutra probatur sive neutra, quid poëta voluerit satis est perspicuum. Tum se denuo ad Lollium

convertit et: „ego” ait „ne tua virtus lateat in obscuro cavebo.” Recte hactenus. Sequitur Lollii virtutum enumeratio frigidissima ineptissimaque, quam qui uno loco emendare conati sunt viri docti mihi operam perdidisse videntur. Primaria autem Lollii virtus est abstinentia, divitiarumque contemptus. Illam ergo lectoribus commendat poëta et ita longo carmini imponit finem. Poëmane facere hoc est an pannos pannis assuere?

Duo iam exempli causa attulimus carmina ex eo libro, quem ab Augusto rogatus tribus antea scriptis poëta addidit, quem ergo eo tempore composuit quum ceteris sibique ipsi *αὐτὸς ἑαυτοῦ δεινότατος* esse videbatur. Praemisimus disputationem de carmine quodam e primo libro, quod si certo sciremus — id quod viri docti nonnulli statuunt — primum aut inter prima ex hoc genere a poëta in lucem esse emissum, tota Horatii ars lyrica qualis ab initio ad finem fuerit sciremus. Exemplis enim docuissemus, quo malo laboraret Horatius, quum primum poësin lyricam tangere coepisset, illo ne post longam quidem variamque exercitationem liberum eum fuisse: semper metro eum serviisse, nunquam adeo omnes eius superasse difficultates ut quod vellet dicere apte, eleganter, perspicue dicere posset. Sed de tempore carminis I, 15 nihil constat: aliud ergo tractandum mihi sumam, de cuius aetate nulla esse possit dubitatio; quod ubi eiusdem vitii esse exemplum certissimum valdeque perspicuum demonstravero, postremo, ut tamquam cumulum huic addam disputationi, tertium libri quarti eodem percurram consilio. Quodsi cui nimis aperte nimisque confidenter locutus videbor, nolim me in arrogantiae vocet suspicionem; scribo enim timoris plenus, neque unquam quis sim obliviscor; sed brevitati et perspicuitati est consulendum, ergo interdum

demonstrandi et docendi verbis utor tamquam de re certa, non de eius suspicionibus qui ab aliis meliora doceri cupiat. Neque tamen suspiciones illae nuper mihi natae sunt; diu multumque eas mecum pensitavi, tandem aliquando post saepissime repetitam Horatii lectionem proferre in medium audeo. Sed ad propositum est transeundum.

II, 1. Scriptum esse hoc carmen, si iam post proelium Actiacum, certe haud multo postea, iure viri docti hoc praesertim demonstrant argumento, quod in eo agatur de „fraterno sanguine nondum expiato", quibus verbis Horatius usus non esset si iam aliquamdiu pacis defensorem, quietis securitatisque tutorem se praestitisset Augustus. Referendum ergo carmen ad annum 31 vel 30, i. e. pleraque alia aetate haud parum antecedit. Nemini ergo incredibile videri potest in eo multa deprehendi indicia e quibus appareat prima fere nunc in hac arte pericula fecisse poëtam, multaque ei excidisse quae aut parum essent apta, aut obscura, aut dubia. Recenseamus singula.

Pollionem partem quandam historiae Romanae scripturum sic alloquitur Horatius:

Motum ex Metello consule civicum
Bellique causas et vitia et modos
  Ludumque Fortunae gravisque
    Principum amicitias et arma

Nondum expiatis uncta cruoribus,
Periculosae plenum opus aleae
  Tractas et incedis per ignes
    Suppositos cineri doloso.

Ex Metello consule. Admodum hic in tempore indicando infelix fuit poëta. Quotus enim quisque ex Horatii

aequalibus fastos consulares adeo in promptu habebat ut statim sciret de quo Metello hic esset sermo. Et si iam statim scirent omnes, quam parum poëtice dictum est motum ex Metello consule. Idem est ac si diceret: anno urbis 694. Nec solum pedestrem sermonem refert caretque ea elegantia quam quivis flagitat versus, sed etiam ineptum est. Requiritur aliquid eiusmodi quod statim lectori ante oculos ponat belli civilis initium, aliquid quod belli dederit ansam vel primum belli signum fuerit, velut: Rubicon traiectus; principum virorum Caesaris et Pompeii alienatio, nimia alteriusutrius potentia. Quidquid ex hoc genere dixisset poëta melius esset quam puerile istud ex Metello consule.

Vitia. Versum explet haec vox, sensu caret. Nullus enim ei locus est, ubi de bello civili agitur. Imperator qui bellum gerit cum barbaris interdum vitium aliquod committit: imprudenter hostes adoritur, proelii egregiam occasionem praetermittit, hostes pulsos iam et in fugam conversos e manibus elabi patitur, cetera huiuscemodi; eaque scriptor Romanus cum dolore quodam commemorat. Saepe quoque stultitia peccant hostes: Hannibal quum urbem capere posset ea facultate in tempore uti neglexit, otiosus desidebat Capuae, milites suos nimio corrumpi luxu sinebat. Ne ea quidem referre negliget Livius aliquis. At bellum civile totum triste est, miserabile, lacrimosum. Nihil in eo laetum est, nihil quod magis quam cetera omnia scribenti, legenti, reputanti moveat dolorem. De Caesaris autem erroribus, ut ad bellum civile de quo hic agitur transeam, otiosum sit dicere, qui adversarii copias fugarit, disperserit, profligarit. At sua culpa effecit Pompeius ut Caesar tam splendidam reportaret victoriam. Faciamus prorsus ita se rem habere: an ergo errores ab eo commissos vitia appellare potest historicus sub

Augusto scribens? Eiusmodi vocabulo si uteretur, fere hoc diceret: „quam doleo quod Pompeius tum non magis fuit cautus, diligens, strenuus: victoriam enim de Caesare reportare potuisset". An poëtam breviter illud bellum describentem istud decebat vocabulum? Minus etiam, ut opinor, quam historicum: hic enim eo utentem facere poterat aliquem e Pompeii partibus. Sed quod non decebat tamen dicere metro cogebatur.

Vs. 5. Arma nondum expiatis uncta cruoribus. Languida et nimis verbosa locutio. Dicendum fere erat: arma etiam fraterno sanguine madida, vel arma nondum expiata. Id posuit poëta quod plenum efficeret versum Alcaicum.

Vs. 6. Periculosae plenum opus aleae. Nonne his verbis ipsum bellum civile significatur? Vix dubitari potest; sed si ita est, etiam ignes suppositos cineri doloso ad idem bellum est referendum. Parum apta, hercle, imago! Ea enim nulla alia res indicari potest quam illa quae primo aspectu tuta videtur atque eiusmodi ut sine ullo periculo tangi tractarique possit, revera autem perniciem affert pestemque. Et est haud dubie omnium malorum causa bellum civile, sed cuinam, obsecro, mortalium videri unquam potuit non periculosa? An ergo hoc vult Horatius (quod suspicati sunt nonnulli) ipsi Pollioni periculosum esse illius belli historiam scribere; exstinctum enim bellum videri magis quam esse; metuendum esse ergo ne flamma eius aliquando in scriptoris exitium erumpat? Lepida ea esset sententia et venuste enuntiata. Sine imagine enim hoc diceret Horatius: „Periculum est, mi Pollio, ne imprudenti tibi aliquid excidat quod iram nonnullorum movere possit. Vivunt enim multi qui bello civili interfuerunt, vivit etiam in nonnullorum animis pristini odii aliquid: non adeo ex-

stinctum bellum est ut libere sententiam de eo dicere possis.” Sed eiusmodi periculum si Horatius indicare voluisset, hanc addidisset admonitionem: „Noli illud tangere argumentum; quin potius tragoedias scribere perge: illae tibi molestiarum nil parere possunt.” Nunc vero contrarium sequi videtur; videtur, aio, nam poëtae non contigit ut verba inveniret, quae simul metro apta et perspicua essent.

Vs. 9. Paulum severae Musa tragoediae desit theatris. Si ergo Pollio tragoediam paulisper omittit et interea historiam scribit, per illud tempus totane tragoedia vacat? Planene tum tragoediae Musa abest? Urbana et venusta ea nonnullis videtur locutio, mihi absurdissima. Idem et Peerlkampio visum, qui, ne poëta ineptiret, ea verba sic esse interpretanda suspicatus est ut sermo esset de Historiae Musa: bella enim civilia tragicam rem esse et Pollionem tumido usum esse scribendi genere, eodem quo Theopompum, de quo Plutarchus: ὡς γράφει καὶ τραγῳδεῖ Θεόπομπος. Acutissimi, hercle, viri suspicio, minime tamen, ut opinor, probabilis.

Ubi publicas res ordinaris. Non potest alius horum esse verborum sensus quam hic: ubi historiae Populi Romani partem ordine pertractaveris. At quis unquam, cui non metri difficultas bene loquendi facultatem ademisset, sic est locutus? (Alterum locum ubi ad istud verbum ordinandi confugere cogitur Horatius supra attuli.)

Vs. 13. Insigne maestis praesidium reis
Et consulenti Pollio curiae,
Cui laurus aeternos honores
Delmatico peperit triumpho.

Omnes hae Pollionis laudes recte et iure hic locum suum obtinerent si praecederet aliquid in hunc modum: „Dum

historiae scribendae operam dabis vacandum tibi erit ab iis muneribus quibus apud cives egregiam famam es consecutus." Quod licet a scribendi consilio revocantis esset magis quam adhortantis, tamen enumeratio, quae nunc sine ulla causa interiicitur, multo etiam ineptior videtur.

Vs. 17—24. Ergone tragoediam facturus est Pollio, vel carmen heroicum? Hoc credas propter versus 17—20:

Iam nunc minaci murmure cornuum
Perstringis aures, iam litui strepunt,
Iam fulgor armorum fugaces
Terret equos equitumque vultus,

illud, licet in praecedentibus iterum iterumque significatum sit tragoediarum scribendarum laborem per aliquod tempus a Pollione interruptum iri, propter versus 21—24:

Audire magnos iam videor duces
Non indecoro pulvere sordidos,
Et cuncta terrarum subacta
Praeter atrocem animum Catonis.

Sed fingamus a Pollione exspectare Horatium librum historicum ad commovendos animos aptissimum, in quo proelia aciesque tanto describantur artificio ut adesse sibi lector videatur et principes viri identidem πάνυ δραματικῶς tamquam in scenam introducantur, non gladio tantum sed etiam verbis pugnaturi. Sic prior tantum stropha (17—20) probabitur, altera vero (21—24) minime. Quid enim? Audire magnos iam videor duces. Quid facientes illos audire sibi Horatius videtur? Orationem, ut opinor, habentes qua milites vel adhortentur, vel laudent, vel consolentur. In medio enim versantur bello, quippe qui sint non indecoro pulvere sordidi. Quod et ipsum satis absurde dictum videtur.

Caesorum hostium cruor militi decori esse potest; *pulvere* oppletur non quivis viator solum sed etiam miles qui turpi fuga hostem evasit. Videtur autem istud *pulvere* de industria posuisse poëta ut vocabulum *sanguine* evitaret: ipse enim, ut opinor, egregie sensit quam absurdum esset primum dicere civilia arma *nondum expiatis* esse uncta cruoribus, deinde subito affirmare fraternum illum sanguinem illis qui profuderunt honori laudique fuisse. Igitur alteram absurditatis partem sustulit, totam tollere non potuit: quum enim de re tam tristi quam bellum civile est loquimur, laetis *honoris, laudis, decoris* vocabulis est abstinendum. Addit autem:

> Et cuncta terrarum subacta
>   Praeter atrocem animum Catonis.

Quo modo haec cum praecedentibus cohaerent? Vellem Horatius scripsisset quod coniecit Peerlkampius:

> Sudare magnos iam video duces,

ita gravissimo liberaretur vitio poëta. Sed quin scripserit id quod nunc legimus quis dubitare audeat? Illud autem eiusmodi est ut quo magis de eo tecum deliberes, eo magis mireris poëtae excidere potuisse. Quid enim? *Magnos duces non indecoro pulvere sordidos* et *cuncta terrarum subacta praeter atrocem animum Catonis*, sibi simul audire iam videtur Horatius; haec ergo *simul* audiet lector, *eodem tempore* aio et *simul*: ambae enim res ita ab Horatio proponuntur, tam arto connexae vinculo, ut quin tempore, loco, genere coniunctissimae ab eo fingantur non possit dubitari. Quid ergo? Simul audimus duces (Caesarianarum, ut opinor, partium) orationes habentes et .... quid, quaeso? An e diversissimis accurrentes provinciis

nuntios qui Caesarem certiorem faciant totum orbem terrarum iam esse subactum? Sed quo illud praeter atrocem animum Catonis vertamus? An nuntiorum unus, quemadmodum in fabulis fit Euripideis, suprema Catonis verba referet et quanta se ille constantia percusserit narrabit? Vel sic tamen — et est ut vides explicatio sat longe arcessita — istud praeter atrocem animum Catonis contorte, obscure, ambigue dictum est pro: „Catonem, quum iam totus orbis terrarum subactus esset, tamen et verbis et morte invictum testantem animum".

25—28 Iuno et deorum quisquis amicior
Afris inulta cesserat impotens
Tellure, victorum nepotes
Rettulit inferias Iugurthae.

„Iugurtha" docti commentatores aiunt „de industria hic a poëta nominatur: noluit Carthagini dicere vel Hannibali, quoniam eo tempore Iugurthini belli memoria multo erat recentior apud Romanos quam Carthaginiensis". Nullam unquam vidi annotationem qua magis aperte dissimularetur id quod dicendum erat. An serio quisquam credere potest ullum unquam Romanum ullo tempore Carthaginis et Hannibalis esse oblitum? Vivebant, ut opinor, ea nomina quamdiu stetit imperium Romanum; et etiam plane indocti illa semper in ore habebant; sed facile fieri potuit ut mox unus et alter in literis parum versatus quis Iugurtha fuisset nesciret. Quin potius confiteamur, id quod obtegi doctis commentis nunquam poterit, ideo hic Iugurtham positum esse quia metrum Hannibalem et Carthaginem non admittebat. Sed tota ista Africae commemoratio quorsum hic iniicitur? Hoccine Africae solatium fuit pristinae cladis a Romanis acceptae quod sua terra Romano maderet sanguine? Nullaene

ergo ipsius in bello civili partes fuerunt? Nonne simul cum Romanis ingens Afrorum multitudo cecidit; nonne rex Iuba acerrime causam Pompeianam defendit?

Quis non Latino sanguine pinguior
Campus sepulcris impia proelia
  Testatur auditumque Medis
    Hesperiae sonitum ruinae?

Qui gurges aut quae flumina lugubris
Ignara belli? Quod mare Dauniae
  Non decoloravere caedes?
    Quae caret ora cruore nostro?

De imperii Romani interitu sermonem esse putes. Quis enim alius esse potest versuum sanguinis cruorisque plenorum sensus, quum praesertim in illis etiam haec inveniantur verba Hesperiae sonitum ruinae? Quid post illud cuncta terrarum subacta ineptius excogitari potuit quam strophae tam lugubres et lacrimosae? Sed, quod ad sanguinem illum pertinet, ubinam historiae suae finem facturus est Pollio, vel potius facturum eum fingit Horatius? Satis perspicua res est. Tria enim in ipso carmine leguntur quae certa sunt chronologiae indicia: cuncta terrarum subacta, Africa et atrocem animum Catonis. Haec omnia ad Caesaris cum Pompeio eiusque legatis, amicis, sociis proelia pertinent. Ergo ubi Caesaris omnes adversarios profligatos ipsumque imperium firmum et stabile nactum narraverit nil amplius addet Pollio. At de sanguine Romano a Romanis profuso tot lamentatur versibus poëta: ergone Caesaris victoria et imperium tristissimae illi rei modum statuerunt? Haud opinor. Post enim Caesarem occisum denuo fraternus sanguis fluxit, vel potius tum demum fluere

coepit. Ita certe Horatio visum, qui, hoc carmine excepto, de Caesaris Pompeiique bello tacere solet, de proeliis inter Octavianum et Antonium eiusque socios tamquam de causis acerbissimae crudelitatis permultis locis queritur (cf, e. c. Ep. 16 scriptus a. 41, et 7, scriptus a. 33). Praeterea notandum, ut supra Iugurthae pro Carthagini, ita hic Dauniae pro Romanae metri causa esse positum.

Inepto carmine dignissima est ultima stropha

Sed ne relictis, Musa procax, iocis
Ceae retractes munera naeniae,
Mecum Dionaeo sub antro
Quaere modos leviore plectro.

Relictis iocis. Quid? usquamne professus est Horatius se nil scripturum quod non iocosi esset generis? Si fecisset tamen non dici posset hoc carmine scribendo propositi sui fuisse immemor. Non enim admodum triste vel lugubre eius est argumentum. Nam sic fere loquitur poëta: „Tu, Pollio, de bello civili librum scripturus es; difficilis, hercle, labor! Quot enim tibi proelia erunt narranda, quantae crudelitatis facienda mentio! Heu, ipsi cives mutuis ceciderunt vulneribus." Quae causa est cur nunc ad semetipsum se convertat Horatius seque adhortetur ut triste istud argumentum quam primum omittat? Hoc fere eum voluisse suspicor: „Tu, Pollio, de horrendo illo bello civili scripturus es; egone ut unquam eiusmodi tangam materiam! Absit omen. Leviora mihi carmina placent de amore, vino, epulis. Tibi bene succedat, precor, quod inchoasti, ego tecum de palma certare non conabor", sed metro coactum prave id enuntiasse. Nam, ut strophae sententiam paulisper omittamus, quam multa habet inculcata inania. Musa procax. Cur procax? An quod Horatii Musa procax esse solet? „Quia nunc

extra fines ei positos vagatur" viri docti aiunt. „Quia metro conveniebat" dicendum erat. Ceae retractes munera naeniae. Docte, hercle, dictum hoc est et ita ut vix quisquam aequalium quid sibi vellet poëta dicere potuerit. Meliores versus facere poterat Peerlkampius, qui coniecerit: Ceâ retractes vulnera naeniâ; sed ea coniectura ipsius Horatii, non indocti scribae errorem correxit. Dionaeo apte versus lacunam implet sed cum sententiae detrimento.

His addam nonnulla de carmine quodam libri quarti et sic toti capiti imponam finem. Est autem carmen quartum. „Rhaeti" poëta ait „et Vindelici" (vel „Rhaeti Vindelici" vel „Vindelici sub Alpibus Rhaetis": parva enim vitia in hoc quidem carmine parum curanda censeo) „Drusum bellum gerentem viderunt iuvenis aquilae leonisve instar". Haec quidem sententia sanissima est, sed videamus quo modo imago exornetur. Pro ipso aquilae nomine poëta dicit: ministrum fulminis alitem, quibus verbis explicandi gratia hi adduntur versus:

Cui rex Deorum regnum in aves vagas
  Permisit expertus fidelem
    Iuppiter in Ganymede flavo

quos Peerlkampius cum altero sequentis strophae versu delendos censet atque ita e duabus strophis unam facit. At enim supra iam demonstravimus strophas „explicativas" Horatio non displicuisse. Compara mihi versus a Peerlkampio deletos cum his e libro I, 22:

Quale portentum neque militaris
Daunias latis alit aesculetis
Nec Iubae tellus generat, leonum
    Arida nutrix,

eiusdem esse poëtae agnosces. Poëta ergo planum facere volebat quam avem verbis *ministrum fulminis alitem* significaret: explicationem autem dedit, quam ineptissimam et ab hoc loco alienissimam esse Peerlkampio lubens assentior. Quae enim ratio intercedit inter aquilae fidem raptumque Ganymedis et spectatam in Druso fortitudinem? Aquila autem et leo nunc primum nidum relinquunt matremque, et sui faciunt periculum in currendo volandoque. At Drusus iuvenis quidem est sed tamen annum aetatis agit vigesimum tertium. Sed hoc quidem, quoniam minus grave est vitium quam cetera omnia, mittamus. Quo modo autem Drusus bellum gerit, quem cum aquila vel leone agnos capellasque laniante poëta comparat? Exspectes huiuscemodi aliquid: „hostes terribili eius impetu perculsi, immo fulminea horrendi adversarii vi obstupefacti sunt et prae metu vix se commovere possunt". Quid vero poëta? Barbaras gentes dicit *consiliis* iuvenis *revictas* didicisse quae esset bonae educationis utilitas. Ineptissima haec esse aliquatenus sensit Bentleius, qui pro *revictae* coniecit *repressae*. Sed hoc quidem est morituri reduviam curare. Nam maiorem quidem vim habet *repressae* quam *revictae*, sed intactum reliquit Bentleius vocabulum multo magis improbandum *consiliis*. Illo enim, licet multis modis in nostram aliamve linguam hodiernam verti possit, tamen semper et ubique quaedam mentis deliberantis sapientia indicatur. Multo igitur melius eo utaris ubi de duce aliquo natu maiore, quem usus belli prudentem fecit, loquaris, quam quum iuvenem ipso ardore hostes vincente laudare velis.

Barbari ergo a Druso victi didicere quantum valeret bona educatio. At, per deos immortales, quid pulchris imaginibus factum est quae tantis ambagibus tantoque ornatu in primis strophis sunt propositae? Quo terrarum evaserunt?

Aquilae leonisve iuvenis instar Claudius cum barbaris bellum gessit: hi enim ab eo oppressi quid educatio posset sunt experti. Quis unquam eo nomine leones aquilasve laudari audivit quod tantam liberis suis instruendis docendisque adhibeant operam?

Sed, utut est, ad educationem pervenimus, qua via vel potius quo saltu nunc non rogo. Hinc quomodo ad Drusum et Augustum apte transiri posset poëta quaesivit: tamquam vinculo ergo usus est hac observatione morali: „fortium parentum fortis esse proles solet, sed accedere debet bona educatio." Nimirum de educatione in hoc carmine prorsus sileri non poterat: pars enim laudis, qua Drusus ornatur, utcumque ad Augustum erat referenda. Sed totam illam observationem accuratius aspiciamus: quam prava eius sit enuntiatio statim apparebit:

Fortes creantur fortibus et bonis
Est in iuvencis (!), est in equis patrum
Virtus, neque imbellem feroces
Progenerant aquilae columbam:

Doctrina sed vim promovet insitam,
Rectique cultus pectora roborant.
Utcumque defecere mores,
Dedecorant bene nata culpae.

Quid, quaeso, ultimi versus significant

Utcunque defecere mores,
Dedecorant bene nata culpae?

Quis alius sensus ab eo qui recte interpretatur inde peti potest quam hic: „Si Augustus homo nequam fuisset, ebrio-

sus, mulierosus, helluo, egregia Claudiorum indoles parum Druso profuisset: patris enim adoptivi similis factus esset"? Id autem non voluisse poëtam perspicuum est, ut opinor; sed aliud in mente habebat, aliud est elocutus.

Nunc observatio illa moralis a poëta illustratur, immo altera eius pars: de bonae enim educationis utilitate siletur, quam nobilis sit Drusi gens, quam egregiis ille sit ortus parentibus et proavis narratur. Argumento autem utitur poëta proelio apud Metaurum. De eo proelio quae dicuntur maiorem totius carminis partem explent, eamque partem multo praecedentibus praestare neque ego nego neque quemquam negaturum opinor. Insunt enim quaedam egregie dicta versusque omnium admiratione dignissimi. Neque tamen vitiis iisque admodum gravibus est immunis. Quod enim de versu 41

Qui primus alma risit adorea

observat Peerlkampius tam verum est, tam extra omnem dubitationem positum, ut vulgo hac quoque in re ei doctos commentatores obloqui mirari satis non possim. Ante proelium apud Metaurum alias clades acceperunt Carthaginienses, quibus illud tamquam cumulus accessit effecitque ut prorsus spem deponeret Hannibal. Recte ergo et historiae convenienter Hannibalem dicentem inducit Horatius:

Carthagini iam non ego nuntios
Mittam superbos: occidit, occidit
Spes omnis et fortuna nostri
Nominis Hasdrubale interempto.

Sed quae de eo proelio praecedunt omnia sunt susque deque habita: „Post Carthaginiensium in Italiam adventum primus laetus affulsit dies quo ad Metaurum pugnatum est, inde

fortuna perpetuo Romanis fausta fuit neque novo ullo interrupta damno. „In ea autem fortunae constantia significanda parum felix poëta fuit. Haec enim dicit:

Post hoc secundis usque laboribus
Romana pubes crevit et impio
Vastata Poenorum tumultu
Fana deos habuere rectos.
Dixitque tandem perfidus Hannibal:

Quis autem, nisi sententiarum nexu coactus, verba secundis usque laboribus Romana pubes crevit de perpetuis Romanorum victoriis accipienda suspicetur? Quis hic locus adiectivo perfidus? Exspectes enim aliquid in hanc sententiam: „Hannibal qui semper antea tam sibi fortunaeque suae confidebat". Quam inepte denique Hannibal de fortunae suae constantia tum demum dubitare coepisse dicitur quum iam fana deos habuere rectos, i. e. quum Romani securi iam et metu liberi omnia vastatae ab eo Italiae vestigia deleverant. Quid quod vocabula fana deos habuere rectos salva Latinitate non possunt significare id quod dicere voluisse poëtam liquido apparet. Fana enim rectos habentia deos bene opponuntur templis illis quae primo urbis Romae tempore fuerunt, quum

Iuppiter angusta vix totus stabat in aede.

Sunt ergo templa maiora et magnificentiora quam pro vetusta simplicitate, non templa deletorum templorum loco posita. Sed gravissimum est quod allatis versibus vehementer vis fit historiae: „Post Metaurum semper bene rem gesserunt Romani, tandem exclamavit Hannibal e. q. s." Nonne hic de proelio ad Metaurum id dicitur quod de proelio apud Nolam, quod octo annis ante fuit, dicendum erat? Hoc enim

die, ut ait Livius (XXIII, 16, quem locum affert Peerlkampius) „ingens res, ac nescio an maxima illo bello gesta sit. Non vinci enim ab Hannibale vincentibus difficilius fuit quam postea vincere". Rectissime ergo Nolanum proelium comparat Peerlkampius cum Briliae oppidi expugnatione, quam grata nostratium memoria celebrare solet tamquam ereptae e crudelissimorum tyrannorum dominatione patriae initium. Hic vero non de Nolano proelio verum de proelio ad Metaurum eiusmodi aliquid dicitur: „primus ille laetus Romanis dies fuit; multi alii sunt secuti, tandem dixit Hannibal: e. q. s." Si ergo Horatio auctore utaris, Metaurense proelium cum Briliae expugnatione compares: ea autem ut laeta res ita ominis instar fuit magis quam victoriae certam afferentis securitatem. Poëta ergo, si sibi saltem constare vellet, uti illo proelio poterat ad demonstrandum Claudios fuisse diis immortalibus dilectissimos; ad demonstrandum praeclaram eorum fuisse in bello operam non poterat. Sed parum utrum sibi constaret an ridicule obloqueretur curasse videtur. Qui enim modo dixerit proelium ad Metaurum felicitatis Romanae fuisse initium ergoque, nisi et aliae secutae essent victoriae, mediocrem tantummodo illam Hannibali futuram fuisse cladem, subito veritati historicae manus dat, Hannibalemque ad summam desperationem redactum inducit lamentantem:

Occidit, occidit
Spes omnis et fortuna nostri
Nominis Hasdrubale interempto.

Quid est aliud versus conflare de eorum sententia securum nisi hoc est? Quid attinet eiusmodi carmen emendare velle aliquot eiectis versibus? De versibus autem 2—4 et 6, quos damnat Peerlkampius, iam vidimus: illos neglecta

Peerlkampii sententia retinent hodierni editores; rectissime, ut opinor. Sed quid est cur ei haec verba

quibus
Mos unde deductus per omne
Tempus Amazonia securi
Dextras obarmet, quaerere distuli,
Nec scire fas est omnia; sed

damnanti plerique assentiantur? Num hi tanto illis sunt absurdiores? Nonne et ipsi explicandi causa sunt additi? Significare enim voluit poëta Vindelicos securi esse armatos, et in ea re magnis ineptisque eum uti ambagibus minime nego, sed et alibi utitur. Accedit quod illis deletis vinculum perit quo hic minime carere possumus. Subitus enim ille transitus, qui est in iis quae remanent

Videre Rhaeti bella sub Alpibus
Drusum gerentem Vindelici: diu
Lateque victrices catervae
Consiliis iuvenis revictae
Sensere e. q. s.

ab oratione et stilo Horatiano alienissimus esse videtur.

CAPUT TERTIUM.

„In eiusne ergo carminibus" ita iam non sine indignatione quadam interpellaturos opinor lectores nonnullos „tu tot tam gravia tibi deprehendere visus es vitia, eumne tu versificatorem potius quam poëtam appellandum censes, quem non solum sequentia hominum saecula ardenti coluerint favore, sed etiam aequales, optimi de poëtis iudices, tantopere sint admirati ut certatim tamquam flosculos ab eo sumerent quibus libros suos exornarent?" Non me tam inique de Horatio iudicare quam nunc etiam videri possim postea apparebit, sed etiamsi totam eius poësim condemnandam censerem, isto certe, quod ex aequalium iudicio petitur, argumento de sententia non depellerer. Quid quod (nisi sedulo recentiorum de Horatio lucubrationes pervolvissem,) haud unquam illud contra me allatum iri exspectavissem. Nam multum quidem in poëtis Latinis consumpseram temporis et partem eorum haud parvam tenebam memoria, nunquam tamen — ne quid dissimulem — apud ullum Augusteae aetatis poëtam versum inveneram quem ad Horatium tamquam ad auctorem referendum sentirem. Quodsi forte aliquis Ovidii potissimum

locus mihi Horatianum locum in mentem vocabat, illum eleganter, breviter, perspicue dixisse observabam quod hic inutili fuco et inani verbositate corrupisset magis quam ornavisset. Sciebam praeterea viros doctos, qui ante hoc saeculum vixissent, cum dolore quodam quaesivisse quid esset quod de Horatio aut prorsus tacere solerent aequales quique ei aetate suppares essent, aut, si forte mentionem eius iniicerent, inviti id facere et quam paucissimis verbis viderentur. Et nota mihi erat coniectura qua anno 1785 Meierotto illam solvere quaestionem conatus est: Horatium enim maiorem fuisse statuit quam qui ab aequalibus suo pretio aestimari posset. Quae coniectura licet mihi minime arrideret — neque enim mihi tanto carior erat Horatius quam Virgilius, Ovidius, Propertius, neque is sum qui illos solos admirer artifices quos futuri saeculi causa vivere vel vixisse fama est — tamen Meierottonis libellum in hac quaestione pro fundamento esse debere et olim censui et nunc etiam censeo. Non enim solum lectu iucundissimus est, Heynii discipulo dignissimus, sed etiam doctissimus plenusque rerum nunc etiam cognitu perquam utilium. Non undique corrasit minutias scriptor quibus lectorem obrueret suamque ostentaret doctrinam, non materiem collegit unde cuiusmodi posset aedificium fieri ipse nesciret — nondum enim illa scribendi ratio in honore tunc erat — sed ipse totum posuit: e paucis sed disertissimis locis aequalium de Horatio iudicium quale fuerit efficere, deinde cur tale fuerit coniectura assequi conatur. Atque in hac quidem parte mihi parum fuisse felix videtur; in illa, licet non plane rem eum acu tetigisse credam, tamen viam ab eo monstratam opinor a qua ne nunc quidem longe sit recedendum. Postquam enim sano sobrioque iudicio quidquid in rem facit pensitavit, hoc statuit: per centum fere annos tantum

afuisse ut Horatius lectorum manibus tereretur ut potius neglectus iaceret. Nunc fere contrarium viris doctis videtur: in quavis enim de Horatii commentatione, in quovis de literis Romanis libro aequales supparesque Horatio poëtas innumeris propemodum librorum suorum locis illum ante oculos habuisse legimus. Quae quamquam sententia a summis in nostra arte viris firmiter defendi solet, tamen Meierottonem multo propius a vero afuisse censeo atque declaro. Iure ergo a me lectores postulant ut hanc opinionem argumentis stabiliam, sed magnus eius rei est ambitus et longus difficilisque labor. In partes igitur aliquot materies dividenda mihi est; de singulis singulatim dicam, lectorum commodo quantum potero consulam. Atque initium faciam a Virgilio, quem iampridem viri docti qui hanc quaestionem illustrare conati sunt in partes vocarunt.

Primi Horatii editores sedulo Virgilii locos adduxerunt quibus Horatius illustrari posset; diligentia superavit priores omnes Bentleius, ad sententiam suam de versibus adulterinis stabiliendam illorum a Virgilio praebitam esse materiem saepe versu aliquo allato contendit Peerlkampius; postremo quidquid in censum venire posset accuratissime collegit Henricus Düntzer in Fleckeiseni Annalibus vol. XCIX, p. 313 sqq. Qui licet interdum nimius fuerit, tamen Horatium permulta Virgilio debere quis neget? Quis non viro docto qui illa omnia sub unum dederit conspectum ex animi sententia gratias agat? Eo autem non contenti alii duas insuper res excogitarunt in quibus omnes doctrinae acuminisque sui vires collocarent. Quas quamquam multis iam probarunt, mihi nihil unquam magis incredibile visum est. Cuiusmodi sint iam exponam. Inter Virgilii Georgicon libros omnes et primam Horatii primi libri satiram rationem quandam intercedere statuunt, ducti, ni fallor, hoc versu:

> „O fortunati mercatores!" gravis annis
> Miles ait.

quem Virgiliano

> O fortunatos nimium, sua si bona norint,
> Agricolas

tam similem esse declarant ut quin alter ad alterius imitationem factus sit dubitari nequeat. Quid ergo? Ab Horatione sumpsit ea vocabula Virgilius? Hoc quidem hac in re asseverare non audent viri docti, quamquam suadere videtur temporum ratio. Georgica enim ut primum a. u. 725 in lucem emissa, Horatii satiras inter annos 713 et 725 scriptas censent idonei de hac re iudices. Non audent autem? Immo nolunt. Tot enim in utroque poëmate esse locos παραλλήλους, ut alia ratione res explicanda sit, contendunt. Et facile credo non unum hunc locum doctarum dedisse ansam deliberationum: ille enim si solus e prima satira alicui Georgicon versui similis visus esset, vix quemquam opinor hac in re de ulla cognatione cogitaturum fuisse. Equidem certe miror illos qui cum Horatiano

> O fortunati mercatores

compararunt Virgilianum

> O fortunatos nimium — agricolas

non etiam Virgilii notum illud

> Fortunati ambo!

attulisse. An non potuerunt duo eodem tempore poetae pro f e l i x ponere f o r t u n a t u s et voculam *o* praemittere nisi altero alterum imitante? Accedit quod utrobique f o r t u n a t u s ipso sententiarum requiritur nexu, non f e l i x. Non

enim ibi de corporis mentisve bona valetudine sermo est sed de vitae statu. Neque tamen opus est ceteros locos omnes, quibus viri docti sententiam suam defenderunt, recensere: ipsi nobis viae monstrarunt compendium. Nullum enim aiunt certius esse cognationis indicium quam quod Horatius vs. 114 dixerit:

> Ut cum carceribus missos rapit ungula currus
> Instat equis auriga.

Virgilius autem (I, 512 et 514)

> Ut cum carceribus sese effudere quadrigae
> Fertur equis auriga.

Hercle hoc si gravissimum est argumentum, quantilli sint pretii cetera omnia facile est intellectu. Nulla enim in literis Graecis Latinisque usitatior imago est quam illa de equis in arenam immissis, neque ulla imago aliis particulis quam illis u t c u m annecti potest praecedentibus. Sed hoc mittamus. Cui rei documento esse censeant ingentem illam locorum *παραλλήλων* copiam, quorum dux et princeps est quem attulimus, videamus. Coniiciunt.... Horatium leni risu Georgica Virgilii perstrinxisse aliquot eorum versibus ita detorquendis ut tamen vera eius verba lectori in mentem venire possent. En debili fundamento audacem innixam coniecturam! Quis eiusmodi aliquid credat propter poëtarum in ablativis substantivorum c a r c e r e s et e q u i consensum! Nam quid, obsecro, fuit cur quisquam Virgilii Georgica, praeclarum opus, vel lenissimo perstringeret risu? Scurrile id fuisset, ut opinor, ridiculum, ineptum. Atque eiusmodi aliquid semel ab Horatio, viro urbanissimo, commissum esse, quamvis inviti crederemus tamen, si revera certum aliquod eiusmodi *παρῳδίας* deprehendere signum possemus. Sed quis

tam hodierno colligendi conquirendique studio addictus est ut ex animi sententia declarare possit sibi satiram Horatianam legenti Virgilii Georgica in mentem venire? Novum profecto istud παρῳδίας genus, quam ne ille quidem agnoscere possit qui τὸ παρῳδούμενον memoria teneat! Quid quod ad incredibile istud probandum praeterea opus est coniectura aeque incredibili. Statuendum enim est non seorsum sed simul ambos satirarum libros in lucem esse editos, Horatioque, quum iam in eo esset ut eos publici iuris faceret, novum esse allatum Virgilii opus: statim eum tum novam satiram scripsisse quam libris suis tamquam prooemium praemitteret. Nihil enim, credo, potius ei fuit quam ut scurrilibus quibusdam de admirabili aequali, cui tot et tam magnas res deberet, iocis conflandis semet ipsum in civium suorum adduceret contemptionem. Ergone hoc quoque nobis credendum, Virgilium adversarii ineptiis respondisse, tamque obscure respondisse ut nemo aequalium posterorumve illud sentire consilium posset? Nihildum compertum est neque tamen quietis nobis esse licet. Agnoscunt enim viri docti nullum certum „talionis" ut aiunt apud Virgilium exstare signum; metuo ergo ne etiam eiusmodi talionis signis conquirendis diligentiae industriaeque suae documentum dare studeant illorum discipuli. Quaerant censeo; nos interea ab Horatii satiris abesse „vestigia ruris" persuasissimum nobis habeamus.

Ad alterum nostrae aetatis de Horatio inventum transeo. Tantam enim inter Virgilii eclogam quartam et Horatii epodon XVI intercedere similitudinem, ut quin alter poëta alterius verba nonnulla de industria in suum transtulerit carmen dubitari nequeat, communis iam virorum doctorum videtur esse opinio. Ecloga autem illa A. U. 714 scripta editaque est, epodos autem A. U. 713. Ergone alienis se exornavit pennis Virgilius. „Noli credere" nonnulli aiunt. „Com-

mendare civibus Horatium iuvenem poëtam et vixdum cuiquam notum Virgilius volebat, ergo sententias illius quasdam suis versibus inserebat, immutatas paululum et politas." De qua coniectura quid censeam non possum melius exponere quam utroque carmine raptim percurrendo. Est autem Horatii epodos haud mediocri laude dignus, et plerisque eius epodis mirum quantum praestat. In quo primum hanc agnoscimus virtutem, quae in quovis carmine permagni facienda est, quod veros animi affectus versibus suis exornarit poëta. De longo enim et infinito bello civili ita lamentatur, ita queritur, ut vere tristem afflictumque eum esse e quovis versu audias. Quod iusto longius est carmen nimisque rhetorico fuco ornatum, libenter iuveni poëtae ignoscimus: modum tenere nescit; quotusquisque seniorum est qui sciat? Non tamen tam de sua laude sollicitus videtur quam de patriae salute. Admirationem vero legentis hoc moveri carmine quis contendere possit? Ingenuam adolescentis amamus indolem, quem tanto afficiat dolore calamitas publica: nihil tamen ille fert quod vehementer animos nostros percellat. At in Virgilii ecloga praeclara sunt omnia, nihil est quod non summa dignum videatur admiratione. Vivunt in ea omnia spirantque. Exsultans ob pacem compositam poëta suo ipse gaudio laetisque, quae in ipsius mente nunc cum maxime nascuntur, cogitationibus egregie utitur ad exornandum carmen gratulatorium, quod ad amicum Pollionem mittit laetissimum et ipsum: filio enim nato optima quaeque ei praesagit animus. Quid autem his carminibus commune sit rogare possit admirabundus qui de illis nunquam audiverit: alterum enim plenum est gaudii, alterum e tristissima fluxit mente. Nempe Virgilius reditum aurei saeculi vaticinatur, Horatius carmini suo inserit beatorum insularum descriptionem: hi autem loci tam inter se similes semper visi sunt

ut de fortuito consensu ne cogitare quidem voluerint viri docti. Hoc tamen quaeso tecum, Lector, reputes, satis inexpectatum esse in carmine Horatiano ab extremis miseriis ad summam beatitudinem transitum: piget nempe poëtam taedetque harum terrarum, quas hominum culpa malis atque doloribus impleverit; subito inde mentem avertit, meliorem sortem laetioremque sedem destinatam esse piis credere lectores iubet et semet ipsum cogit; non enim sponte e miseriis quas aspicis plenae perfectaeque beatitudinis cogitatio nasci solet; atque sic eius carmen e duabus partibus inter se diversissimis nulloque vinculo iunctis constat. Virgiliana vero de Saturni regno denuo inchoaturo vaticinatio ultro se poëtae obtulit, qui amici felicitatem cum bono publico iunctam laetissimis celebraret versibus. Insperatae pacis lux tandem aliquando affulsit populo Romano; eodem tempore Pollioni praestantissimo civium et poëtae coniunctissimo filius nascitur; quid mirum utriusque cogitationes in summas nunc evolare coeli plagas; quid autem praeclarius, quid magis optimo poëta dignum esse potuit quam renovare pristini saeculi, quo bonis abundasse, malis caruisse mortales crederentur, memoriam, eamque felicitatem crescente puero qui modo natus est sensim redituram praedicere? Haec enim prima est loci Virgiliani virtus, quod non continua serie enumerantur bona quae aspecturus est Pollionis filius: restabunt enim primum quaedam signa hodiernae miseriae; haec sensim evanescent, nova semper accedent bona, sic ipse magis suam sentiet felicitatem. Deinde quid mirum multa communia habere Virgilii Horatiique locos? Totum enim hoc inventum poëticum communis locus est, sed alius alio modo eum exornat poëta, idem argumentum tractarunt Virgilius, Horatius, Ovidius et quis non; sed quam facile est tres hic diversissimos agnoscere poëtas! Ut

de Ovidio taceam — alienus enim hic a proposito — quot quantisque rebus praeter eam quam iam attigi Horatio praestat Virgilius. Communia fere haec habent:

Hor.: Illic iniussae veniunt ad mulctra capellae,
Refertque tenta grex amicus ubera.

δὶς ταὐτὸν ἡμῖν εἶπεν, et ingrate παρέλκει amicus; ipsa brevitate disertus est Virgilius

Ipsae lacte domum referent distenta capellae
Ubera.

Hor.: Mella cava manant ex ilice.

Non potuit hoc negligere Virgilius: in praestantissimis enim deorum donis ab antiquis semper mel numeratur et fere ambrosiae nectarisve instar habetur. Dedit ergo pleno versu:

Et durae quercus sudabunt roscida mella.

Horatio autem quomodo versum expleret quaerenti invito, ut opinor, alter se obtulit versus; nam satis languidum, ne sensu cassum dicam, est istud

montibus altis
Levis crepante lympha desilit pede.

Hor.: Reddit ubi cererem tellus inarata quotannis
Et imputata floret usque vinea.

Sentisne, lector, quam pedestre sit, quam parum poëticum istud quotannis? Sentisne, aio, nam ni sentis convincere te ne conabor quidem. Eximie vero Virgilius:

Molli paulatim flavescet campus arista
Incultisque rubens pendebit sentibus uva.

Unum etiam addam quod ei qui utrumque poëtam cognoscere vult minime praetermittendum videtur. Horatianae insulae utilibus rebus abundant, habent quod edant beati, quod bibant, et placide dormire possunt: quies enim habitat et securitas. At nihil ibi est quod naribus, quod oculis blandiatur; absunt varii colores, absunt suaves odores. Non, hercle, ea neglexit Virgilius: prae ceteris commemoravit laudavitque immortalibus hisce versibus:

At tibi prima, puer, nullo munuscula cultu
Errantes hederas passim cum bacchare tellus
Mixtaque ridenti colocasia fundet acantho.

et:

Assyrium vulgo nascetur amomum,

et:

Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores.

Nihil vero praestantius quam hoc:

Nec varios discet mentiri lana colores,
Ipse sed in pratis aries iam suave rubenti
Murice, iam croceo mutabit vellera luto;
Sponte sua sandyx pascentes vestiet agnos.

Vidimus ergo quo modo Horatium commendarit Virgilius, si commendavit. Quae ille omisit praeclare hic dixit, quibus ille versum sine ullo sententiae emolumento explevit hic omisit, quae apud illum frigent languentque apud hunc coloris luminisque plena sunt. Profecto sic commendari *πολεμίοις καὶ ἐχθροῖς γένοιτο*!

An ergo surrepsit Horatio Virgilius flosculos quibus ipse suum exornaret carmen? Parum, hercle, credibile est divitem ad pauperem venisse furatum, minusque tibi hoc credibile videbitur si totum genus poëseos, cuius duo haec carmina sunt, consideraveris. Tam enim qui Saturni regnum reditu-

rum vaticinatur quam qui beatorum insulas describit ruris laudat amoenitatem. Ruris ergo amatores sunt et Virgilius et Horatius, sed haud levis inter eos hac quoque in re est differentia.

Praediolo suo delectatur Horatius et lepidis venustulisque versibus laudare illud solet, quietem enim ei praebet, legendi studendique facultatem, placidos somnos; nocent eius valetudini infirmae urbani clamores concursusque, crassus aer: inde ergo rus profugit ubi puro coelo, limpida ac salubri aqua recreatur, ubi versibus faciendis operam dare et Graecorum scripta philosophica, quae quidem non nimis obscura intricatave sint, pervolvere potest, non canum latratu, servorum et opificum vociferatione, rotarum strepitu turbatus. Nihil tamen magis metuit quam ne in ea laude nimius videatur; ergo postquam vitae rusticae bona commodaque multis celebravit versibus, subito in risum iocumque rem vertit seque lectores ludibrio habuisse simulat: quaecunque enim hactenus dixerit non sua esse verba sed feneratoris Alfii significat, quem taedium urbanae, desiderium rusticae vitae subito ceperit subitoque reliquerit: qui enim iam in eo sit ut pecunia e fenoribus collecta praedium emat quo primo quoque evolet tempore, parum illum semet ipsum cognovisse, mox enim nullo monente sensisse sibi lucello quod forum praebeat nihil esse carius. Poëta autem qui quae versibus exornat toto, ut aiunt, pectore amet non tam ad iocum ludibriumque propensus esse solet; est ergo venustissimus ille epodos satyrae quam carminis lyrici multo similior. Virgilius vero quae de rure cantat pectus testantur sinceri plenum amoris. Ut versus faciat non laudis studium eum impellit, non peritus videri vult Graecorum imitator qui difficilem aliquem laborem feliciter superaverit. De labore ne cogitat quidem: „Ipsae" ait „me incitant sublevantque Musae

Quarum sacra fero ingenti percussus amore."

Non ideo rus amat quod careat incommodis quorum plena est urbs, sed divitiae quibus abundat mentem eius implent. Totus ergo in naturae contemplatione defixus est, quae illa offert spectacula admirationem eius movent. Vitae ergo rusticae amor quo flagrat Virgilius aeterni cuiusdam ignis similis est, non flammae e stipulis collectae, in ipsius mente natus est, ipsius nutritur cogitationibus. Ipse fatetur se maluisse doctum fieri, qui in intimas naturae latebras penetraret et inde earum rerum notitiam protraheret quas dii abscondunt, quam poëtam qui externam tantummodo spectet naturae speciem. Audiamus ipsum; nihil unquam praeclarius dictum est quam hoc (II, 475—489):

Me vero primum dulces ante omnia Musae,
Quarum sacra fero ingenti percussus amore,
Accipiant, caelique vias et sidera monstrent,
Defectus solis varios, lunaeque labores.
Unde tremor terris, qua vi maria alta tumescant
Obiicibus ruptis rursusque in se ipsa residant,
Quid tantum Oceano properent se tinguere soles
Hiberni, vel quae tardis mora noctibus obstet.
Sin has ne possim naturae accedere partes,
Frigidus obstiterit circum praecordia sanguis,
Rura mihi et rigui placeant in vallibus amnes:
Flumina amem silvasque inglorius. O, ubi campi
Spercheosque, et virginibus bacchata Lacaenis
Taygeta! o qui me gelidis in vallibus Haemi
Sistat, et ingenti ramorum protegat umbra!

Profecto non communis hominum haec est via qua ad poësim pervenire solent; non omnes tanto ardore rem quam

amant penitus cognoscere student priusquam ad versus faciendos transeant. Sed qui ea ambulat errare non potest; is quid velit probe novit; ita poëta qui factus est iis rebus quibus alios commoveri cupit ceteris omnibus commovetur magis. Quod si quis Latinarum literarum nescius roget possitne et ea quae sentiat eleganter, graviter, apte enuntiare Virgilius, recitemus ei eximium locum quo rusticorum fortuna praedicatur; ne Lucretius quidem quidquam habet quod illi praestat. Et quod nonnulli aiunt veteres amoenitatem tantum naturae amasse et agris hortisque bene cultis delectatos esse magis quam densis silvarum umbris, arduis montibus, obscuris saltibus, quamquam haud prorsus iniuria ab illis contenditur, tamen non ab omni parte verum esse hi Virgilii versus testimonio esse possunt (II, 437 sqq.):

Et iuvat undantem buxo spectare Cytorum
Naryciaeque picis lucos, iuvat arva videre
Non rastris, hominum non ulli obnoxia curae.

Denique, ne longus sim, quis iam credat eiusmodi poëtam, quum ruris laudes cantaret, quidquam ab Horatio sumpsisse?

CAPUT QUARTUM.

Quod modo dicebam Meierottoni quale fuerit aequalium de Horatio iudicium statuenti, quamquam haud longe a vero afuisse videretur, tamen non plane me assentiri, id huiuscemodi est. Consulto ab aequalibus supparibusque Horatium negligi, de industria eiusdem aetatis viros literatos de eo silere contendit, aut si iam silere non possint quam brevissime defungi neque quidquam nomini eius addere quod amorem admirationemve testetur. Atque ita se rem habere neque nego neque affirmo; admodum enim debile est istud quod dicitur e silentio argumentum. In medio ergo rem relinquendam censeo, sed ita ut, nolo enim quid sentiam reticere, cum Meierottone facere multo malim quam cum nostrae aetatis viris doctis, qui magnis doctrinae ambagibus Horatium brevi tempore civium suorum assecutum esse favorem demonstrare conati sunt. Mirum videri possit multis, sed argumenta et indicia quae illi collegerunt numquam perlego quin de obstinato silentio, contemptu, odio suspicer aliquid. Neque difficile est suspicio illa quo modo oriatur narrare. Unus enim vir doctus, de literis latinis egregie meritus, cautus praeterea homo et circumspectus — Martinum

Hertzium dico — incredibili diligentia indefessoque labore quaestionem hanc pertractavit; nihil ille neglexit, nihil quod ab aliis erat allatum sine severa censura probavit, nisi quod ad quaestionis partem quandam, non parvam illam, iam ab aliis tam egregie responsum censet ut nihil mutandum, nihil addendum sit. Audiamus ergo quae nova ille protulerit vel nota iam antea denuo examinarit; quid accurate re deliberata statuerit et quo iure videamus, postremo de illa parte quam nulli obnoxiam censet dubitationi quid iudicandum sit quaeramus.

Ovidii notissimi versiculi sunt:

Et tenuit nostras numerosus Horatius aures
  Dum ferit Ausonia carmina culta lyra.

Tenuis illa Meierottoni laus videtur neque mihi magnifica: in mentem enim venit alius loci (A. A. III, 333 sqq.), ubi multi quidem nominantur poëtae, de Horatio autem siletur, quamquam, si revera magni eum faceret Ovidius, omittere non poterat:

Et teneri possis carmen legisse Properti,
  Sive aliquid Galli, sive, Tibulle, tuum:
Dictaque Varroni fulvis insignia villis
  Vellera germanae, Phrixe, querenda tuae:
Et profugum Aenean, altae primordia Romae,
  Quo nullum Latio clarius exstat opus.

Quod autem doctus quidam vir excogitavit, versibus 269—272 Libri II:

Quin etiam turdoque licet missaque columba
  Te memorem dominae testificere tuae.
Turpiter his emitur spes mortis et orba senectus.
  A, pereant, per quos munera crimen habent

iocosam Horatii de heredipetis reprehendi satiram (II, 5), id tamquam falsissimum Hertzius refutavit.

Multo maior laus est qua poëtam exornat Petronius (118), qui Horatii curiosam felicitatem una cum Homero Virgilioque nominat.

Pertinet autem ea laus ad formam praesertim versuum, sermonem, verborum delectum.

Quintilianus (X, 1, 96) postquam Horatium satiricum summis extulit laudibus et iambos eius leviter attigit haec addit: „Lyricorum idem Horatius fere solus legi dignus. Nam et insurgit aliquando et plenus est iucunditatis, et gratiis et variis figuris et verbis felicissime audax."

Floruit autem Petronius sub Nerone, Quintilianus circa a. 35 p. C. natus est: illorum ergo aetas ab Horatii satis est remota.

Caecilium Epirotam, libertum Attici, Horatium discipulis suis enarrasse Hertzius contendit. Admodum dubia res est. Haec enim de eo sunt Suetonii verba: „Primus dicitur Latine ex tempore disputasse, primusque Virgilium et alios poëtas novos praelegere coepisse."

De Valerio Probo pro certo constat. Is enim Horatium recensuit teste Suetonio in Anecd. Paris. (apud Reiff. p. 137—141): „His (sc. notis) solis in annotationibus Ennii Lucilii et historicorum usi sunt Vargunteius Ennius Aeliusque et postremo Probus qui illas in Virgilio et Horatio et Lucretio apposuit ut Homero Aristarchus." Vixit autem eruditissimus ille grammaticus eodem fere tempore quo Quintilianus et Propertius, sat diu ergo post Horatium.

Velleius Paterculus aetate Horatio multo propior (II, 36) Catullum, Virgilium, Tibullum, Ovidium nominat, de Horatio tacet. De industria eum tacere contenderem si constaret e. cap. 102 eiusdem libri apparere Horatium Vel-

leio tam notum fuisse ut fere memoria eum teneret. Sed quis id affirmaverit hoc argumento quod in illo capite nomina Censorini Lolliique, ad quos Horatius carmina IV, 8 et 9 scripsit, inveniantur? Oblata enim facultate viros illos nominat Velleius, neque aliam ob causam eos coniunctim commemorat quam quod eodem tempore in eadem regione diem obierunt supremum. Quid quod ea de illis narrat ut, nisi Horatii prorsus fuisset immemor, silentio eum praeterire non potuisset. Forte enim illi viri et apud Horatium eadem pagina commemorantur et magnis laudibus extollitur uterque sed multo maioribus Lollius: is enim ibi tamquam perfecti hominis imago habetur in quo nulla non splendeat virtus. Quid autem Velleius? Censorinum dicit fuisse virum demerendis hominibus genitum, Lollii contra notat perfida et plena subdoli ac versuti animi consilia.

Transeo nunc ad testimonium cuius ego mentionem facere non auderem nisi infinita virorum doctorum me cogeret industria; magis enim ludicrum est quam pro huius quaestionis gravitate. Inspicere enim lectorem πάνυ σεμνῶς iubent

Corpus Inscriptionum Latinarum
Vol. IV N°. 3135 et 1237.

Quid autem ibi invenimus? Puerulus quidam Pompeianus in domus cuiusdam pariete scribillavit vocabula Romulus in coelo; in alius domus pariete duo versus Virgiliani leguntur sed tam misere corrupti ut eos afferre pigeat. Docent ergo viri docti in Inscriptionibus Pompeianis Virgilium quidem et Ennium etiam citari, non vero Horatium.

Catonis Distichorum Libro II praemittitur praefatio in qua Virgilius, Macer, Lucanus, Ovidius nominantur, non additur Horatius. Sed ne si additus quidem esset ista prae-

fatio, quae diu post Horatium scripta est, in censum venire posset. Neque argumenti vim habent Iuvenalis, qui plus quinquaginta annis post Horatii mortem natus est, versus VII, 225 sqq., ubi in ludo literario adesse dicuntur Horatii Virgiliique codices vel imagines.

Contra apud Senecam rhetorem, Horatii fere aequalem, licet permultos nominet poëtas, nusquam Horatii nomen occurrit.

Fautores suos ipse Horatius enumerat Sat. I, 10, 81 sqq. In quibus primarios obtinent locos Augustus, Maecenas, Asinius Pollio. Ab illis ergo Horatium lectitatum, illis probatum esse testatur... quis? Ipse Horatius. Ubi? In satira libri primi, ergo quum nihildum lyrici generis in lucem ediderat. Sed de Augusto et aliud est testimonium: notissimum illud Suetonii, cuius haec sunt verba: „Post sermones vero quosdam sibi lectos nullam sui mentionem habitam ita est questus: irasci me tibi scito, quod non in plerisque eiusmodi scriptis mecum potissimum loquaris; an vereris ne apud posteros infame tibi sit quod videaris familiaris nobis esse." In quibus negligendum minime videtur istud post sermones: lyricam ergo Horatii poësin, in qua sola hactenus mea versata est disputatio, Augusto magnopere placuisse ne ex epistola quidem illa apparet; certe ipsum Augustum id alicubi scribendo significasse non constat.

Maecenatem vero et Pollionem ab Horatio sumpsisse aliquid nonnulli viri docti contenderunt, quos rectissime refellit Hertzius. Dicitur autem ab illis Maecenas praeeunte Horatio singulari numero vocis Quiris usus esse, Pollio sententiam Horatianam

Verbaque provisam rem non invita sequentur

sic immutasse: „Male, hercle, eveniat verbis nisi rem sequun-

tur". Sed neque sententia illa e libro de Arte Poëtica sumpta ad nostram quaestionem pertinet, et iudice Ruhnkenio verba Horatiana ex Asinianis sunt expressa, non Asiniana ex Horatianis.

Livius historicus Horatio viginti annos superstes fuit: nulla tamen adhuc certa signa reperta sunt e quibus appareat Horatium notum ei fuisse. Desinant ergo tandem aliquando quaerere viri docti. Nam solent quidem afferri aliquot imitationis exempla, sed aliud alio est incertius. Singula recenseamus.

Livius VI, 19, 2 sententia utitur: „Ut suis ipse oneratus viribus ruat", et Horatii hic versus est (Epod. XVI):

Suis et ipsa Roma viribus ruit.

Apud Livium (XXXI, 18, 7) vocabula vias leti leguntur, apud Horatium (Od. I, 28, 5): via leti. Livius (XXXIV, 4, 3) Catonem in oratione de lege Oppia dicentem facit: „ne illae magis nos ceperint quam nos illas", et apud Horatium (Ep. II, 1, 156) decantata illa legitur sententia:

Graecia capta ferum victorem cepit et artes
Intulit agresti Latio.

Nullam hos locos *παραλλήλους* habere persuadendi vim et ego censeo et egregie demonstrat Hertzius. Quo magis eum miror de versu Ovidiano (Fast III, 101 sq.):

Nondum tradideras victas victoribus artes
Graecia

haec affirmare: „Hic Ovidius omnibus consentientibus Horatium ante oculos habuit", non omnibus illis suam opponere auctoritatem: est enim profecto *πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων*. Nam verborum quibus apud Livium Cato utitur haud dubie eadem vis est atque versuum Horatianorum ex epist. II, 1; locus

Horatianus Ovidianusque specie inter se similes sunt, revera minime; communia habent vocabula quaedam, praeterea nihil. Apud Ovidium enim Graecorum artes in Italiam translatae cum praeda quadam conferuntur, atque est ea comparatio haud longe petita: cuivis enim sponte sese offert. Horatiana tamen sententia acumen quoddam habet et ἀπροσδόκητόν τι, neque ullus locus ex hoc Horatiano expressus esse iure dici potest, quamvis ei primo aspectu cognatus videatur, qui careat illo: victa victorem vicit. In eo enim sunt omnia.

Tibullum, quamvis fuerit Horatio coniunctus (cf. Od. I, 33, Epist. I, 4), tamen ullum eius versum ante oculos habuisse demonstrari non potest. Quae afferuntur argumenta nullius esse pretii Meierotto olim contendit et assentitur ei Hertzius. Anno autem 1870 Baehrensius in lucem edidit libellum cui titulus „Tibullische Blätter". Quae ille contra Meierottonem attulerit, iis se de sententia non esse abductum Hertzius declarat. Lubenter credo.

Gratius Ovidii amicus (e Pont. IV, 16, 34) vs. 347 de Orco loquitur, qui

Nigris orbem circumvolat alis.

Conferri potest Horatianum (Sat. II, 1, 58):

Mors atris circumvolat alis.

Sed imaginem illam ab Horatio sumpsisse Gratium minime certum est, iudice Hertzio.

Apud Horatium (III, 23, 20) pauperi dii placandi esse dicuntur

Farre pio et saliente mica.

Lygdamus (IV, 10) hunc habet versum:

Farre pio placant ac saliente sale.

Eam autem sententiam vix aliis potuisse enuntiari vocabulis prudenter admonet Hertzius.

In Nuce pseudo-Ovidiana vs. 87 haec leguntur:

Felix secreto quae natast arbor in agro
  Et soli domino ferre tributa potest.
Non hominum strepitus audit, non illa rotarum,
  Non a vicina pulverulenta viast.

Sumpta haec esse ex Horatio (Epist. I, 17, 7, sq.):

Si te pulvis strepitusque rotarum
Si laedit caupona,

multis viris doctis videntur, Hertzio minime. Verissime enim ille observat rem ipsam esse simplicissimam, verba non prorsus eadem; postremo in toto carmine, quod 182 est versuum, nullum praeterea inveniri Horatianae imitationis signum.

Postea tamen idem Hertzius tamquam ex Horatiano (IV, 13, 2):

Vis formosa videri

sumptum hunc affert Nucis versum:

Nunc uterum vitiat quae vult formosa videri.

Qua in re egregii viri miror inconstantiam.

E Phaedro saepe tamquam Horatianae exempla imitationis haec afferuntur: „Naris emunctae senex" (quod confertur cum Hor. Sat. I, 4, 8: „Emunctae naris, durus componere versus"); „dulce lucrum" (quod confertur cum Hor. Epist. I, 18, 102 „Honos an dulce lucellum"); sed illud esse ex sermone quotidiano, hoc omnium fere scriptorum poëtarumque Latinorum, neque plus duobus hisce esse tribuen-

dum locis quam verbo nudare apud Phaed. prol. 47 et Hor. Sat. II, 5, 47 eodem fere sensu posito, iure annotat Hertzius. Cur ergo eidem Phaedrianum (III, 10, 17):

Stuproque turpi pollui famam domus

ex Horatiano (IV, 5, 21):

Nullis polluitur casta domus stupris,

expressum esse probabile videatur minime intelligo.

Neque Manilius quidquam ab Horatio sumpsit, neque, quod in hac causa multo maioris videtur momenti, Pindarus Thebanus. Is enim ex alienis pannis admodum venustulos consarcinavit versiculos quibus Iliadem in Latinam redigeret epitomen. Aut ergo Horatius parum ei innotuit (vixisse autem videtur imperante etiam gente Iulia) aut parum placuit.

In Priapeo 73, 3 legitur inutile lignum, sed quis hoc ex Horatio (Sat. I, 8, 1):

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum

desumptum esse pro certo contendat? Lignum enim e quo dei rustici fit imago inutile appellare cuiusvis est; nam est revera inutile. Si instrumento rustico aptum fuisset, non animi causa ex eo Priapum fecisset horti dominus.

Curtius haud dubie, iudice Hertzio, quum scriberet (III, 5, 8):

> Hi (adulatores) tum coelum illi (i. e. Alexandro) aperiebant, Herculemque et Patrem Liberum et cum Polluce Castorem novo numini cessuros iactabant

ante oculos habuit Horatianum (II, 1, 5):

Romulus et Liber pater et cum Castore Pollux.

Cur, quaeso. An propter nomina illorum qui, antequam ad deos reciperentur, in terris mortalium instar vixerunt? At si speciem Horatianae imitationis tamquam grave crimen vitare voluisset Curtius, tamen non poterat alios nominare neque eosdem alio nomine. An quod pro Castor et Pollux alter habet cum Polluce Castor, alter cum Castore Pollux? Nam quae apud Curtium mox (§ 11) sequuntur:

> Ne Herculem quidem et Patrem Liberum prius dicatos deos quam vicissent secum viventium invidiam,

eorum argumentum a versu Horatiano quem citavimus plane est alienum.

Vidimus ergo quae hucusque attulimus (et sunt ni fallor omnia quae Hertzii industria collegit, sanum iudicium probavit) quam sint pauca, quam incerta, qnam levia. Hoc unum constat suos sibi habuisse amicos familiaresque Horatium, illosque interdum inter pocula eius laudasse carmina, satiras etiam epistola ab Augusto esse probatas. Sed quis haec unquam negavit? Quis praeterea nescit iubente Augusto carmen saeculare compositum et quartum librum carminum additum ab Horatio? Sed principis de arte poëtica iudicium nescio an haud magni sit faciendum. A viris autem literatis, scriptoribus, poëtis Horatio aequalibus supparibusve consulto, sive propter invidiam, sive quod eum contemnerent, de eo sileri haud affirmaverim. Vetus aliquis scriptor quo consilio aliquid dicat sciri potest, quo consilio omittat aliquid nemo unquam dixerit. Mihi ergo si eorum, quae hucusque disputavi, summa quaedam esset conficienda, his verbis sententiam meam comprehenderem: Sat diu post mortem in ore hominum doctorum esse coepit Horatius, sive, ut locutione magis etiam nostrae aetatis hominibus perspicua utar „popu-

laritatem" quandam nactus est. Atque haec sententia haud leviter confirmatur iis quae Fronto, vir multarum literarum, ad Marcum Aurelium scripsit (p. 23 Nab.):

> Plane multum mihi facetiarum contulit istic Oratius Flaccus memorabilis poëta mihique propter Maecenatem ac maecenatianos hortos meos non alienus.

Non enim haec eius verba sunt qui de homine iam celeberrimo loquitur. Nam quod Hertzius huic disputationum suarum parti addit: „Ex iis quae hucusque proposuimus, id sane elucet, Horatii carmina ante aetatem Neronianam non neglecta esse," id, ut virum praedoctum decebat, caute quidem et circumspecte dictum est, sed ne illud quidem eum scripturum fuisse opinor nisi iis quae ipse conquisivit alia argumenta accessissent quae multo viderentur graviora. Credo enim egregium virum alienis quibusdam praesertim ductum esse lucubrationibus. Quae illae sint iam dicam: Propertium enim et Ovidium permulta Horatio debere ingenti labore duo viri docti demonstrare conati sunt et Hertzium habent assentientem. Rectene an non iam videamus; de utroque autem poëta et utroque viro docto seorsum disputabo.

CAPUT QUINTUM.

Propertio ergo elegias suas scribenti frequenter ante oculos et in mente fuisse Horatii varii generis carmina multi viri occasione oblata docuerunt, et ita se rem habere Hertzius quoque pro certo statuit, illius, credo, qui primus argumenta collegit permotus auctoritate. Nam si ipse locos qui ad eam sententiam defendendam allati sunt denuo examinasset, ut est vir sani sobriique iudicii, aut in risum erupisset aut graviter esset indignatus totam philologorum domum sic unius implicari potuisse erroribus. Hoc enim, quamvis mihi diffidere soleam, declarare et edicere non dubito Propertium amores suos cantantem de Horatio nunquam cogitasse, nullius esse pretii argumenta quibus contrarium probari videatur, locis, qui ex utroque poëta saepe inter se componantur ne levissimam quidem esse similitudinem cognationisve umbram. Videamus singula.

Hoc erat in primis quod me gaudere iubebas?

His verbis elegiam III, 19 orditur Propertius, qua puellam alloquitur, quae postquam per breve tempus sua gaudia uni servavit poëtae, iam alias quaerere videatur conditiones. Est

ergo istud h o c e r a t cum dolore et indignatione rogantis, recteque, ut solent, veteres Batavorum philologi hos e Virgilio comparandi causa apponunt versus:

Aen. II, 654:

Hoc erat, alma parens, quod me per tela, per ignes
Eripis, ut mediis hostem in penetralibus, utque
Ascanium patremque meum iuxtaque Creusam
Alterum in alterius mactatos sanguine cernam.

IV, 675:

Hoc illud, germana, fuit, me fraude petebas?

Afferri etiam possit quod apud Ovidium (Met. XI, 694) Halcyone lamentatur, ubi in somno de mariti naufragio et morte accepit nuntium:

Hoc erat, hoc, animo quod divinante timebam
Et ne me fugiens ventos sequerere rogabam.

Et, hercle, minime mirum est Latine scribentem aliquem in hac re pronominis h i c neutrum ponere genus et addere verbi e s s e imperfectum. Expressum vero Propertii esse versum ex Horatiano

Hoc erat in votis

qui contendit ridicule ineptit. Illic enim prorsus alia est vocabuli e r a t significatio (Propertianum e r a t Graece vertendum est *ἦν ἄρα*, Horatianum vero *ἀεὶ ἦν*); nullam ergo aliam comparationis ansam hi versus praebent quam quod in altero est i n v o t i s, in altero i n p r i m i s. At ipsum illud i n p r i m i s quid significet pro certo non constat. Mihi quidem eandem vim habere videtur quam p r a e c e t e r i s, sed si quis dicat esse: p r i m o (amoris nostri) t e m p o r e,

refellere eum non possim. Horatiano in votis quam dissimillimum esse quis non videt?

IV, 2, 17 Propertius hoc dicit:

> Nam neque pyramidum sumptus ad sidera ducti
>   Nec Iovis Elei caelum imitata domus
> Nec Mausolei dives fortuna sepulchri
>   Mortis ab extrema conditione vacant.
> Aut illis flamma aut imber subducet honores,
>   Annorum aut ictu pondera victa ruent.
> At non ingenio quaesitum nomen ab aevo
>   Excidet: ingenio stat sine morte decus.

Sedulo adscribunt commentatores Horatianum:

> Exegi monumentum aere perennius,

tamquam fontem ex quo hic quoque hauserit Propertius. Ergone poëtae Latino non licet vocabuli pyramis uti genitivo plurali, quin in suspicionem incurrat plagii si eadem forma et alibi inveniatur? An non potuit tota illa vox pyramis Propertio, non admonente Horatio, nota esse? Sed iam unum illud vocabulum missum faciamus, totos locos inter se comparemus, ita apparebit non potuisse facile duas alias res excogitari quae magis inter se differrent. Quid enim? Hoc fere dicit Propertius: „Neque pyramides neque ulla alia monumenta, quamvis sint magno labore e solidissima materie aedificata, aeterna sunt et immortalia. Sed ea gloria quod te celebrarunt poëtae nulla die delebitur. Neque in universum de poëtis hoc dicit sed de una illorum specie. Praemittit enim lepidissimos hosce versiculos, in quibus eorum quos citavi inest argumentum in breve contractum:

> Fortunata meo si qua es celebrata libello!
> Carmina erunt formae tot monimenta tuae.

Sic amorum poëtae loqui licet, neque quisquam eum propter hoc dictum derideat. Est enim, ut ita dicam, aptissima quaedam et venustissima arrogantia, qua non tam se extollit poëta quam ipsam poësin, formosisque puellulis blanditur magis quam sibi aliisque poëtis qui illas carmine celebrarunt. Horatius vero suae laudi gloriaeque monumentum aere perennius exegisse sibi videtur. Cur? Quia difficilia illa Graecorum metra Latinis versibus imitatus sit. Sine more modoque declamantis istud est. Denique versibus Propertianis acumen quoddam inest: cum leni quodam risu tam magnificis de sua arte versibus utitur. Neque solet, ut opinor, is qui lepidissime iocatur imitandum sibi proponere illum qui inanem verborum strepitum ediderit neque quidquam praeterea.

IV, 8, 17:

> Est quibus Eleae concurrit palma quadrigae.

Propertius ait, et Horatius:

> Sunt quos curriculo pulverem Olympicum
> Collegisse iuvat.

„Ab hoc ille suum sumpsit" viri docti clamant. An ergo ludi Olympici tam ignota res sunt ut duo poëtae eorum mentionem facere non possint quin statim constet eum qui postea scripserit natu maiorem esse imitatum? At duo hi loci ubi ludi Olympici nominantur inter se sunt quam diversissimi. Propertius enim a Maecenate rogatus ut magnum aliquod et magnificum conscribat carmen, heroicum puto lyricumve, eas enumerat res quibus apud Graecos summi viri, praestantissimi artifices, homines praedivites, sint delec-

tati et immortalem assecuti famam. „Sed alia aliis placent" ait, „mihi humilia atque modesta magis quam excelsa illa et magnifica arrident". Neque hoc sic simpliciter dicit, sed egregiis versibus ad ipsum provocat Maecenatem: „te tuis exemplis superare studeo: tu si voluisses per Caesarem ad summum gloriae, laudis, honoris pervenisses fastigium. Non vis sed

Parcis et in tenues humilem te colligis umbras:
Velorum plenos subtrahis ipse sinus.

Eadem ratione ego bella heroum non attingo, de amore cano carmina levia, humi repentia, quae si amantibus placuerint gaudebo." Vides quam sint in toto hoc sententiarum decursu lepida, faceta, venusta omnia. Nihil huiuscemodi in Horatii carmine est: ille enim, tamquam si satiram scriberet, quam varia sint hominum studia, quam variis modis laudem tamen omnes quaerant vel lucrum exponit. Primarium enim huius carminis argumentum non potest non lectori satiram eiusdem poëtae primam in mentem vocare. Tandem post longam enumerationem haec addit: „Ita nunc ego lyricus vocari poëta cupio, ad hanc ego laudem totis nitor viribus". Recte ergo Horatianum locum Propertiano opponas ad demonstrandum quam sit horum poëtarum natura diversa, quam nihil commune habeant: eadem enim vocabula, quibus alter usus est, si etiam ab altero adhibentur, contrarium significare videntur [1]).

---

1) Propertiani carminis hoc est exordium:

Maecenas, eques Etrusco de sanguine regum.

Quo non usos esse viros doctos ad demonstrandum saepe Propertio scribenti versus alicuius Horatiani in mentem venisse impense laetor. Intellexerunt enim, ut opinor, quum semel fuerit origine regia et Etrusca Maecenas, non potuisse aequales poëtas, qui honorifice eum appellare vellent, ea omittere vocabula quae apud utrumque legimus.

I puer atque aliqua citus haec propone columna
Et dominum Esquiliis scribe habitare tuum.

His verbis (IV, 23, 23 sq.) servum in forum mittit Propertius amisso libello pleno de Cynthia versiculorum. Hoc enim damno graviter afflictus a viatoribus petit ut, si in illum incidant, domino eum reddere velint et magnum redditudo proponit praemium. Id vero scripsisse poëtam viri docti censent memorem Horatiani:

I puer atque meo citus haec subscribe libello.

Equidem, hercle, minime miror in urbe, ubi fere nemo civium tam pauper esset quin unum famulum haberet, ubi dominus famulum suum fere nunquam alio vocabulo quam illo puer alloqui soleret, ubi denique eundi verbum imperativum haberet *i*, sexcenties quotidie istud i puer dictum esse; et si omnes libri a Romanis scripti ad nos pervenissent, haud difficile esset aliquot milia colligere locorum ubi ea verba legerentur; sed difficile esset inter illos duos reperire ubi diversum haberent sensum. Quod hic tamen accidit. Qui enim aliquid amisit eiusque recuperandi gratia populum certiorem facit quis dominus sit, ubi habitet, quod sit futurum praemium ei qui referat, is revera puerum in forum mittit qui ea omnia vel voce magna clamet vel in pariete columnave aterrimis scribat literis. Horatianum autem dictum acerbitatem quandam habet et contemptum haud levem. Saepe enim hodierni quoque homines, si adversario alicui maledicere volunt, non illum ipsum alloqui se simulant sed alium quendam ad eum famuli instar mittere qui nuntiet pauca haud bona verba. Finge alicui e philologorum numero amicum recitare doctam aliquam commentationem plenam abstrusae cuiusdam sapientiae et eo scriptam sermone ut tibi per noctem in aliquo errare labyrintho videaris, quid

magis solitum est quam finita recitatione sic illum amicum alloqui: „I et meis verbis scriptori dic illum, quamvis sibi sapiens videatur, ineptissimum esse mortalium"?[1]).

V, 6, 65 sq. Ob victoriam Actiensem exsultat Propertius „Omnia" ait „nobis e voto cesserunt, Cleopatrae unum tantum contigit quod non *iusso die* mortua est:

> Di melius! quantus mulier foret una triumphus
> Ductus erat per quas ante Iugurtha vias."

Illud ego *Di melius* ita explico ut cogitando supplendus sit alicuius verbi coniunctivus in *plusquamperfecto*. Est igitur fere „quam dolendum est", sed habet ea locutio solito maiorem vim et acerbitatem. Horatius autem (Epod. IX, 23 sq.) de Augusto e proelio iam iam redituro haec laetabundus exclamat:

> Io Triumphe, nec Iugurthino parem
> Bello reportasti ducem.

Sed quis, quod duo poëtae, magnam illam suo tempore de Aegypto i. e. de Africa reportatam victoriam versibus extollentes, simul memoriam hostis renovant, qui ex iisdem terris Romam ad triumphum deportatus est, ante multos quidem annos, sed tamen ita ut nomen eius nondum in oblivionem abierit, quis hoc, quaeso, argumento esse credat alterum ab altero aliquid esse mutuatum? Quodsi hic recte de *Carthagine* subacta iniici potuisset mentio, iure suspicari aliquis posset non temere esse quod ab utroque illa multo maior multoque notior victoria silentio praeterea-

---

1) Horatiano similius quam Propertiano est quod apud Lygdamum (Tib. III, 6, 66) legitur in carmine quo Bacchi celebrantur laudes:

> Tu, puer, i, liquidum fortius adde merum.

tur; sed quoniam neque Hannibal neque quisquam alius e Carthaginiensibus illi par per triumphum ductus est, nullum Iugurtha potiorem habebant poëtae Romani quem huiuscemodi locis nominarent. An ab Horatio Romanae historiae elementa Propertium didicisse viri docti censent? Confer praeterea IV, 4, 15 sq.:

Victor cum victis pariter miscebitur umbris:
Consule cum Mario, capte Iugurtha, sedes

videbis quam ista Iugurthae mentione delectetur Propertius.

V, 6, 79. „Nunc est bibendum" Propertius exclamat, „victa iam terribili illa Cleopatra hilares sunt celebrandae epulae. In illis alius aliam cantet ab Augusto reportatam victoriam:

Hic referat sero confessum foedere Parthum:
Reddat signa Remi, mox dabit ipse sua."

Admodum obscura haec sunt poëtae verba et mendi suspecta. Explicatio eorum, si non plena, tamen aliqua peti potest ab iis quae apud Dionem Cassium leguntur (LIV, 8). Is enim de legatis ab ultimo Oriente ad Augustum Sami morantem profectis et alia narrat et haec:

ἐν τούτῳ ὁ Φραάτης, φοβηθεὶς μὴ καὶ ἐπιστρατεύσῃ οἱ, ὅτι μηδέπω τῶν *συγκειμένων* ἐπεποιήκει τι, τά τε σημεῖα αὐτῷ καὶ τοὺς αἰχμαλώτους, πλὴν ὀλίγων — ἀπέπεμψε. καὶ αὐτοὺς ἐκεῖνος, ὡς καὶ πολέμῳ τινὶ τὸν Πάρθον νενικηκώς, ἔλαβε κτέ.

Sin corruptum locum censet aliquis, quidni ambabus manibus arripiat praeclaram Heinsii coniecturam

Hic referat Seres, confessum et foedera Parthum.

sed etiamsi illud *confessum foedere Parthum* (quod probe intelligi nequit) in textu remaneat, haec Horatii verba (III, 8, 22):

Cantaber sera domitus catena

non explicandi solum causa afferre sed etiam affirmare Propertio illa exempli instar fuisse ea extrema, siquid video, est perversitas.

I, 6, 11. „Rogas me, Tulle," Propertius ait „quidni tecum iter facere velim? Puella mea de mea profectione tam lamentatur ut istud consilium plane iam abiecerim.

His ego non horam possum durare querelis.

Hoccine ab Horatiano

Idem eadem possunt horam durare probando

sumpsit Propertius? Aiunt viri docti. Ergone ab Horatio Propertius didicit „cum accusativo temporis construi posse durandi verbum", ut discipuli in ludo literario loquuntur?

Denique conferas pulchrum e pulchro de Quinto Ennio libro locum (p. 266), ubi Lucianus Mueller adversarium graviter reprehendit, qui patrem poësis Latinae duos hosce versus facientem

Constitere amnes perennes, arbores vento vacant

et:

Constitit, credo, Scamander, arbores vento vagant

semet ipsum descripsisse insimularit eo argumento quod utrobique legantur vocabula a r b o r e s v e n t o: multo magis reprehensione dignum illum concedes qui ea imitationis Horatianae exempla e Propertio attulerit, quae modo examinavi. Libri autem, ubi loci illi παράλληλοι sunt propositi, secundam tantum editionem inspicere potui, recentissimae i. e. tertiae copia mihi non fuit. In illa si nova eiusdemmodi exempla accesserunt illa cognoscere animus non est.

CAPUT SEXTUM.

Nam quae, obsecro, causa esse potuit cur Horatium imitaretur Propertius? Ipse enim, solus, sine ope aliena versus faciebat Propertius, vel potius tamquam uberrimos fluctus e pleno fundebat pectore. Imago illa apis Matinae per plurimum laborem thyma legentis in neminem minus quam in illum convenit. Sponte ei nascuntur carmina simulque secum ferunt vocabula aptissima. Ita si quid sexcenties ab aliis poëtis dictum est, qui ut quam optime dicerent omnem adhibuerunt diligentiam, si idem dicit Propertius nescio quomodo novum fit. Dabo luculentum exemplum. Quanto Crassi clades dolore et pudore affecerit populum Romanum, quam laetati sint cives, quum „Parthi Armeniam vindicanti Augusto" (verba sunt Suetonii) „cesserunt et signa militaria quae Marco Crasso et Marco Antonio ademerant reposcenti reddiderunt, obsidesque insuper obtulerunt, denique pluribus quondam de regno certantibus non nisi ab ipso electum comprobaverunt", novimus: permultos enim de ea re scriptorum poëtarumque locos legimus, sed gaudium illud dolo-

remve vix sentimus. Sin autem in versus incidimus quales hi sunt Propertii:

Gaude, Crasse, tuas siquid sapis inter arenas:
Ire per Euphraten ad tua busta licet,

nos, nos inquam, qui tot saeculis post vivimus, graviter commovemur.

Praeterea quam perversum est, quum veterum vetere lingua scriptos libros legimus, propter aliquot vocabulorum consensum statim imitationem odorari. Ipsi illi qui suis civibus, suis aequalibus scribunt, si de industria voces quasdam ab aliis sumunt, metuere solent ne lectores illud consilium non agnoscant; operarium ergo illas signo quodam notare iubent. Sed saepe tamen ita peccamus philologi: qui enim pueris docendis victum quaeramus, haud facile ludimagistrum exuimus. Saepe discipulos nostros sic interrogamus: „Nostine et alium locum, ubi vocabulum de quo nunc cum maxime agimus reperiatur?" Si discipulus est puer humanioribus studiis natus recitat versiculum, et gaudemus; iure, nihil enim discentibus est utilius quam versus quam plurimos memoria tenere. Sin autem illius rationis vel minimam partem in lucubrationes nostras philologicas introducimus, κειτουκείτου illius similes sumus, neque unquam quidquam scribere poterimus quod adultis doctisque pariter et utile sit et lectu iucundum. Nam tum demum iure coniicimus poëtam alium ante oculos habuisse poëtam, quum id quod dicit propter sententiae non tam consensum quam diversitatem statim nobis in mentem alius poetae vocat locum aliquem. Diversitatem aio; nam difficillimum profecto est statuere utrum poëta aliquod dictum ex alieno in suum transtulerit carmen necne; sed facile agnoscimus poëtam

suam sententiam alienae opponentem. Sic quum apud Propertium legimus (IV, 4, 23—38):

Atque ubi iam Venerem gravis interceperit aetas,
  Sparserit et nigras alba senecta comas,
Tum mihi naturae libeat perdiscere mores,
  Quis deus hanc mundi temperet arte domum,
Qua venit exoriens, qua deficit, unde coactis
  Cornibus in plenum menstrua luna redit,
Unde salo superant venti, quid flamine captet
  Eurus, et in nubes unde perennis aqua,
Sit ventura dies, mundi quae subruat arces,
  Purpureus pluvias cur bibit arçus aquas,
Aut cur Perrhaebi tremuere cacumina Pindi,
  Solis et atratis luxerit orbis equis,
Cur serus versare boves et plaustra Bootes,
  Pleiadum spisso cur coit igne chorus,
Curve suos fines altum non exeat aequor
  Plenus et in partes quatuor annus eat,

haud inepte suspicemur eum praeclaros illos versus Virgilii (Georg. II, 475 sqq.):

Me vero primum dulces ante omnia Musae
Quarum sacra fero ingenti percussus amore
Accipiant, caelique vias et sidera monstrent,
Defectus solis varios lunaeque labores:
Unde tremor terris, qua vi maria alta tumescant
Obiicibus ruptis rursusque in se ipsa residant,
Quid tantum Oceano properent se tinguere soles
Hiberni, vel quae tardis mora noctibus obstet.
Sin has ne possim naturae accedere partes
Frigidus obstiterit circum praecordia sanguis,

Rura mihi et rigui placeant in vallibus amnes:
Flumina amem silvasque inglorius.

cum leni risu et iocantem sic immutasse et vertisse ut in ipsum convenirent. Haud inepta ea sit suspitio, sed suspitio est, nihil constat. Qui enim in tempore horum Propertii meminit versuum (III, 1, 7 sq.):

Aetas prima canat Veneres, extrema tumultus.
Bella canam, quando scripta puella meast;

sentit quam sit credibile nihil aliud voluisse poëtam quam hoc: ad novum ego argumentum me numquam perventurum scio, sed in amoribus canendis persistam donec ingrata venerit senectus, quae et amorem aufert et canendi artem. Nam omnino non is est Propertius qui alios poëtas respiciat vel poëticam facultatem e multorum librorum lectione quaerat. Argumento sit II, 3, 37. Agit enim ibi poëta de bello Troiano ob unam feminam orto. Quis non alius poëta illud argumentum tractans flosculum sumpsisset ab Homerico:

οὐ νέμεσις Τρῶας καὶ ἐυκνήμιδας Ἀχαιοὺς
τοιῇδ' ἀμφὶ γυναικὶ πολὺν χρόνον ἄλγεα πάσχειν?

Non opus eo fuit Propertio: ipse novum aliquid invenit, lepidum, inexpectatum, vel potius proprius amor ei subministravit. Hoc enim dicit:

Nunc, Pari, tu sapiens et tu, Menelae, fuisti,
Tu quia poscebas, tu quia lentus eras.

De amore cantat Propertius ceteris omnibus poëtis scriptoribusque neglectis: perennem enim ipse in pectore habet fontem, unde limpidas semper hauriat aquas non alienis fucatas coloribus. Audiamus quae de sua ipse arte dicat

Semel tantum de honore poëtis debito deque invida turba loquitur (IV, 1, 21 sq.):

At mihi quod vivo detraxerit invida turba,
  Post obitum duplici fenore reddet Honos.

Sed imprudenti ei excidisse illi versus videntur; mirifice enim certant cum iis qui mox (55) sequuntur:

Fortunata, meo siqua es celebrata libello!
  Carmina erunt formae tot monimenta tuae,

e quibus verum Propertium cognoscimus. Illi enim in argumento sunt omnia; quod si in ipsius poëtae mente natum est, de illo cantat, iudicium hominum nil curat. Eiusmodi poëta de arte poëtica doctrinam tradit, quae unice vera est, omnium populorum omniumque aetatum (II, 1, 3 sqq.):

Non haec Calliope, non haec mihi cantat Apollo,
  Ingenium nobis ipsa puella facit.
Sive lyrae carmen digitis percussit eburnis
  Miramur, faciles ut premat arte manus:
Seu vidi ad frontem sparsos errare capillos,
  Gaudet laudatis ire superba comis.
Sive illam Cois fulgentem incedere coccis,
  Hoc totum e Coa veste volumen erit:
Seu cum poscentes somnum declinat ocellos,
  Invenio causas mille poëta novas:
Seu nuda erepto mecum luctatur amictu,
  Tum vero longas condimus Iliadas:
Seu quidquid fecit sivest quodcunque locuta
  Maxima de nihilo nascitur historia.

Cuius primarium est egregium illud ingenium nobis ipsa puella facit. Confer nunc cum illo versus Tibul-

lianos, qui eandem fere continent sententiam venuste enunciatam (II, 4, 19 sq.):

> Ad dominam faciles aditus per carmina quaero:
> Ite procul, Musae, si nihil ista valent,

concedes tamen Propertianorum versuum pleniorem, ut ita dicam, gravioremque esse sonum, qui magis respondeat intimis cogitationibus.

Hoc est cur cantet Propertius: ipse amat, ipse amorem quendam verum et ardentem sentit in medullis, ergo illos demum poësin suam vere probare posse credit qui eodem sensu commoveantur. Hoc dicit versibus III, 32, 81 sq.:

> Non tamen haec ulli venient ingrata legenti,
> Sive in amore rudis, sive peritus erit

et IV, 8, 45 sq.:

> Haec urant pueros, haec urant scripta puellas,
> Meque deum clament, et mihi sacra ferant.

Ea causa est cur IV, 23 declaret ceteris libellum suum, quem amisit, nullius esse pretii sed maximi sibi Cynthiaeque.

„Hoc" ait (III, 4, 7) „ago ut nostro stupefiat Cynthia versu, nil aliud". Seque id quod unice cupierit assecutum esse laetus gratusque testatur (III, 22, 5 sq.):

> Nam mea cum recitat, dicit se odisse beatos:
> Carmina tam sancte nulla puella colit.

Verus artifex, verus poëta semet ipsum novit, quid possit quid non possit sentit neque unquam obliviscitur, vel potius, cum in arte nihil sit cui plane sit impar, quid egregie possit, quid nihilo melius quam ceteri omnes, experto ei

constat. Atque in ea poësis parte cui ipsa eum natura creavit tabernacula vitae ponit. Saepe haec de poëtis dicta sunt ab aliis; quis unquam tam venuste, tam lepide dixit quam Propertius? „De viris bello claris" ait „canere volebam, et de egregiis victoriis quas olim Romani reportarunt (IV, 2, 5 sq.):

Parvaque tam magnis admoram fontibus ora
Unde pater sitiens Ennius ante bibit.

Ipse me Phoebus ab incepto revocabat et aliis prudentibus consiliis et hoc:

Alter remus aquas, alter tibi radat arenas:
Tutus eris: medio maxima turba marist."

Ergo a deo admonitus, ubi paucis versiculis, iisque pulcherrimis, egregia Augusti de republica merita laudavit, ipsi eiusque militibus ducibusque optima quaeque a diis precatur, de se ne videatur tam praeclara facta tenui carmine celebrare tentavisse haec addit (IV, 3, 22):

Me sat erit Sacra plaudere posse Via.

En poëtae verecundiam non simulatam sed veram, en monumentum parvum et humile sed magnificentissima laude perennius.

Ab eiusmodi poëta discant alii, iuvenes praesertim, ne aliunde quaerant carminis materiam a natura sua alienam: pectus enim est quod non solum disertum facit sed et poëtam. Expertus hoc novit Propertius, expertus amicum adolescentem, quem modo sagitta percussit Cupido, sic admonet (I, 9, 15 sq.):

Quid si non esset facilis tibi copia? nunc tu
Insanus medio flumine quaeris aquam.

„Quod spiro et placeo, si placeo tuumst" ita ad Melpomenen declamat Horatius in montis cacumine sedentem cum sororibus,

αἷς οὐδὲ τρὶς λέγοντες ἐξικνούμεθα.

Propertio eiusmodi asseveratione opus non est, nam ipsa pro eo loquuntur carmina. Propertianis autem carminibus materiam praebet non dea quaedam immortalis, a conspectu hominum remotissima, sed de vulgo meretricularum puellula, quae ceteris omnibus quum nil nisi scortillum videretur haud illepidum neque invenustum, ab ipso amore colebatur ardentissimo et, quod minime negligendum, fidissimo firmissimoque. Nam sit poëta eroticus petulans, lascivus, protervus, tum demum poëtae nomine dignus est si in amore sibi constat. Qui enim modo hanc cantat modo illam, nullam vere amat sed identidem de omnibus exercitationes scribit poëticas, quas expolire quidem potest donec niteant splendeantque, quominus sint frigidae prohibere non potest: non enim simulati illi ignes calorem habent. Confer mihi poëtas illos, quorum magnus est numerus, qui verbosis ventosisque versiculis universi feminarum generis laudes celebrant, et divinum illum Francorum vatem, qui et iuvenis et senex octogenarius unam cecinit, illam quam iustis nuptiis duxerat uxorem, carminibus quae quia vitae plena sunt aeternitati nata videntur: sic quid inter veram sinceramque poësin et adulterinam simulatamque intersit agnosces. Et Cynthia illa Propertii vivebat, immo vivit: loquentem eam ridentemque audimus, lacrimantem videmus. Ergo quidquid de ea vel ad eam loquitur poëta corpus habet nervosque. Alii dicant idem, non est idem; qui locus est communis omnium poëtarum, simulatque Propertius eum ad se suosque amores convertit, illius fit proprius. Lepide, ut hoc utar, Tibullus aemulo haec imprecatur (I, 9, 55 sq.):

Et cum furtivo iuvenem lassaverit usu,
  Tecum interposita languida veste cubet,

et eiusmodi aliquid apud multos obvium est poëtas, velut apud Horatium:

Manum puella savio opponat tuo
  Extrema et in sponda cubet.

Propertius autem hoc habet:

Quod si pertendens animo vestita cubaris,
  Scissa veste meas experiere manus.

Non aliunde i. e. ex aliorum libris hoc sumpsit, sed e mediis, ut ita dicam, rebus.

Amoris constantia ne Ovidio quidem cedit Propertius: illam ergo et in aliis laudat. Fidelem Postumi et Aeliae Gallae amorem extollit (IV, 11); cordi ei sunt Gallus eiusque puella (I, 10 et 13). Ianuam, quae olim Tarpeiae pudicitiae testis fuit, ob praesentis dominae levitatem querentem facit I, 16, quod carmen vix Catulliano 67 inferius est. Firmi fidique amoris plena est pulcherrima Arethusae ad Lycoten epistola (V, 3), sed prae ceteris illa virtus exornatur epicedio illo Corneliae (V, 11), quod iure elegiarum reginam dixit Valckenaerius.

Et suam quoque Cynthiam constantissimo amore est amplexus Propertius. Confitetur quidem (III, 15, 1) multas sibi alias placuisse, sed verius est quod alibi (IV, 14, 5 sqq.) iuratus declarat:

Illa rudes animos per noctes conscia primas
  Imbuit, heu nullis capta Lycinna datis.
Tertius haud multo minus est cum ducitur annus:
  Vix memini nobis verba coïsse decem.

Cuncta tuus sepelivit amor, nec femina post te
Ulla dedit collo dulcia vincla meo.

Et admonet me prior ille locus recentioris multo carminis, quod hic praeterire non possum. Anno nostri saeculi 64 carmen quoddam Goethii e tenebris protractum est, in quibus latebat antea; titulum habet „das Tagebuch" estque eiusmodi ut censores severiores quam prudentiores graviter reprehendere possint; sed qui solam vim poëticam in carmine spectat, illi non potest non egregium videri. Ansam illius faciendi sibi hos dedisse Tibullianos versus ipse poëta declarat (I, 5, 39 sq.):

Saepe aliam tenui, sed iam quum gaudia adirem
Admonuit dominae deseruitque Venus,

illos enim suis versibus praemittit. Est autem, ut dicebam, egregium carmen plenumque ardoris, ergo licet in fronte Tibullianos habeat versus, multo magis Propertium quam Tibullum lectori in mentem vocat. Neque mirum id est: illius enim ignes Germanum poëtam inflammarunt: ipse hoc epistola, quam 28 Nov. 1798 ad Knebelium misit, ut pro Propertii carminibus ab illo in Germanicum sermonem conversis gratias ageret, his testatur verbis:

„Ich habe den grössten Theil der Elegiën wieder gelesen, und sie haben eine Erschütterung in meiner Natur hervorgebracht, wie es Werke dieser Art zu thun pflegen, eine Lust etwas Aehnliches hervorzubringen, und die ich vermeiden musste, weil ich gegenwärtig freilich ganz andere Dinge vorhabe."

(Schillers und Goethes Briefe; Berlin, 1870, p. 335).

Prae Cynthia divitias contemnit poëta (I, 14, 15 sq.):

Nam quis divitiis adverso gaudet Amore?
Nulla mihi tristi praemia sint Venere.

„Nihil me ab illa abstrahere poterit." Hoc et alibi saepe clamat et III, 19, 19 sq.:

Tu mea compones et dices „Ossa, Properti,
Haec tua sunt: eheu tu mihi certus eras."

Ne Caesarem quidem severasque eius leges timet (II, 7, 3 sqq.):

Quamvis diducere amantes
Non queat invitos Iuppiter ipse duos.
At magnus Caesar, sed magnus Caesar in armis:
Devictae gentes nil in amore valent.

Ipsam mortem non metuit; hoc solum veretur ne puellae suae duritia sibi mortis causa fiat et sepulcro suo hic sit incidendus titulus (II, 1, 78):

Huic misero fatum dura puella fuit.

Quod mors non potest, multo minus efficere eius comes valebit: in somno enim eum perturbat periculorum cogitatio, quibus se itinere maritimo faciendo exposuit Cynthia. Sed nemo unquam quidquam de hoc argumento excogitavit quod maiore esset dignum admiratione quam praeclara illa ab Amoris pennis sumpta imago (III, 3, 13 sqq.):

In me tela manent, manet et puerilis imago:
Sed certe pennas perdidit ille suas;
Evolat heu nostro quoniam de pectore nusquam
Assiduusque meo sanguine bella gerit.

Tamen, quamvis egregius ille locus sit, melius etiam fidelem constantemque poëtae testantur amorem anxiae eius ob laborantem Cynthiam curae. De quibus eximii hi versus sunt:

III, 24, 1 sq.

Iuppiter affectae tandem miserere puellae:
Tam formosa tuum mortua crimen erit.

III, 25, 7 sq.

Si non unius, quaeso, miserere duorum,
Vivam, si vivet: si cadet illa, cadam.

III, 26, 3 sq.

Sunt apud infernos tot milia formosarum:
Pulchra sit in superis, si licet, una locis.

Et esse tanto dignam amore Cynthiam lectori firmiter persuadet poëta. Quis enim de eximia illius forma dubitet, de qua legerit pulchrum carmen I, 2, quo illi nullo esse ornatu opus demonstrat, quocum conferas (III, 11, 7 sq.):

De me, me certe poteris formosa videri;
Mi formosa sat es, si modo saepe venis.

Neque inaniter poëtam declamare his versibus (II, 2, 13 sq.):

Cedite iam, divae, quas pastor viderat olim
Idaeis tunicas ponere verticibus,

propter cetera omnia lubenter credimus. Sed quis unquam quidquam se ex hoc genere legisse affirmet, quod carmini illi de Cynthia dormiente praestet, e quo haec affero (I, 3, 27 sqq.):

Et quotiens raro duxti suspiria motu,
Obstupui vano credulus auspicio,
Ne qua tibi insolitos portarent visa timores,
Neve quis invitam cogeret esse suam.

Non tamen prorsus incommodis ille caret amor rebusque adversis; immo multa poëtae perferenda sunt quae animum eius dolore afficiant. Amantium lites quae sint nemo Propertio melius didicit docetve; „aut" ait (IV, 7, 33 sq.):

„Aut tecum aut pro te mihi cum rivalibus arma
Semper erunt: in te pax mihi nulla placet."

Quin etiam tot in amore poëta conflictatur miseriis doloribusque, ut uno nomine levi reprehensione digna eius poësis videri possit: nimis lacrimosa eius sunt carmina, nimisque frequens est in iis mortis cogitatio. Plenum illius est carmen I, 19, plenumque II, 8*b*; recte enim novi carminis initium editores hos fecerunt versus:

Sic igitur prima moriere aetate, Properti?
Sed morere, interitu gaudeat illa tuo.

Saepe de titulo suo sepulcrali poëta loquitur, III, 5, 35 sq.:

Et duo sint versus, „qui nunc iacet horrida pulvis;
Unius hic quondam servus amoris erat."

III, 19, 19 sq.

Tu mea compones et dices „ossa, Properti,
Haec tua sunt: eheu tu mihi certus eras."

Et dolores suos communes esse amantium lepide sic docet (III, 23, 11 sq.):

Solus amans novit, quando periturus et a qua
Morte, neque hic Boreae flabra neque arma timet.

Dura enim Cynthia est. „Peccaram" ait (IV, 15, 9 sq.):

„Peccaram semel, et totum sum pulsus in annum:
In me mansuetas non habet illa manus."

Cf. III, 9, 11 sq.:

> Quem modo felicem invidia admirante ferebant,
> Nunc decimo admittor vix ego quoque die.

Sed et III, 13, 21 sqq.:

> Septima iam plenae deducitur orbita lunae,
> Cum de me et de te compita nulla tacent:
> Interea nobis non nunquam ianua mollis,
> Non nunquam lecti copia facta tui.

Semper paratos habet praetextus et effugia. Prae ceteris autem poëta Isidis illa exsecrari sacra solet tamquam magnam doloris causam, deque illis lepidissime et alibi lamentatur et III, 31, 1:

> Tristia iam redeunt iterum sollemnia nobis:
> Cynthia iam noctes est operata decem, e. q. s.

Et omnino est quaedam simulata puellularum pietas, amantibus molestissima. Ruri ergo suam Cynthiam esse mavult poëta quam in urbe: „Illic" enim ait (III, 12, 10 sq.):

> Illic te nulli poterunt corrumpere ludi
> Fanaque peccatis plurima causa tuis.

Isidis autem solemnia mulierculis Romanis gratissima sed amantibus invisissima fuisse et alii praeter Propertium testantur poëtae et Tibullus I, 3, 23 sq.:

> Quid tua nunc Isis mihi, Delia, quid mihi prosunt
> Aera tua toties illa repulsa manu?

E Tibulli vero cum Propertio comparatione et communem illum apud illius aetatis poëtas fuisse locum de puellularum nimia pietate cognoscere potes et a Propertio ita esse ad-

hibitum, ita exornatum, ut ab eo inventus videatur. Colorem enim quendam ei praebet novum, ardoremque ceteris omnibus incognitum.

Poëtam, qui sine ea vivere neque vult neque potest, saepe Cynthia effugit. Desertus ergo ille lamentatur (I, 12, 13 sq.):

Nunc primum longas solus cognoscere noctes
Cogor et ipse meis auribus esse gravis.

Longas diuturnasque cogitat illa peregrinationes, hic gemit queriturque (I, 8):

Tune igitur demens, nec te mea cura moratur?
An tibi sum gelida vilior Illyria,
Et tibi iam tanti, quicunquest, iste videtur,
Ut sine me vento quolibet ire velis.

Sed quanto exsultat gaudio ubi Cynthia precibus victa de proposito destitit. Novum enim carmen sic exorditur (I, 8*b*):

Hic erit! hic iurata manet! rumpantur iniqui!
Vicimus: assiduas non tulit illa preces.

Sed quamvis remotas Cynthia visere cupiat regiones, nullus in orbe locus Baiis amoenis magis execrabilis poëtae videtur. Ibi morantem Cynthiam obtestatur (I, 11, 27 sqq.):

Tu modo quam primum corruptas desere Baias:
Multis ista dabant littora discidium,
Littora, quae fuerant castis inimica puellis.
A pereant Baiae, crimen amoris, aquae!

Quid quod ipsum poëtam peregrinari cogit Cynthia. Urbem enim ille fugit ut longe a patria solatium quaerat et oblivionem: tantopere miserum afflixit Cynthiae duritia. Sed in

mari tempestate vexatus semet ipsum accusat (I, 17, 1 sq.):

> Et merito, quoniam potui fugisse puellam!
> Nunc ego desertas alloquor alcyones.

Solus per silvas errat ne aspectus rerum, quae sibi in mentem vocent puellam, a qua crudeliter sit repulsus, dolorem suum semper renovet. Sed quid possunt solitudo et silentium! Quam assidua animo eius inhaereat cura

> Vos eritis testes, siquos habet arbor amores,
> Fagus et Arcadio pinus amata deo.
> A quoties teneras resonant mea verba sub umbras,
> Scribitur et vestris Cynthia corticibus!
> (I, 18, 19 sqq.).

Doctas denique profecturus est Athenas: illa enim urbs abundat rebus quae poëtae mentem, si non sanare, tamen aliquo mulcere possint solatio. Sed quam exigua spe novum tentet remedium his testatur versibus (IV, 21, 34 sq.):

> Seu moriar, fato, non turpi fractus amore,
> Atque erit illa mihi mortis honesta dies.

Et omnino invisa res poëtis Romanis sunt peregrinationes: urbem Romam amant, ibi revera sibi vivere videntur, illa relicta semet ipsos quaerunt. Quod semel observasse haud inutile videtur. Nuper enim Theodorus Mommsenus oratione quadam (habita illa est Berolini 27 Jan. 1889) quae loci Horatiani III, 3, 57 sqq. vera esset vis egregie exposuit; argumentis enim magno acumine magnaque doctrina collatis demonstravit iam Augustum de sede imperii Romam in Orientem, sive Troiam, sive in aliam urbem, transferenda cogitasse. Nunc demum quid sibi illa Iunonis velit vaticinatio intelligimus. Simulque vir egregius a Wilamowitzio

admonitus novam attulit lucem praestantissimae Camilli apud Livium orationi. Sed nocent interdum magnorum virorum splendidissima inventa. Est enim quoddam male sedulorum genus, qui, ut et ipsi suum ostendant acumen, ad recentissimam quamque coniecturam nihil non exigant atque ita utilissimas observationes ridiculas reddant. Metus ergo est ne mox ab illis undique protrahantur versus sententiaeque quae cum illo Augusti consilio aliquo modo cohaerere videantur. Quapropter illos admoneo apud eroticos certe Augusteae aetatis poëtas communem illum esse locum de urbis Romae et Italiae laudibus. Omnes enim aeque peregrinationes oderunt. Sed quod de aliis locis communibus iam dixi idem et hic usu venit: si uno eorum Propertius utitur, ille communis esse desinit. Pulcherrimi profecto versus sunt, quibus Tibullus quam sibi malesani videantur, qui divitiarum quaerendarum causa per orbem terrarum currant, dum puellam omnibus divitiis potiorem domi habeant, significat (I, 1, 51 sq.):

O quantumst auri potius pereatque smaragdi,
  Quam fleat ob nostras ulla puella vias,

et venustissima est epistola, quam ad amatorem mittit Sulpicia (Tib. IV, 9):

Scis iter ex animo sublatum triste puellae?
  Natali Romae iam licet esse tuo.
Omnibus ille dies nobis genialis agatur,
  Qui nec opinanti nunc tibi forte venit.

Sed quanto his praestant quae iam e Propertio de hoc argumento attulimus: illa non legimus sed audimus, illa vera esse non credimus sed sentimus: cum Propertio enim vivimus tamquam cum aequalium nostratiumque aliquo.

Ergo, ut ad Mommseni redeam orationem: facile fieri potest ut mox aliquis exsistat qui Propertii quoque de urbis Romae dignitate et sanctitate (IV, 22) locum ad dissuadendam Augusti sententiam scriptum suspicetur, haud enim absurda ea foret suspicio sed tamen falsissima.

Neque dura solum est Cynthia sed et levis. Metuere se ne aliquando fiat „fama urbis" saepe declarat poëta, minaturque ei (II, 5, 27 sqq.):

Scribam igitur, quod non unquam tua deleat aetas,
‚Cynthia forma potens, Cynthia verba levis'.

Quam constans et fidelis est poëta, tam illa est varia et mutabilis. Hinc ei exprobrat III, 19, 1 sqq.:

Hoc erat in primis quod me gaudere iubebas?
Tam te formosam non pudet esse levem!
Una aut altera nox nondumst in amore peracta,
Et dicor lecto iam gravis esse tuo.

Unam ille Cynthiam amat, haec vero multorum est virorum, dignaque quae cum Laïde, Thaïde, Phryne comparetur (II, 6). Hoc est cur lacrimans exclamet poëta (II, 8, 5 sq.):

Possum ego in alterius positam spectare lacerto?
Nec mea dicetur, quae modo dicta meast?

Hinc acerbissima accusatio (II, 9, 19 sq.):

At tu non una potuisti nocte vacare,
Impia, non unum sola manere diem.

Nam quod praeter poëtam et alii eam ament cupiantque viri, illis parata est excusatio. „Adeo" enim

„Formosam raro non sibi quisque petit."
(III, 32, 4).

Est hic versiculus e iocosissima illa ad Lynceum amicum epistola, quem severa literarum et philosophiae studia non satis contra Cynthiam eiusque patroni Cupidinis defenderint arma. Vix quidquam me illa suavius legere memini; hoc dico et propter ceteros epistolae lepores et praesertim his ductus versibus (15 sqq.):

Te socium vitae, te corporis esse licebit,
  Te dominum admitto rebus, amice, meis:
Lecto te solum, lecto te deprecor uno:
  Rivalem possum non ego ferre Iovem,

salsissimaque admonitione (41 sqq.):

Desine et Aeschyleo componere verba cothurno
  Desine, et ad molles membra resolve choros.
Incipe iam angusto versus incudere torno,
  Inque tuos ignes, dure poëta, veni.

Sed quamvis sit levis Cynthia, quamvis saepe peccet, tamen est ζηλοτύπος: illud eius vitium iocosissima narratione poëta describit. Narrat enim se frequentibus Cynthiae iniuriis exacerbatum alibi solatium quaesivisse, seque duabus magnae in urbe famae mulierculis invitatis hilare apparasse convivium, quo curas animi pelleret. Non tamen illo se pristinam recuperare potuisse laetitiam, sed plenam sibi fuisse mentem instantis alicuius periculi. Tum subito potantibus convivis, cantantibus, saltantibus — nihil enim intentatum relinquebant feminae ut poëtam tristibus eriperent cogitationibus — furiae instar irrupisse Cynthiam, mensas, pocula, lucernas evertisse, in pellices involasse, tibicinem, nanum

(nam et illi aderant), ministrum fugasse, ipsi poëtae duras imposuisse conditiones. Legitur illa narratio V, 8 et incipit a vs. 27, nam quae praecedunt cum illa non cohaerent et paulo sunt obscuriora.

Neque solum semper et ubique poëtam speculatur custoditque Cynthia, sed, quod multo gravius ille dolet, aurem praebet calumniis, eiusque calumniis, qui in poëtae spreti pulsique locum ipse succedere studeat. Talis ille Panthus fuit, qui literis ad eam datis turpissima quaeque in Propertium finxit. Illum ergo refutare et convincere conatur poëta lepidissima elegia III, 14. „Non amore tui captus" ait „ille de me mentitur, non te cupit, sed inanem de te gloriam: se a te petitum iam nunc iactat; quod si semel te illi dederis, statim te deseret: fictus enim ille amator uxorem" (*amasium* si ista *uxoris* voce significari mecum credideris, nova accesserit elegiae et non inepta acerbitas) „habet; Medeae te manet sors, prae Creusa ista tu contemneris et foras eiecta plorabis; sin mecum in gratiam redibis,

Nos quocunque loco, nos omni tempore tecum
Sive aegra pariter, sive valente sumus."

Nil sibi in miserum amatorem non licere credens impudenter eum decipit et frustratur; ne periurium quidem timet, novit enim promittenti, affirmanti, iuranti sibi illum quamvis saepe derisum non credere non posse. Ipse hoc testatur his versiculis I, 15, 33 sqq.:

Nam mihi ne viles isti videantur ocelli,
Per quos saepe mihi credita perfidiast!
Hos tu iurabas, siquid mentita fuisses,
Ut tibi suppositis exciderent manibus.

Quod autem omnes habent mulierculae, ne illo quidem

immunis est vitio Cynthia: avara est. Lepidissime ergo παρὰ προσδοκίαν de ea sic iocatur poëta:

Cynthia nec sequitur fasces nec curat honores,
  Semper amatorum ponderat illa sinus.

De communi illo mulierum morbo multis lamentatur versibus IV, 12, et in memoriam redit pristini temporis, quum sub Saturno mundus erat; at omnes poëtae latini, ais, isto flosculo carmina sua exornarunt. Ita est, sed nescio an ceteris omnibus melius Propertius. Habet enim hic locus (25 sqq.):

Felix agrestum quondam pacata iuventus,
  Divitiae quorum messis et arbor erant.
Illis munus erat decussa Cydonia ramo,
  Et dare puniceis plena canistra rubis,
Nunc violas tondere manu, nunc mixta referre
  Lilia virgineos lucida per calathos,
Et portare suis vestitas frondibus uvas
  Aut variam plumae versicoloris avem.
His tum blanditiis furtiva per antra puellae
  Oscula silvicolis empta dedere viris,

ἐνέργειαν quandam, quam frustra apud alios poëtas, qui de aureo saeculo cecinerunt, quaeras: illi declamare videntur et tamquam inviti ornamentum illud, quod omittere non possint, adhibere; huic vera moestitia sponte cogitationem de feliciore offert saeculo.

Nullus fere unquam fuit poëta, qui non identidem aurum execraretur et divitiarum potentiam; Romanis autem poëtis quam fuerit in deliciis ille locus nemo melius demonstrat quam Tibullus, in cuius carminibus, quae pauca supersunt,

ter vel quater ille legitur. II, 3, 49 sq. sic lamentatur:

> Heu heu divitibus video gaudere puellas:
> Iam veniant praedae, si Venus optat opes.

Venustuli haud dubie sunt versiculi, non tamen eiusmodi ut graviter iis commoveatur lector. Eiusdem iam attulimus versus II, 4, 19 sq.:

> Ad dominam faciles aditus per carmina quaero:
> Ite procul, Musae, si nihil ista valent.

Cognosce nunc quae sequuntur:

> A, mihi per caedem et facinus sunt dona paranda,
> Ne iaceam clausam flebilis ante domum:
> Aut rapiam suspensa sacris insignia fanis:
> Sed Venus ante alios est violanda mihi.
> Ipsa malum facinus suadet dominamque rapacem
> Dat mihi: sacrilegas sentiat illa manus.
> O pereat, quicunque legit viridesque smaragdos
> Et niveam Tyrio murice tingit ovem.
> Hinc dat avaritiae causas et Coa puellis
> Vestis et e rubro lucida concha mari.
> Haec fecere malas: hinc clavim ianua sensit
> Et coepit custos liminis esse canis.
> Sed pretium si grande feras, custodia victast,
> Nec prohibent claves, et canis ipse tacet.

Iocatur poëta et lepidissime iocatur; non tamen eius qui revera doleat esse opinor dolore suo tamquam ridendi materia uti.

Ille autem quem Lygdamum esse aiunt viri docti sub Tibulli persona latentem de eodem argumento haec habet (Tib. III, 1, 7 sq.):

Carmine formosae, pretio capiuntur avarae:
Gaudeat, ut dignast, versibus illa meis.

Elegans componere proverbium voluisse videtur, non intimas pectoris promere cogitationes. Propertii vero dolorem et ipsi sentimus, ubi (V, 5, 53 sq. et 56 sq.) plenus indignationis suam puellam haec a lena didicisse fingit:

Aurum spectato, non quae manus afferat aurum.
Versibus auditis quid nisi verba feres?
Qui versus, Coae dederit nec munera vestis,
Istius tibi sit surda sine aere lyra.

Apte ergo ille suaeque naturae convenienter de amici Paeti, qui domo profectus ut mercatura rem faceret, naufragio periit, conquerens in auri sacram famem invehitur, quae quantas afferret mortalibus miserias ipse saepe est expertus. Praeclara quidem tota est, quam de hoc argumento scripsit, elegia, sed hi versus ceteris omnibus praestare videntur:

43 Quod si contentus patrio bove verteret agros,
Verbaque duxisset pondus habere mea,
Viveret ante suos dulcis conviva Penates,
Pauper, at in terra, nil ubi flare potest.

Tandem aliquando puellae iniurias diutius ferre non potest; accessit enim doloris causa prioribus omnibus gravior (III, 10, 17 sqq.):

Cum sene non puduit talem dormire puellam,
Et canae toties oscula ferre comae;
At tu etiam iuvenem odisti me, perfida, cum sis
Ipsa anus haud longa curva futura die.

Nunc suum ipse agnoscit errorem, nunc se fallaci specie deceptum iure poenas dare fatetur. Precatur ergo (IV, 24, 19 sq.):

> Mens Bona, siqua dea's, tua me in sacraria dono,
> Exciderunt surdo tot mea vota Iovi.

Nunc se nullis iam Cynthiae posse molliri lacrimis declarat (IV, 25):

> Nil moveor lacrimis: ista sum captus ab arte,
> Semper ab insidiis, Cynthia, flere soles.

Nunc ipsi tristissima quaeque imprecatur. Hic quoque communis eroticorum locus dici potest: identidem enim omnes exsecrantur puellas duras, perfidas, mendaces; sed confer mihi Horatii ex hoc genere epodos cum hisce Propertii versibus (IV, 25, 11 sqq.):

> At te celatis aetas gravis urgeat annis,
> Et veniat formae ruga sinistra tuae.
> Vellere tum cupias albos a stirpe capillos,
> A, speculo rugas increpitante tibi,
> Exclusa inque vicem fastus patiare superbos,
> Et quae fecisti facta queraris anus,

quid sit vere iratum esse, quid iram simulare senties.

Iam odit illam quam per quinque annos fidissimo ardentissimoque amore est prosecutus, multo tamen vehementius detestatur omnium malorum causam, lenam; in illam carmen V, 5 scribit; quodcunque excogitari potest maledictum in eam evomit; sed quamvis sit elegia contumeliosa, tamen

quam diversa est ab inani illo verborum strepitu quo Canidiam aggreditur Horatius. Veram iram, verum odium, verum contemptum quisque Propertii spirat versus, sed prae ceteris ultimi (75 sqq.):

> Sit tumulus lenae curto vetus amphora collo:
> Urgeat hunc supra vis, caprifice, tua.
> Quisquis amas, scabris hoc bustum caedito saxis,
> Mixtaque cum saxis addite verba mala.

Non tamen hic Propertii et Cynthiae amoris finis: qui vere unquam amavit perpetuo odisse non potest. Quae sedat et componit omnia mors etiam tristem odiique plenam poëtae mentem placavit. Mortua enim ei Cynthia e sepulchro surrexisse, seque per somnum adiisse videtur: audit eam semet ipsam defendentem, gravissimum perfidiae crimen a se removentem; sed quid cetera persequor? Quae enim illius sit carminis (V, 7) praestantia nemo unquam satis digne demonstrabit.

Multos ergo magnosque dolores Cynthiae amor poëtae affert: quot vero et quanta gaudia! Quam egregiis illa versibus celebrantur! Paucos afferam: sic e brevi conspectu quantus ille fuerit artifex cognosci poterit. Suo enim exemplo docet in vita hominum sic inter se mixtas esse secundas adversasque res ut sine his illae esse non possint. Bona, si nunquam malis interrumperentur, si continua eorum esset series, vix sentirentur. Nullam rem suo pretio aestimamus, nisi ubi eam amisimus; recuperatam demum vere totoque pectore amamus; sic quae semel tristitiae causa fuit postea mentem implet gaudio.

Saepe de puellae suae levitate queritur poëta, saepe illam graviter ei exprobrat. Sed pace composita in hanc eam pec-

care partem mavult quam in alteram. Quae enim antea ei visa levis sit, nunc facilis videtur. Nunc viros ne nimis sint severi obtestatur, „nam" ait (III, 30, 47 sq.):

„Qui quaerit Latias veteres durasque Sabinas,
  Hic posuit nostra nuper in urbe pedem."

Nunc sui temporis laudat mores versibus quos, quia in editionibus non recte distinguuntur, hic apponam ita ut mihi legendi videntur (III, 30, 43 sqq.):

O nimium nostro felicem tempore Romam!
  Si contra mores una puella facit,
Haec eadem ante illam impune et Lesbia fecit
  Quae sequitur, certest invidiosa minus.

(Post secundum enim versum hoc exspectas: „statim adest alia quae eam imitetur", sed iocosissime παρὰ προσδοκίαν sic poëta pergit: „iamdudum alia eodem modo peccavit").

Quam esset ζηλοτύπος Cynthia modo vidimus; at ex hoc quoque vitio quanta poëtae nascitur laetitia! Secum enim eum retinet, et amicis longa suadentibus itinera hic cum legitima excusatione domi et in dilectissima urbe manere potest. „Non" ait „ego mare metuo tempestatesque, sed (I, 6, 5 sqq.):

Sed me complexae remorantur verba puellae,
  Mutatoque graves saepe colore preces.
Illa mihi totis argutat noctibus ignes
  Et queritur nullos esse relicta deos,
Illa meam mihi iam se denegat, illa minatur,
  Quae solet ingrato tristis amica viro.
His ego non horam possum durare querelis:
  A pereat, siquis lentus amare potest!

An mihi sit tanti doctas cognoscere Athenas
Atque Asiae veteres cernere divitias,
Ut mihi deducta faciat convitia puppi
Cynthia et insanis ora notet manibus,
Osculaque opposito dicat sibi debita vento
Et nihil infido durius esse viro?

Paenultimum quem attuli versum quam lepide explicet Burmannus vide in Santenii annotatione.

Dura est Cynthia, sed nisi fuisset non tam ob unam sibi concessam noctem exsultare potuisset poëta. Nunc mihi elegias 6 et 7 libri III legat quamvis severus et morosus censor: manus dare cogetur efficacissimae summi artificis scientiae.

Quum avara esse soleat Cynthia, quanto agnoscit poëta gaudio sua ab illa carmina divitiis anteponi (III, 22, 5 sq.):

Nam mea cum recitat, dicit se odisse beatos:
Carmina tam sancte nulla puella colit.

Qui puellam quam sibi fidelissimam crediderat cum alio deprehendit, iure dolet, queritur, lamentatur. Eodem iure semet ipsum accusat Propertius et Cynthiam, quam toties levitatis accusarit, laudibus effert: mane enim suspicionis plenus ad eam ubi venit, caste et pudice solam cubantem invenit; dignissimumque se hac amicae reprehensione cum dolore agnoscit (III, 27, 31 sqq.):

„Quo tu matutinus" ait „speculator amicae?
Me similem vestris moribus esse putas?
Non ego tam facilis: sat erit mihi cognitus unus,
Vel tu vel siquis verior esse potest."

Iure tum se exclusum fatetur.

Saepe peccat Cynthia, sed peccasse eam poenitet. Tum

ipsa poenitentia eximii fit poëtae gaudii causa. Lege mihi praeclaram illam Lygdami servi interrogationem (IV, 5): nihil in literis Latinis exstare praestantius affirmarem, nisi haberemus epistolam illam, quam ad puellam die eius natali misit Propertius (IV, 9): aurum est illud purum putum, vel si quid auro pretiosius.

Ut ergo tandem huius disputationis summam conficiam: Propertii de Cynthia elegiae ex ipsa vita sumptae sunt: non dico omnia sic ut ille describit gesta esse, non nego multa ab ipso esse afficta poëta; minime vero infitior aliquot illum flosculis pridem inventis sua exornasse carmina; sed tamen in illis spirant omnia vivuntque. Quodsi quis roget quae causa sit cur Horatii non solum nullum a Propertio citetur vocabulum, sed etiam ipsum nomen de industria taceri videatur (casu enim factum esse ut eo loco, ubi tot enumerantur poëtae (III, 32), silentio praetereatur Horatius vix tibi persuadeas), nihil aliud respondere possim quam hoc: tam ipsa natura et indole inter se Propertius et Horatius diversi sunt, ut illi hunc vix poëtam visum esse haud sit incredibile. Nam quae esset Propertii poësis erotica iam vidimus, Horatii vero ... sed priusquam ad illam transeamus paucae etiam de Propertio interiiciendae sunt observatiunculae.

CAPUT SEPTIMUM.

Praestantissimum fuisse poëtam Propertium et alii dixerunt multi et ego pro virili parte ita demonstrare conatus sum ut res tamquam ante oculos posita esset: pulcherrimos enim quosdam eius locos elegi et ita inter se composui ut uno conspectu cognosci posset ipsa indole naturaque illum factum esse poëtam; singularem autem accessisse peritiam veras animi cogitationes ita enuntiandi ut et alii, qui quidem non prorsus essent poëtico sensu destituti, graviter illis commoveri possent. Nunc tamen pulchrarum literarum amantibus molestiarum plus praebet quam voluptatis: tam enim corruptus mutilatusque ad nos pervenit ut vix viginti eius perlegere deinceps versus possimus quin in aliquo haereamus scopulo, quem evitare quidem possumus non removere. Disiecti tantum nobis poëtae restant membra quae ipsi utcunque colligamus componamusque. Atque ita se rem habere ideo vel maxime doleo quod mihi persuasissimum est exstare medicinam, qua si Aesculapius aliquis utatur, ipse nobis restitui possit poëta. Editores enim omnes aut contempserunt aut neglexerunt prudentissima verba, quae, commemoratis aliquot coniecturis, quibus viri docti locum

quendam corruptum sanare tentarunt, addit Burmannus:

„Ex his eligant Propertii cultores periti quod poëtae ingenio maxime accommodatum videatur.”

Neque tamen viros doctos, qui nunc Propertio dant operam, condemno: non, enim, hercle, is sum cui de alienis laboribus severe iudicare liceat libeatve; et est quaedam editorum ratio minime inepta, qui lectoribus manuscriptorum lectionem quam accuratissime repraesentare studeant, neque ullam admittant emendationem quae non tam certa sit et explorata ut nulla remaneat dubitandi causa. Sed quod nemodum illa Burmanni admonitione tamquam fundamento usus e materia Propertiana, si non ipsum Propertium, tamen aliquem poëtam Propertii quam simillimum reficere conatus est, hoc et doleo et miror. Nam innumeri quidem Propertii loci ita traditi sunt ut aut nulla ratione intelligi possint, aut eiusmodi requirant explicationem, qua sermoni Latino vis fiat, sed vix ullus eorum est quin de eo exstet aliqua coniectura, incerta quidem sed lepida, elegans, venusta. Veterum vero Batavorum philologorum ea fuit praestantia ut saepissime tres eorum quatuorve suo quisque modo eundem versum corrigere conati sint coniecturis inter quas difficilis sit optio, ita omnes nescio quid Propertiani habent, ita omnes documento sunt earum auctores praestantissimos fuisse de poësi Latina iudices, poëtica facultate vix ipsi Propertio vel Ovidio inferiores. Illae tamen fere omnes in spissi Santeniani voluminis latent tenebris, una alteraque earum tamquam satis evidens in aliquem textum est recepta, plures in annotationes criticas sunt relegatae, ceterae ne cognosci quidem possunt nisi ab eo qui veterem illam editionem pervolvendi laborem non reformidet. Quid ergo mihi in votis sit rogas. Exstiturum tandem aliquando virum latine perdoctum,

ipsum poëtam Latinum peritum, sani iudicii, elegantem, denique virum qualis Lucianus Mueller est, qui priscorum praesertim illorum virorum ope Propertium nobis exhibeat, tersum, maculis liberum, perspicuum: talis enim editor, quoties in vulgata lectione acquiesci non potest, ex illa suspicionum farragine semper id eliget quod optimum et sit et ipsi videatur. Sic versus nobis praebebit e quibus Propertius vere cognosci possit, non quod ad literam sic ab illo scriptum fuisse praestari ullo modo possit — nusquam adest ea *πειθανάγκη* — sed sententiam habebimus, quae et vicinis versibus egregie conveniat et revera e Propertii mente fluxisse videatur. Eiusmodi autem versus multo digniores sunt qui legantur quam infinita mendorum, quibus codices scatent, copia. Illa tamen incredibili diligentia et sedulitate undique colligunt viri docti, de venustissimis Scaligeri, Heinsii, Burmanni coniecturis altum saepe est silentium. Sed haec precari quidem possum, illis qui aliter censent probare non possum. Non tamen prorsus ineptam meam esse sententiam demonstrare conabor: paucas enim quasdam proponam veterum coniecturas, quas iniuria aut negligi, aut tantummodo in annotationibus commemorari et mihi pro certo constet et argumentis idoneis probari posse videatur.

I, 8*b*, 43. Aliquamdiu vehementer metuit ne Cynthia sua cum divite quodam rivali longinquas navi petat regiones. Sed inanem illum fuisse metum postea cognovit: neque enim poëtae preces aspernata est et locupletis illius divitias prae fidelis amatoris carminibus contemnere se declaravit. Quanto ergo exsultat gaudio Propertius, quam gloriatur; regibus atque tyrannis sibi divitior et potentior videtur. „Nunc mihi" exclamat

Nunc mihi summa licet contingere sidera plantis:
  Sive dies seu nox venerit, illa meast.

Plantis i. e. pedibus sidera tangere ebrius sibi videri potest vel in somnio aeger, sed qui elato est animo, cui insperata contigit laetitia gloriave, is coelum tangere dicitur vel vertice vel manibus digitisque. Cur ergo vetustam coniecturam palmis, quam probavit etiam Heinsius, omnes nunc editores spernant, vel qua ratione vulgatam defendant me non intelligere fateor. Nam argumenta quibus veteres philologi Heinsium refellere sibi videbantur minimi sunt pretii. Inter quos Brouckhusius ad nostrum locum versum Catulli affert (LXVI, 69 de Coma Berenices):

Sed quamquam me nocte premunt vestigia divum

et addit: „qui locus vel solus tueri poterat τὸ plantis quod legitur in omnibus membranis, neque ullo modo audiendi sunt qui palmis substituunt."

Scioppius in Priapea p. 93: „Illud plantis contingere sidera Lipsio et Scaligero Latio interdicendum videtur, at ego Tribunus intercedo et vim fieri veto. Felicem se praedicat Propertius quod Cynthia potitus sit, q. d. iam deus mihi factus videor et in coelum relatus, ubi, ait Catullus, nocte premunt stellas vestigia divum. Plantis contingit terram qui ambulat."

Ritterhusius ad Guntheri versum

Ardua sidereum pulsabat vertice coelum

affert Horatianum: Sublimi feriam sidera vertice, Ausonii: Illum ego si cernam tum tangam vertice coelum, Symmach. I, 46: Digito supera convexa, quod aiunt, tangere. Putes virum doctum Heinsii causam defendere; haec enim addit: „Graeci quoque usi sunt hoc proverbio: Aristaen. I, 10, 1: καὶ τὸ λεγόμενον δὴ τοῦτο ἐδόκει τῇ κεφαλῇ ψαύειν τοῦ οὐρανοῦ. Propertius quoque dicit ad eandem faciem: Contingere sidera

plantis, ubi tamen doctissimi viri *palmis* substituunt." Sed parum sibi constat, statim enim rem alio vertit et: „quos" ait „refutat Scioppius meus Libr. I, Veris. c. 6." Scioppius autem in Verisimilibus idem habet quod in annotatione ad Priapea.

Vides Ritterhusium nullo adhibito argumento Heinsianam condemnare sententiam, Scioppium et Brouckhusium uno versu Catulliano niti:

> Sed quamquam me nocte premunt vestigia divum,

in quo nihil est praesidii. *Premere* et *calcare* (et his similia verba) pedibus sive plantis quid sit perspicuum est, sed inter illa et *contingere* interest aliquid, ut opinor. Contingere enim et attingere recte demum ii dicuntur qui quod longe remotum est petiverunt, qui ergo bracchia, crura, collum extenderunt, et qui ingenti exsultat gaudio is sibi volitare videtur et sidera tangere sive vertice, sive manibus, sed capite, ut opinor, in coelum non in terram converso. Quem autem alii etiam attulerunt Statii versum (I, 2, 212):

> Ire polo nitidosque errare per axes | visus,

is multo etiam a nostro loco alienior est.

I, 9, 29. Deridet poëta amicum qui se nullo tangi posse amore iactaverit: venit enim Amor et misero struit insidias. „Nunc" ait „pristina depone studia et Mimnermi instar carmina compone amatoria; numquam enim te Amor vacuum esse patietur; neque ea tibi confidentiae causa est quod parata tibi sit puella: tum enim quum tu illa potitus esse tibi videberis illa revera te potita erit. Neve credas tum tibi Amorem fore facilem quum prae tua puella ceteras omnes contempseris neglexerisque. Is enim Amor est

Qui non ante patet, donec manus attigit ossa.
Quisquis es, assiduas a fuge blanditias."

Cuiusnam manus, obsecro? Amorisne? Sed quis unquam Cupidinem audivit *manibus* viscera hominum laniare donec ad ipsa ossa digiti eius perveniant? Sed sagittis suis mortales petit neque contentus est priusquam earum una non visceribus solum sed et ossibus inhaereat. Quam pulchra ergo est Modii coniectura *malus*, qua recepta egregia nascitur sententia (non enim praeterea Burmanni *atterit* opus esse opinor). Venuste enim adiectivum *malus* interponitur, quam structuram eleganter Latine scribentibus in deliciis esse multis probari exemplis potest. Unum proponam, quod, licet in nulla editione legatur, egregie rem illustrat. Apud Phaedrum II, 4 aquilam de instanti periculo sic admonet felis:

Pernicies, ait,
Tibi paratur, forsan et misero mihi.
Nam fodere terram quod vides quotidie
Aprum insidiosum, quercum vult evertere.

Iure sic locus hic ab editoribus exhibetur, nam coniecturam Bentleianam *insidiosus*, quod acute observavit Harius, metrum respuit h. e. metro coactus Phaedrus ad structuram parum elegantem confugit. Nam si prosa oratione eius fabulae essent scriptae, omnino Bentleio obtemperandum erat; elegantissime enim composita esset sententia: Aprum quod vides quotidie terram fodere, insidiosus quercum evertere vult. Quam apte porro Amori epitheton *malus* praebetur; quam lepidum denique Modii coniectura nanciscimur dictum pro inepta sensuque cassa lectione: manus attigit ossa.

In eadem elegia (19 sqq.) sic amicum quam terribiles sint Amoris vires his versibus docet:

Tunc magis Armenias cupies accedere tigres
  Et magis infernae vincula nosse rotae
Quam pueri toties arcum sentire medullis
  Et nihil iratae posse negare tuae.

Sufficit, ut opinor, semel Amoris esse percussum sagitta praesertim si illa per ossa medullas attigit: ubi semel sic scopum percussit, laetus abire solet Amor et successu gloriatur, non iterum iterumque eundem petit. Quidni ergo grati accipiamus pulcherrimam Dousae emendationem *totis* quae lepidissimum efficit distichon:

Quam pueri totis arcum sentire medullis
  Et nihil iratae posse negare tuae.

Qui enim *semel* sic totis medullis Cupidinis accepit telum is in posterum nihil negare iam puellae suae poterit, sed *semper*, quotiescunque aliquid illa rogabit, concedere erit paratus.

III, 7, 41 sqq. „Nihil est felicius gratiusve" poëta ait „quam vitam cum puella dilectissima consumere,

Qualem si cuncti cuperent decurrere vitam
  Et pressi multo membra iacere mero,
Non ferrum crudele neque esset bellica navis
  Nec nostra Actiacum verteret ossa mare."

Mare naufragorum ossa *provolvit*, in litus *eiicit* ibique *alluit*, sed nullus hic *vertendi* verbo locus est: *versare* enim pro *volvere* dici potest, *vertere* aut omnino non potest aut languidum frigidumque videtur. Egregium vero est quod reposuit Scaliger *verreret*. De

vertendi et *verrendi* verbis confusis vide doctam Burmanni annotationem.

Lib. IV el. 21 his incipit versibus:

Magnum iter ad doctas proficisci cogor Athenas,
Ut me longa gravi solvat amore via.
Crescit enim assidue spectanti cura puellae:
Ipse alimenta sibi maxima praebet amor.

Sic vulgo leguntur. Baehrensius pro *spectanti* edidit *spectando* atque illud e prava emendatione natum censet: in codice enim N esse *spectandi*, quod quum intelligi non posset coniecisse aliquem *spectanti*. Certe lectione a Baehrensio probata sana structura efficitur, sed neque minus probabile et multo elegantius est quod coniecit Burmannus *spectanti cura puellam*. Sic demum vere latine et Ovidiana Propertianaque ratione vocabula disponuntur, et solent poëtae vocabulum *cura* (sive in plurali *curae*) absolute pro amore doloribusque quos ille affert ponere, non addito genitivo quo quae femina ametur significatur. Pauca dabo ex Ovidio exempla.

Met. III, 396. De Echo: Extenuant vigiles corpus miserabile curae.

VI, 491. Semel aspecta Philomela Tereus

Aestuat; et repetens faciem motusque manusque
Qualia vult fingit quae nondum vidit et ignes
Ipse suos nutrit, cura removente soporem.

VIII, 81. Nox dicitur: „Curarum maxima nutrix": *crescit* ergo nocte *cura*, ut est apud Propertium.

XI, 426. Cognito longum iter facturum coniugem et alia Halcyone lamentatur et haec:

At, puto, per terras iter est, tantumque dolebo,
Non etiam metuam, curaeque timore carebunt.
Aequora me terrent e. q. s.

ubi curae non id significat quod primo aspectu videtur sed: absentis mariti carissimi desiderium.

In eadem elegia vs. 12 sq.

Nunc agite, o socii, propellite in aequora navem,
  Remorumque pares ducite sorte vices.

Satis obscurum istud remorum pares vices videtur, et πάνυ ἀσυμμέτρως tria haec verba componuntur cum simplici sorte. Metuendum praeterea ne quis illa legens de aliqua sorte quae ex urna ducitur cogitet. Quam perspicua vero omnia fiunt Heinsii coniectura:

Remorumque pari ducite sorte vices,

quam eleganter hoc dictum est, quam apte lepideque omnia sunt disposita tamquam tesserulae. Hoc quid sit dubitare nemo potest: simplicissimo enim ornatu remorum vices positum est pro alternos remos, et pari sorte pro aequabiliter.

Et omnino veteres illi Batavi licet ductus apicesque literarum interdum parum curarint et de illa probabilitate diplomatica ne somniarint quidem, semper sano sobrioque iudicio quid sententia postularet statuebant, poëtas suos in succum et sanguinem verterant, ergo quae lectio illorum naturae et sermoni responderet semper penitus sentiebant, elegantiae vero et venustati vim faciebant nunquam. Exemplo utar uno Propertii loco, cui illorum acumen et facultas poëtica magis profuerunt quam hodiernorum hominum severa et accurata sapientia. Amicum quendam philosophiae et severis

studiis deditum ideoque nil in se Amoris valere sagittas saepe gloriatum, ubi tandem illius parere imperiis coactus est, lepidissimis iocis perstringit Propertius et: „Quid" it (III, 32, 27 sqq.):

Quid tua Socraticis tibi nunc sapientia libris
  Proderit aut rerum dicere posse vias?
Aut quid .... tibi prosunt carmina lecta?
  Nil iuvat in magno vester amore senex.

Si literis etiam aliquid dare temporis vis, erotica compone carmina, huic soli iam aptus es generi". Eo loco ubi ego lacunam reliqui in codicibus sunt Erethei, Crethei aliaque ἀδιανόητα quibus sanandis permulti operam dederunt viri docti. Profecto egregius est criticus Lucianus Mueller, in poëtis latinis siquis alius versatus, acutus, sagax, semelque in nomine proprio eruendo tam felix fuit ut iure admirationem eius moveat emendatio. Legebatur nempe apud Varronem VI, 82: „Spectare dictum ab specio antiquo, quo etiam Ennius usus est:

Vos epulo postquam spexit"

in quo loco ridicule sudarunt viri docti, quorum unus populos coniecit. Egregie vero Lucianus Mueller, usus loco apud Festum: „Spicit, Ennius l. XVI quos ubi rex...ulo spexit de cotibus celsis" restituit versum Ennianum:

Quos ubi rex Epulo spexit de cotibus celsis

agitur enim de bello Istrico, et regi Istrorum nomen est Epulo teste Livio XLI, 11. Minime tamen praestantissimi critici auctoritate moveor ut etiam loco Propertiano eius probem lectionem: „Aut quid epe Chii". Primum enim, ut iam illud epe (ἔπη) probes, tamen epe et carmina

simul ferri non possunt. Deinde non facile credo quemquam amicorum suorum sic esse allocutum Propertium: „Quid tibi nunc prodest quod Homerum legisti?" Quotus enim quisque hominum paulo cultiorum Homerum *non* legerat, neque eiusmodi Ilias et Odyssea sunt ut vel is qui memoria eas teneat sibi supra vulgus sapere videatur, seque illis rebus quibus ceteri omnes commoveantur tangi non posse arbitretur. Multo tamen minus placet Baehrensii coniectura „Aut quid nunc Tei", ea enim ut ridicule sibi obloquatur Propertius efficit. Quid enim? Ita iocatur Propertius: „Vis etiam vacare literis; quid ergo

insanus medio flumine quaeris aquas?

De amore cane, si non aliorum at tuo, digna ea materies." Sed praecedere debet, ut opinor, aliqua exercitatio. Bonum ergo factum si iam Anacreontem novit: nemo enim illo melius quid sit carmina erotica facere docet. Praesertim Propertii amico *prodesse* potuit si, quod fingere in promptu est, in philosophiae ille studio florem aetatis consumpserat. Poterat enim Anacreontem imitari querendo

τὴν μὲν ἐμὴν κόμην
— λευκὴ γὰρ — καταμέμφεται
πρὸς δ' ἄλλον τινὰ χάσκει.

Scaligeri vero inventum pulcherrimum est: coniecit enim *Lucreti*, quod tamen nemo recepit; deterruit, ut opinor, omnes *latinum* Lucretii nomen interiectum tot Graecis. Sed debile istud argumentum contra praeclaram emendationem videtur. Quid enim, obsecro, obstabat quominus ceteros Graecos, unum Latinum nominaret Propertius? Quae lex vetabat? Opus hic erat poëta qui reconditum aliquod argumentum docte et ex artis legibus tractasset, quem pauci

ergo recte possent intelligere, cuius nomine frequenter abuterentur qui docti videri vellent. Nonne ea in Lucretio erant omnia, nonne Augusteae aetatis poëtis senex ille videbatur? Nullus poëta, ut opinor, excogitari poterat cuius hic tam apte tamque venuste fieret mentio; periculumque erat ne Graecum nominando obscurus fieret Propertius. Adde quod et ceteris omnibus priorum saeculorum viris doctis et Hemsterhusio admirabilis et verissima visa est emendatio, et cur Epicuro Latino suus hic locus sit ex utilissima cognosce Burmanni annotatione.

Et quoniam semel in re versor critica, de paucissimis locis meas suspiciones doctiorum permittam iudicio.

I, 8, 9. Cynthiae iter maritimum facturae et alia imprecatur et haec:

O utinam hibernae duplicentur tempora brumae,
  Et sit iners tardis navita Virgiliis
Nec tibi Tyrrena solvatur funis arena,
  Neve inimica meas elevet aura preces,
Atque ego non videam tales subsidere ventos
  Cum tibi provectas auferet unda rates,
Et me defixum vacua patiatur in ora
  Crudelem infesta saepe vocare manu.

Sensu cassa ea esse nemo non videt; multi ergo multa tentarunt. Nonnullis autem versuum placuit haec transpositio:

Et me defixum vacua patiatur in ora
  Crudelem infesta saepe vocare manu,
Atque ego non videam tales subsidere ventos
  Cum tibi provectas auferet unda rates,

qua quid lucremur non video, nihilo enim minus obscuri

nunc versus sunt Atque — rates. Veram monstravit, ut opinor, viam Burmannus legendo:

Aut ego tum videam faciles subsidere ventos.

Ea autem recepta emendatione et servato pristino versuum ordine, levissima etiam accedere debet correctio; pro *patiatur* enim legendum est *patiantur*. Sic omnia egregie procedunt et pulcherrima exsistit sententia: „o utinam, quum iam e portu exiit navis qua veheris, et in alto mari est (hoc enim significat „cum tibi provectas auferet unda rates"), subito venti, precibus meis faciles, subsidant mihique ita praebeant facultatem tibi crudelitatem tuam exprobrandi." Quod autem *provectas rates* dicit Propertius, aut metri causa pro singulari utitur plurali, aut ille Cynthiae amator, Propertii rivalis, homo fuit nobilis cum classe in provinciam profecturus.

II, 4, 17 sq. Quae Amoris sint vires his docet versibus poëta:

Non hic herba valet, non hic nocturna Cytaeis,
Non Perimedeae gramina cocta manus.

Non admodum eleganter vocabula *gramina cocta* cum genitivo iunguntur, multoque praestare opinor Perimedeae gramina cocta *manu*, ut *manu* sit dativus, quemadmodum et I, 11, 12:

Alternae facilis cedere lympha manu,

ad quem locum vide Burmanni annotationem.

I, 17, 15 sq. Quod puellae iniuriis exacerbatus Roma abierit et aliis verbis conqueritur poëta et hisce:

Nonne fuit melius dominae pervincere mores?
Quamvis dura tamen rara puella fuit.

Pro rara Heinsius legendum censuit cara, quam ego coniecturam omnino probandam censeo, licet iam aequales Heinsio sint oblocuti. Quid enim contra eam et olim attulerunt viri docti et nunc afferunt? „Saepe in inscriptionibus" aiunt „legitur feminae rarissimae". Quid mirum si quis dicere vult aliquam feminam ceteris omnibus praestare virtute, castitate, illam raram vel rarissimam appellari? Omnibus enim eam exemplo fuisse neque facile aliam ei parem inventum iri ea voce significatur. Quid quod eodem sensu et a Propertio haud semel idem ponitur adiectivum. Sic (V, 11, 52) Claudia dicitur:

turritae rara ministra deae.

In Clodia enim antiquam castitatem admirabantur aequales posterique, ipsis diis immortalibus fuit gratissima, ergo miraculum exhibuit: zona enim (vel crinibus, ut aiunt nonnulli) navem in qua vehebatur Magna mater, in vadis haerentem traxit. Nonne eiusmodi femina revera rara est? Et eodem modo de Cynthia prae suis carminibus nil non contemnente exclamat (I, 8, 41 sq.):

Sunt igitur Musae, neque amanti tardus Apollo,
Quis ego fretus amo: Cynthia rara meast.

Rectissime, ut opinor. Quam paucae enim mulierculae adeo in deliciis habent poësin? Sed omnibus his locis de „absoluta", ut eo utar vocabulo, feminae virtute sermo est, at nostro loco de „relativa" agitur. Hoc enim dicit poëta: quamvis multa magnaque in Cynthia deprehendam vitia, tamen eam non amare non possum, sed semper cara mihi est. Prorsus eodem modo apud Lygdamum (Tib. III, 1, 5) legitur:

Dicite Pierides quonam donetur honore
Seu mea, seu fallor, cara Neaera tamen

et III, 6, 55 sq.:

> Perfida nec merito nobis inimica merenti,
> Perfida, sed quamvis perfida, cara tamen.

Ubi si quis pro *cara* scribere vellet *rara*, exploderent eum omnes. Eo ergo sententia mea redit ut censeam Heinsium alterum locum (I, 17, 16) rectissime emendasse, sed errasse quod alterum (I, 8, 42) non reliquerit intactum.

CAPUT OCTAVUM.

Horatii quae sit poësis erotica videamus: ipse nobis rem plane explicabit. „Petti" ait (Epod. 11) „tres anni transierunt ex quo Inachiam deperibam; ecce iterum!" At mihi immensum illud videtur spatium. Quid enim? Tres illi anni tam placide effluxerunt ut interea versiculos facere posset quod nunc non potest. Quod genus versiculorum? rogas. Difficile dictu: admodum enim probabile est multos interiisse „versiculos" quos identidem adolescens Horatius ad amicos mittebat. Sed hoc iam constat per tres illos annos non occupatam eius mentem fuisse illis rebus, quae nunc eum a quovis retinent negotio. Quis unquam poëta amore vacuus fuit? At fuit Horatius idque per t r e s annos. Esto: „Nunc" ait „amor obstat quominus ullam aliam rem tractem." Audio. At n u n c eum pudet durae servitutis quam sub Inachia passus est, pudet inconstantiae pristinae levitatisque. Amoris sui pudere aliquem, ubi ille praeterierit consentaneum est: quis non sibi ridiculus fuisse videtur postquam puellam caritate qua eam est amplexus indignissimam fuisse expertus est? Sin vero in pristini locum novus successit amor, nullus iam pudori locus est;

vel potius ita dicam: iuvenis qui vero quodam flagrat amore de illo tantis ambagibus philosophari non potest. Sed pergamus. „Tam plenus amoris sum" ait poëta „ut versus facere non possim". Mira res, sed affirmanti credendum. „Illi amori non poterunt amicorum admonitiones adhortationesque imponere finem". Hoc magis credibile. „Nihil me hoc liberare amore poterit nisi novus quidam ardor". Explicit carmen ad Pettium. Quid ergo illius fuit argumentum? Rogavit Pettius Horatium ut novum carmen scriberet. Respondet poëta carmine mittendo quo declarat se neque nunc carmina scribere neque unquam posthac scripturum. Quid est de amore nugari, quum ipse ab amore remotissimus sis, nisi hoc est? Et quo prudentissimum illud

ποιητὴν δ' ἄρα
ἔρως διδάσκει κἂν ἄμουσος ᾖ τὸ πρίν

abiit, quod quam egregie et verbis et exemplo suo explicuerit Propertius modo vidimus? Non carmen istud est sed versiculi utcunque conflati ab eo, qui dummodo iusti explerentur pedes de versuum suorum sensu fuerit securissimus. Versibus autem 15—18:

Quodsi meis inaestuet praecordiis
  Libera bilis, ut haec ingrata ventis dividat
Fomenta vulnus nil malum levantia
  Desinet imparibus certare summotus pudor

temporum iniuria nocuisse videtur. Istius modi enim aliquod ἀδιανόητον ne quum pessime quidem scriberet Horatium scripsisse credo.

Notissima illa sententia ποιητὴν—τὸ πρίν Horatio vix innotuisse videtur. Idem enim illud „prae amore versus facere

non possum" quod modo observavimus mox alio Epodo (14) recurrit. Ibi enim haec ad Maecenatem scribit Horatius: „Rogas me quidni ad te perfectum iam plenumque iamborum mittam librum: Cupido obstitit. Amore enim nunc ardeo non minus quam olim Anacreon Teius. Quid hoc sit nosti; ipse enim miser ureris". At Anacreon persaepe, ut ipse ais „cava testudine flevit amorem non elaboratum ad pedem". Illum ergo imitatus esses: non severe promissum a te exegisset Maecenas, neque se damnum accepisse putaret si pro Archilocheis convitiis aliquid ei Anacreontei generis dedisses, praesertim si illud plenum esset illius ignis quo te ipse dicis ardere. At poëtam revera arsisse quum ista scriberet quis credat? Ipse enim confitetur:

Me libertina, nec uno
Contenta Phryne macerat.

Ergo Phryne perfida quidem fuit sed „quamvis perfida cara tamen". Haud mirum tibi accidere quod de se et alii declarant et Propertius. At Phrynae opponit Maecenatis puellam, ipsumque sic alloquitur: „Gaude sorte tua". Ergo tam fidelis illa fuit quam Phryne fuit perfida? Nihil huiuscemodi Horatius nos docet; dicit tantummodo:

Non pulchrior ignis
Accendit obsessam Ilion.

Iam hoc satis ineptum, ut opinor, amoris ignem cum igne urbem exurente comparare, non propter vim et vehementiam sed propter pulchritudinem. Non, hercle, Aeneae Priamoque patriae suae flamma pulchra visa est. Sed in ea tamen acquiescamus imagine. Quid ergo? Felix est Maecenas si eius sors cum Horatii comparatur. Cur? Quia tam pulchram

Maecenas amat puellam. Ergo neque pulchra Phryne et perfidiae exemplum. Quem, obsecro, turpis puella e vulgo scortorum tam vinctum ligatumque tenet ut se colligere et ad se redire non possit? ‚Horatium tenuit' ais. Non credo: pectus disertum, poëtam amor facit; de amore versiculos sine sensu conflat nemo nisi omnis amor procul abest.

Sic ergo amorem suum Horatius describebat quum triginta annos natus esset. Quomodo quinquagenarium descripsisse putemus? Videamus quid carmine IV, 1 dicat et accurate illud aspiciamus. Hoc enim id fere aetatis quum esset scripsit, seque tum denuo Veneris vim expertum esse declarat. Cuiusmodi ergo ab eo exspectemus carmen? Opinor hoc fere: de novo amore iocatur et sic secum loquitur: „Olim puellis vixi idoneus. Quam pulchra illa aetas fuit, quam felix ipse fui sub imperio Cinarae, Lyces, Phrynes. Etiam nunc nil mihi iucundius visu est quam iuvenum puellarumque mutui tenerique amores. Nam licet aetate iam sim satis provectus, tamen haud ineptus mihi formarum videor iudex. Quam ludicrum esset quamque iocosum si ipse denuo nova arderem flamma! Sed absint ineptiae! Iam enim senex fio: fuit illud tempus et irreparabile effugit. Verum per deos immortales, quid hoc est? Quid mihi dum loquor lacrimae cadunt et vox haeret ... e. q. s." Sed rem convertit Horatius: Quod enim tantummodo in fine ponendum erat etiam in initio ponit, sic illud

Sed cur, heu, Ligurine cur e. q. s.

multo fit languidius quam oportebat. Adde quod primi versus ridicule sibi inter se obloquuntur: „denuone arma moves Venus? at ego iam durus sum tuis imperiis: Paulum Maximum aggredere, dignus ille est quem petas, iuvenis enim est et, quod strophae explendae causa additur, peritus est

causarum patronus et bonarum artium plenus." Quomodo ergo poëta, si revera iam is est qui Veneris vim sentire non possit, tamen eam rursus bella movere sentit? Sed et hinc omnis amoris sensus procul exulat. Quomodo vere amanti argumentum tractandum fuisset vidimus; nunc haec sola cogitatio poëtam occupatum tenuisse videtur: „Nonne novo carminum volumini etiam aliquid de amore addendum est? Turpe sit poëtae lyrico de illo tacere, ergo de Paulo Maximo canamus, nam quod ad me ipsum pertinet quid amor sit nescio. At hoc si de me fatebor ridebunt me lectores, deque mea lyrici poëtae fama actum erit. Quid agam? Pulchrum Ligurinum huc traham vinctum".

Ne ergo nimis severi in poëtam simus eique spurcos, taetros, abominandos amores exprobremus: qui enim semet ipsum accuset simul nobis praebet argumenta quibus nullam in eo fuisse culpam pro certo constet. Alterum quod est de Ligurino carmen (X) aspiciamus. Pulchrum illum a se amari puerum affirmat poëta, sed frustra; crudelem enim eum esse et se suasque aspernari preces. Ergo ei minatur et instantis eum admonet periculi. „Nunc" ait „tu superbis, mox te spernent alii." At nihil hic puer habet quod metuat; ubi enim praeterierit tempus quo turpes istas flammas movet, multo pulchrior aderit adolescentiae aetas; is enim Ligurinus est

quo calet iuventus
Nunc omnis et mox virgines tepebunt.

Quo hoc laboraret carmen vitio egregie sensit qui imitatus est Ausonius; e puero enim puellam fecit et sic lepidissimum hoc potuit facere epigramma (XIII):

Sprevisti, obrepsit non intellecta senectus
Nec revocare potes qui periere dies.

Nunc piget et quereris, quod non aut ista voluntas
  Tunc fuit aut non est nunc ea forma tibi.
Da tamen amplexus, oblitaque gaudia iunge:
  Da, fruar, et si non quod volo, quod volui.

De se suisque amoribus quid sentirent lectores parum curasse Horatium dummodo carmen numeros veniret ad aptos ex his de Ligurino carminibus satis iam apparet, sed nescio an melius etiam idem doceat carmen ceteroquin satis venustum quod nunc afferam. Est IV, 11. Invitat poëta Phyllidem ut secum Maecenatis diem celebret natalem, versiculis nitidissimis, in quibus nil reprehendendum videtur praeter vocabula

Ex hac
Luce Maecenas meus affluentes
  Ordinat annos

de quibus supra iam vidimus. Venustum, aio, carmen est et aptissimum hilares splendidasque paranti epulas: vivunt in eo spirantque omnia.... praeter amorem, qui magnam occupat carminis partem: is solus mortuus est frigidusque. Quis enim vere amans sic loquitur: „Agedum Phyllis, pulchrum istum nobilemque iam mitte Telephum; is te aspernatur, iure, ut mihi videtur; me ergo contenta esto"? Mihi certe ista legenti in mentem venit Antisthenis, qui apud Xenophontem (Conv. IV, 38) de se gloriatur:

ἢν δέ ποτε καὶ ἀφροδισιάσαι τὸ σῶμά μου δεηθῇ, οὕτω μοι τὸ παρὸν ἀρκεῖ ὥστε αἷς ἂν προσέλθω ὑπερασπάζονταί με διὰ τὸ μηδένα ἄλλον αὐταῖς ἐθέλειν προσιέναι.

Horum ergo mihi verborum in mentem venit simulque.... secundae primi libri satirae Horatianae. Illam enim qui scripsit non is est qui veros honestosque amores pulchris depingat coloribus. Sed ad Phyllidem redeamus. „Age iam

meorum finis amorum" πάνυ παθητικῶς exclamat poëta; sed quid sequitur? Ipse flammas restinguit quas movisse videtur. „Disce modos amanda voce quae reddas, minuuntur atrae carmine curae". Iam fac carmen, quod etiam discendum est Phyllidi, efficere posse ut Telephi obliviscatur; num simul efficiet ut poëtam amare incipiat? An amore nihil opus est? Ita poëtae videtur. Qui ergo in carmine amatorio ante omnia ardorem quendam requirunt, mecum liberum istud et Romanum Catulli ad Ipsitillam carmen longe hibernis hisce praeponent frigoribus.

Eodem tempore quo IV, 11 scriptum videtur c. I, 19, revera decem fere annis ante scriptum est. Nam in eo quoque se

Finitis animum reddere amoribus

cogi dicit et de renascente amore magnifice quidem declamat poëta, nihil tamen affert quo lector commoveri possit.

Horatium autem de amoribus suis narrantem absurda quaedam, inter se certantia, et vero amori adversa fronte repugnantia dicere quid miremur? Ipse enim sponte declarat se integrum et amore vacuum esse, et tam saepe declarat ut ea re fere gloriari videatur. Ecce exemplum.

I, 6. „Agrippa" ait „res tuae terra marique gestae a Vario scribentur; ego si aliquid eiusmodi tentarem famae tuae obstarem magis quam prodessem: tam magna et praeclara argumenta ego ne tangere quidem audeo,

Nos convivia, nos proelia virginum
Sectis in iuvenes unguibus acrium
Cantamus vacui, sive quid urimur
Non praeter solitum leves."

At ne si alienos quidem tractas amores ardoris aliquid

nocet; si vero eiusmodi es ut in amore quoque ante omnia modum tenere studeas (huc enim spectat istud non praeter solitum leves) de tuis amoribus tacere satius est.

II, 4. Venustissimum hoc carmen est quo amicum admonet ne sibi ancillae amorem pudori habeat: iocosissime illam cum puellis quas heroes amarunt comparat, lepidissimeque amicum flammas suas dissimulantem ludibrio habet magnificentissima quaeque de puellulae illius nobili genere suspicando. Sed quae de se ipse addit ineptum efficiunt carminis finem:

Bracchia et vultum teretesque suras
Integer laudo; fuge suspicari
Cuius octavum trepidavit aetas
  Claudere lustrum.

Primum vir quadragenarius non est, ut opinor, decrepitus senex; qui eam laudat puellam cuius vultu, forma, risu prorsus non tangatur, non laudat sed declamat.

Aliam ipsius poëtae videamus confessionem (III, 19). Amicum iuvenem qui prae historicis disquisitionibus cetera omnia negligit contemnitque ad hilares invitat epulas. Ipsa invitatio (1—8) egregia est lepidaque; reliqua omnia insulsa sunt, frigida, sensu cassa. Minime vero placent quae de suo ipse amore declarat poëta: „Telephum" ait „Rhode amat petitque,

Me lentus Glycerae torret amor meae".

In se ergo dictum credat Propertianum illud

Ah, pereat, lentus si quis amare potest.

Omnino venustas puellas aut non curasse videtur Hora-

tius aut parum. Alioquin enim servum, quem operam dare iubet ut convivium, quod propter felicem Caesaris reditum celebraturus est, quam splendidissimum sit hilarissimumque, alloqui sic non potuisset (III, 14, 21 sqq.):

> Dic et argutae properet Neaerae
> Murreum nodo cohibente crinem;
> Si per invisum mora ianitorem
> Fiet, abito.

Hoc est, ni fallor: „Huc et Neaeram lepidissimam voca puellam, sed si venire aut non vult aut non audet, instare noli. Nam equidem utrum illa adsit an non plane non curo." Quid ergo mentionem eius iniicis, poëta? Tacere de ea quae tam parum tibi cordi sit satius fuit. Quid enim nos, quos ad epulas tuas invitas, pristinum tuum ardorem curamus, si nunc tam lentus es? At deerant carmini duae etiam strophae, illae ergo verbis e re amatoria sumptis utcumque erant consarcinandae. Atque illa quum scribebat quadragesimum aetatis annum agebat Horatius.

At antea, dixeris, amabat. Credo, sed non ita ut poëtam eroticum decet. Exilem enim ei amor cantandi praebuit materiem. Propertii et Cynthiae amores quam pleni fuerint vicissitudinum vidimus, eamque ob causam digni erant de quibus poëta caneret. At Horatius in amore semper infelix fuisse videtur. Plerumque enim de suis ignibus non cantat sed lamentatur.

I, 23. Chloë poëtam fugit vitatque hinnuleo similis.

III, 10. Porrectus iacet ante Lyces ianuam poëta; illa tamen preces eius aspernatur, quamvis mugiant venti et (rara in Italia res) glacie omnia sint adstricta. At aliis illam esse tam duram tamque crudelem viris vix est credibile. Nupta enim est marito non severo ex antiqua Romanorum

disciplina, sed homini levi atque infido, qui iustam uxorem prae pellice negligit illamque ergo peccare tantum non cogit.

III, 11. E variis pannis hoc consutum carmen est: laudes enim Mercurii cum Danaidum poenis coniunguntur. Quomodo? quaeris. Dicam quamvis incredibilis res sit. Mercurium alloquitur Horatius et quae eius egregie facta a poëtis tradita sunt omnia ordine enumerat. Hac in re quinque consumptis strophis deum satis iam laudatum precatur ut Lyden, pulchram puellam sed ‚obstinatam' mollire conetur. Audio, est enim Mercurius deorum nuntius, et sunt in deorum tutela poëtae; poëtae ergo ad puellam perferat verba. Sed quo ei in allocutione ad Lyden utendum erit argumento? Accurate mandata deo homo dat: narrabit Mercurius de Danai filiabus quae maritos occiderunt, praesertim tamen de una illarum quae patris imperii immemor cum suo periculo salutem marito attulit. Quid haec omnia ad Lyden? An Hypermnestrae eam exemplum adhortabitur ut et ipsa tam bene de marito mereatur? At est etiam „cruda marito" et hoc imprimis agendum est ut amantium precibus aurem praebeat. An ceterarum Danaidum poenae illam a scelere revocabunt? At nihil commisit vel commissura puellula est quare cum scelestis illis comparetur mulieribus. Vides iam, ut opinor, quam tenui vel potius nullo filo Lyde cetero sit annexa carmini, neque admodum de ea sollicitum fuisse poëtam qui eam tanta doctrinae mythologicae mole obrueret. Multis autem viris doctis praeeunte Peerlkampio nimis absurdum hoc carmen visum est quam ut sic ab Horatio scriptum crederent. Alii ergo tentarunt alia. Elegantissime Lehrsius versus 17—20 et 25—28 expulit et pro manent (vs. 29) legit luunt, quo facto sat laudabile nascitur carmen, cuius hoc fere est argumentum: „Mercuri! lyra tua permulcere et mollire Lyden tenta, quae nunc

obstinato animo et ceteros viros et me fugit; difficilis ille est labor, sed tua ars nihil non potest: tu silvas ferasque ad te trahis, tibi Cerberus cessit, te canente Ixion Tityosque riserunt et urnis vacarunt Belides." Eo ubi perventum est poëta Pindari instar, exordii plane immemor, in una carminis parte exornanda diu immoratur, et semel iniecta Danaidum mentione multis versibus unam illarum, sororibus longe praestantem, celebrat.

Sic certe carminis absurditas sublata erit, strophae de Lyde, quas admodum pulchras esse minime nego, bene cum praecedentibus cohaerebunt. Sed neque illam delendi rationem probo, et vel sic totum carmen eius rei de qua dicebam exemplum est. Sperni enim se a Lyde verbis queritur poëta, revera non curat.

II, 8. Lepidissimo carmine Barinen (vel quodcunque tandem puellae nomen est), a qua toties sit deceptus, perstringit et „dente" ait „si nigro fieres vel uno turpior ungui, crederem" sc. fabulas quae de periurii poenis circumferuntur veras esse. „Nunc scio amantium periuria diis curae non esse, nam tu simulatque peierasti multo pulchrior exis." Saepe ergo eius perfidiam expertus est, certe expertum se dicit.

Ex eodem genere est Epod. XV. Eo enim Neaerae iocosa gravitate in memoriam revocat noctem qua per omnes deos deosque promisit „fore hunc amorem mutuum. At quam turpiter" ait „me iureiurando tuo decepisti; alium enim mihi praefers. Sed noli nimium formae tuae confidere, nam tandem aliquando aderit tempus, quo non diutius feram assiduas te potiori dare noctes, tum me desiderabis nec revocare poteris." Hinc se ad aemulum convertit et „cave" inquit „nam quae nunc me prae tuis divitiis tuaque doctrina contemnit mox alios tibi praeferet; tum tu dolebis, ego ridebo." Suave carmen est, num veri amoris quidquam

insit dubito. Quis enim verus amator, ubi iam pro certo constat puellam assiduas potiori dare noctes, etiam precibus et querimoniis quidquam se effecturum sperat. Aemuli autem divitiae, forma, lepores metuenda sunt, in eius doctrina et arcanae philosophiae scientia periculi est nihil.

Qui in amore tam sit infelix, eum credibile est ferre vix posse alios a puellis suis amari; aliorum enim felicitas ipsum miseri sui durique fati admonet. Ergo quoties a Lydia Telephum laudari audit acerbissimo afficitur dolore. Et est ille rivalis puer protervus, amans rixarum, ferus, ipse lentis maceratur ignibus. (I, 13, 8).

Neque tamen semper felicioribus invidet, saepe illorum qui sibi fortunatissimi videntur eum miseret; expertus enim novit quam dura eos maneat sors. Hinc lepidissimo carmine Pyrrham sic alloquitur (I, 5): olim ego te deperibam, Pyrrha: quem miserum nunc tibi devinxisti? Nunc ille laetatur, sed quam mox lamentabitur lacrimabitque perfidia tua cognita. Omnino omnes miseri sunt quibus

Intentata nites, me tabula sacer
Votiva paries indicat uvida
Suspendisse potenti
Vestimenta maris deo.

Lepidissimum est, ut aiebam, carmen et venustulis vocabulis elegantissime compositum, sed num revera unquam Pyrrham amarit poëta iure dubitamus.

Durae crudelesque adversus poëtam et aliae omnes puellulae et Glycera fuisse videtur. Veneris ergo auxilium implorat eamque precatur ut se cum Cupidine, Nymphis, Iuventate, Mercurio in Glycerae domum transferat (I, 30). Tot ergo diis deabusque ad unam poëtae conciliandam mulierem opus est. Totum hoc carmen Horatio abiudicat Peerl-

kampius, cui assentirer si incredibile mihi videretur Horatium eroticum tractantem argumentum verba nominaque sine sensu accumulasse.

Virum qui puellas semper perfidas, crudeles, duras expertus sit, cui amor laetitiae nihil, miseriarum multum attulerit, maturiorem factum diris imprecationibus et acerbis convitiis iocisque omnes persequi feminas non est mirandum. Multus ergo in hoc genere est Horatius, sed vero eum odio veroque contemptu moveri haud facile mihi persuadebitur. Convitiandi enim, imprecandi, deridendi iam duodetriginta annos natus initium fecit. Tum enim acerbissimos illos in Canidiam scripsit epodos V et XVII. Quarum altero Canidiam describit inferorum diis foedissima ferentem sacra. Quo carmine si nihil aliud quam nocturnum aliquod facinus taetrum atque horrendum aterrimis depingere voluisset coloribus, summa laude dignum esset. Egregie enim ad eam rem delecta sunt verba. Sed illud poësis picturaeque genus nostra demum invenit aetas. Parata ergo est coniectura hoc sibi poëtam proposuisse ut Canidiam, quam puellam frustra amasset, vetulam iam factam tamquam magam et veneficam derideret. Sed qua aetate ergo poëta erat quum primum eam amare coepit? Ad eandem Canidiam scriptus est Ep. 17, quo se palinodiam canere simulat et victum dare manus eius scientiae. Sed et alibi semper maga appellatur Canidia, etiam ubi nullum est deridendi iocandive consilium; in ore igitur fuit aequalibus omnibus artesque eius vulgo erant notae. Non ergo illud magae nomen finxit Horatius, non eo convitio puellam olim dilectam perstrinxit, sed quod supra de epodis maledictorum plenis dixi idem et de duobus hisce valet: semet ipsum in Archilocheo genere exercere volebat Horatius; opus ergo erat argumento, et quod primum se obtulit eo usus est.

Epodis autem de Canidia simillimum est C. I, 25 quo in Lydiam senescentem iam invehitur. Est autem carmen omnis decoris omnisque honestatis expers. Hoc certum est neminem de femina, quam revera olim amarit, quamvis sit ab illa spretus deceptusque, tam foeda tamque absurda blaterare posse quam quae stropha quarta leguntur.

De Epodis 4 et 12 satius fortasse erat ne verbum quidem perdere; hoc tamen observare volo istiusmodi versus scribi non posse ab eo qui vero odio vel indignatione moveatur. Nam qui certum hominem certamve feminam carminibus persequitur operam tamen dat ut verbis suis aliquod acumen insit, non sic temere maledicta et convitia evomit.

Idem est argumentum carminis III, 15, sed oratio multo moderatior. Abest tamen et hinc omnis veritas. Deridet poëta vetulam quae puellas imitari et aemulari conatur. Omnia autem ficta esse, nihil ex ipsa vita sumptum ipse liquido demonstrat: versus enim explet vocabulis alienissimis et aperte sibi obloquitur.

Non si quid Pholoen satis,
Et te Chlori decet:

recte hoc dictum est et eleganter etiam si cum Peerlkampio post Pholoen orationem incidimus. Quae sequuntur omnia sunt susque deque habita:

filia rectius
Expugnat iuvenum domos
Pulso Thyias uti concita tympano.

Quis unquam aliquid eiusmodi in filia ferri, nedum laudari, audivit? Sequitur:

Illam cogit amor Nothi
Lascivae similem ludere capreae.

Ridicule haec cum proxime praecedentibus certant; non enim eiusdem est impudenter iuvenum domos expugnare et lascivae similem ludere capreae. Recte ea adhibetur imago de filia vixdum matura et igitur „tangi metuente". Sequitur:

Te lanae prope nobilem
Tonsae Luceriam, non citharae decent.

Audio: vetulae est domi sedere et lanam facere, puellae psallere et cantare.

Nec flos purpureus rosae

Hoc quoque recte: est enim puellarum istud ornamentum. Nondum plena stropha est. Quid addit poëta? Quid putas?

Nec poti vetulam faece tenus cadi.

At opponit inter se quae puellam deceant, quae anum. Puellamne ergo decet tam immanis temulentia?

Ab hoc carmine ad IV, 13 facilis est transitus: in eo autem aperte declarat poëta eam quam nunc ludibrio habeat olim sibi fuisse dilectissimam. Sic enim eam alloquitur:

Quid habes illius, illius
Quae spirabat amores,
Quae me surpuerat mihi.

Hoccine credis, Lector? Non ego. Ipsa natura vetat illam, quam olim amaris, tam duris crudelibusque lacerare convitiis. Quid quod, si puella cana, edentula, rugosa facta est, non iuvenis mansit pristinus eius amator. Et quem unquam puellae contemptio eo abripuit vecordiae ut illi *μανίαν* tristissimamque mentis insaniam imprecaretur? Sic enim primi accipiendi versus sunt ut totum illud

fis anus et tamen
Vis formosa videri
Ludisque et bibis impudens
Et cantu tremulo pota Cupidinem
Lentum sollicitas

olim poëtae in votis fuisse significetur. Nemo enim, opinor, ardentissimis precibus hoc a deo flagitat ut puella quaedam dilectissima anus fiat: sponte enim venit senectus tam amatori quam puellae. Sed vel sic simulatum amorem produnt omnia: Propertio excluso talia in mentem venire non poterant.

Addo his etiam brevem de carmine I, 16 disputationem. Est autem carmen obscurissimum atque eiusmodi ut ipsum poëtam quid vellet ignorasse admodum sit probabile. E versibus

me quoque pectoris
Tentavit in dulci iuventa
Fervor et in celeres iambos
Misit furentem

iure efficias puellam quoque „matre pulchriorem", quam poëta alloquitur, tenera etiam aetate esse puellam quae, Horatio quacunque tandem de causa irata, contumeliosa in eum scribat carmina; nam quod nonnulli dicunt commentatores coniunctionem quoque grammatice quidem pronomini adhaerere, sed quod ad sententiam attineat cum pronomine ego quod in verbo quaero lateat esse iungendum, illis Horatius ne latine quidem scribere potuisse videtur. Sed quae, obsecro, nunc primae strophae sententia est? Recte aliquis dicere potest: „Carmina tua contumeliosa, quae iam fecisti, in ignem iniice vel in mare", sed postquam dixisti: „Quocunque tandem modo iambos criminosos facere

desine" nullus iam mari ignive locus est. Et vel sic pones ita accipiendum est ut imperativi vim habeat, quod vix credibile. Si vero, quod dicit Porphyrio (iniuria, ut Luciano Müller videtur) eadem haec est puella atque Tyndaris, de qua in sequenti carmine agitur, revera versus fecit. De Tyndaride enim legimus (18 sqq.):

fide Teia
Dices laborantes in uno
Penelopen vitreamque Circen.

Ergone sic fortasse prima erit explicanda stropha: „iambis, quos ego in te scribere soleo, ita demum finem facere poteris, si tua ad illos responsa, quae iam scribere coepisti, in mare vel in ignem conieceris"? Hoc saltem recte dici potest: „iambis modum ponere flammis vel mari." Sed quocunque te verteris, nunquam habebis carmen cuius argumentum ex ipsa poëtae vita sumptum videatur.

Quod autem toties iam dixi simulasse poëtam amores suos de quibus versus faceret, hoc eo vel maxime fit perspicuum quod saepissime puellarum, quas se amare dicit, mentionem iniicit in carminibus argumenti diversissimi: de iis ergo loquitur non ut veros animi expromat sensus, sed quod earum nomina metro sunt aptissima, ergoque versibus aliquot de illis interserendis facile iusta effici stropha potest. „Qui sceleris purus vixit" ait carmine nobili I, 22 „illi armis telisque opus non est; ipse hoc sum expertus, inermem enim me fugit leo saevissimus. Factum hoc est quum in silva Sabina ambulans solito longius a domo aberrabam et mecum, nullius mihi periculi conscius, Lalagen cantabam." Hactenus omnia recte procedunt, sed ne credamus ullam unquam Lalagen poëtae dilectam fuisse ipse efficit. Sic enim pergit:

Pone me pigris ubi nulla campis
Arbor aestiva recreatur aura,
Quod latus mundi nebulae malusque
Iuppiter urguet;
Pone sub curru nimium propinqui
Solis in terra domibus negata.

Quid nunc sequi oportet? Opinor: „semper securus ero et recte factorum conscientia fretus nil metuam: ipsi enim dii immortales mihi opem ferent.” Ea sententia si eleganter enuntiata carmen clauderetur, non quidem omnibus esset numeris absolutum carmen, nam quibus mihi praeterea laborare vitiis videatur iam dixi, sed tamen bene cohaereret. Quid autem sequitur?

Dulce ridentem Lalagen amabo
Dulce loquentem.

Ipse sui immemor argumenti poëta hic est. Qua enim re factum est ut e tanto periculo salvus abiret? Morum integritate, ut opinor; non enim *quia* de Lalage cantillabat poëta lupus fugit, sed *quamquam* de sola Lalage cogitabat, non de se defendendo vel de vitandis periculis.

Venustissima suavissimaque est carminis I, 17 magna pars: vita enim rustica quieta atque secura lepidissime describitur et ita ut poëtam quae dicat ipsum sentire facile agnoscas. Sed quid Tyndaride, cuius in eo mentionem iniicit, faceret ignorasse vel parum curasse poëta videtur. Illam enim invitat ad diem in amoena valle Sabina, quam ne Arcadiae quidem montibus postponat Bacchus, hilariter sumendum. Hoc quidem aptissimum. Ubi enim laetum est celebrandum convivium puellae lepidae et „argutae” abesse non possunt. Sed quomodo convivium illam exhilaraturam

dicit poëta? Cantabit. εὖ γε. Quid cantabit? Carmen Veneris, opinor, Amorisque plenum. Non satis hoc poëtae: accurate ei argumentum indicat: cantandum erit de Penelope et Circe. Cur? quaeso. Quoniam illae olim unum virum amabant... quemadmodum nunc unam Tyndaridem duo depereunt viri: poëta et Cyrus, protervus puer, quem illa, quia admodum saevus est et ζηλότυπος, effugit, ni mirum ut in poëtae Sabino requiescat. „Hic enim" poëta ait:

Hic in reducta valle Caniculae
Vitabis aestus et fide Teia
  Dices laborantes in uno
    Penelopen vitreamque Circen.

Non, hercle, sponte huc puella venit sed vi coacta.

De vino epulisque etiam carmine II, 11 sermo est. „Vita brevis est", sic amicum alloquitur Horatius, „mox abit iuventus ceditque senectuti, quae quidquid est ioci gaudiique aufert. Nos ergo dum licet hilariter vivamus et laetum simul celebremus convivium". Vides argumentum non longe petitum sententiamque satis pervulgatam. Lepide tamen omnia enuntiavit Horatius, in verborum delectu felicissimus fuit, vivide coenae apparatus describitur, sed simulatque puellae mentio est facienda ridicule haeret titubatque poëta. „Quis" ait

Quis devium scortum eliciat domo
Lyden?

Non poterat κυνικώτερον psaltriam appellare quam sic „devium scortum". Et quum d u o amici genio indulgent unum invitare „scortum" id quidem, hercle, nimis „poscentis aevi pauca" est. Quodsi plane sentire cupis quam sit istud de Lyde scorto plebeium et rusticum, auctor tibi sum, Lector,

ut statim post hoc Horatii carmen lectum lepidum illud Catulli

Cenabis bene, mi Fabulle, apud me

inspicias.

„At enim" dixeris „saepe tamen de amore lepidissimos venustissimosque scripsit versiculos Horatius." Non, hercle, infitior, sed semper ibi sermo est de amoribus alienis: erotica ergo carmina iure illa appellari non possunt. Ex hoc genere est C. II, 4, de quo modo dicebam, ubi poëta integer laudat ancillulam iuveni cuidam amico amatam, illique persuadere conatur non posse ei illum dedecori haberi amorem; cognatissimumque est carmini quod statim sequitur, quo alium amicum ab amore puellae nondum maturae revocare studet. Nunc cetera ex hoc genere percurramus carmina.

I, 8. „Lydia, Lydia" poëta ait „quam tibi Sybarin devinxisti! iam fugit amicos aequalesque, iam negligit labores et studia quibus ceteri iuvenes simul delectationem quaerunt et laudem; te unam petit, apud te latet ut olim Achilles inter virgines."

C. II, 12. Celebrantur laudes Licymniae, quam amat Maecenas, carmine admodum absurdo et e tribus pannis utcunque consuto:

a. „Noli" ait poëta „a me postulare ut magnas res gestas hominum heroumve carmine heroico extollam. Isti ego muneri plane impar sum."

b. „Quin potius tu pedestri oratione pugnas ab Augusto commissas et victorias ab eo reportatas canta."

c. „Interea ego Licymniam, quam tu deperis, laudabo: dignissima enim est laude mea et tuo amore."

III, 9. Nihil hoc carmine unquam ab Horatio venustius

lepidiusque scriptum esse communis hominum literatorum et olim fuit opinio et etiam nunc est. Cui equidem lubenter adstipulor; sed hoc unum moneo „amantium lites amoris esse redintegrationem" hic a poëta doceri non suo exemplo sed alieno.

III, 12. Summa arte compositum hoc carmen est, quo Liparaei Hebri apud Neobulen causam agit Horatius.

III, 7. Primo aspectu satis lepidum hoc carmen videtur; accuratius explorantibus mox vitia illa Horatio propria apparent. „Noli timere, Asterie" ait „ne absentis Gygis erga te amor minuatur: non enim is est qui facile se corrumpi patiatur; crede mihi, de te una ille cogitat, aliis mulieribus aurem non praebet; ipsam illam Chloen, quae omnibus artibus eum irretire conatur, spernit aspernaturque. Quin tu ipsa potius cave ne levitate pecces, illique fias infida, iam enim metuere incipio ne vicinus Enipeus iusto magis tibi placeat." Parum, hercle, urbanum hoc quidem; maledicere Asteriae Horatius videtur, non admonere eam fidelis amoris quem erga eam servet Gyges. Adiecto enim isto

At tibi
Ne vicinus Enipeus
Plus iusto placeat cave

totius hoc fere fit argumentum carminis: „noli ob Gygen lacrimare, Asterie; simulatas istas esse lacrimas probe novi; saepe enim observavi te illius immemorem esse, *πρὸς δ' ἄλλον τινὰ χάσκειν*." Neque tamen Asterien ludibrio habere voluisse Horatium credo. Quorsum enim mythologica ista quibus strophae quarta quintaque sunt repletae? Non ista carmen de vera aliqua re decent. Censeo ergo hic quoque accidisse Horatio quod toties proprium cantanti amorem acci-

derit, ut venustule quidem sententiolas limaret poliretque donec versus fierent, sed interdum sui ipse oblivisceretur argumenti.

III, 20. Lepide hic describuntur acerrima inter Pyrrhum et puellam quandam de Nearcho pulcherrimo puero proelia. De ultima eius stropha et de pulcherrima emendatione qua versum 8 sanavit Peerlkampius iam dixi.

I, 36. Ob reducem ab ultima Hispania Plotium Numidam hilares laetasque cum communibus amicis celebraturus est epulas poëta. Multae quidem ibi erunt gaudii laetitiaeque causae, sed quid convivis prae ceteris iucundum erit et suave? Quid putas? Damalim, Plotii amicam, oculis, ut ita dicam, devorabunt omnes, sibi quisque eam cupiet, illa tamen a Plotio suo non poterit divelli. *Integri*, hercle, poëtae hoc est.

I, 27. Iuvenis amici amores, non sui, hic quoque poëtae cordi sunt: ab illo enim flagitat ut suos nominet ignes, et nomine audito „ah miser" exclamat

Quanta laboras in Charybdi
Digne puer meliore flamma!

Illamne ergo crudelem perfidamque antea expertus est poëta? Hoc certe, ni poëtam noveris, ex eius verbis efficias.

I, 33. Albium Tibullum a Glycera sua desertum proditumque consolari conatur: „tu illam amas, illa alium; sic Lycoris Cyrum deperit, at ille Pholoen longe ei praefert, Pholoe vero iam habet amatorem cui nunquam infida reddi poterit. Sic miseros mortales ludificari solet Venus. Ipse hoc expertus sum: me enim Myrtale libertina tenuit, quum alia me peteret puella, quae illi omnibus nominibus praestabat." Quae autem de se addit ne credamus efficit imago,

qua ad Myrtales mores describendos utitur: erat illa, ut ait:

> fretis acrior Hadriae
> Curvantis Calabros sinus.

Vocabula undique corradentis quibus strophae expleri possint, non de veris narrantis amoribus haec sunt.

CAPUT NONUM.

Nunc mihi cum Zingerleo res est, viro doctissimo, de quo quid dicam nescio, ita magisne cum eo sentiam an ab eo dissentiam dubius sum. Hoc ergo primum dico vix quemquam mihi illo melius de poëtis latinis meritum videri: incredibili enim labore admirabilique sagacitate demonstravit angustissimis fuisse circumscriptam finibus *τὴν τῶν Ῥωμαίων ποιητῶν τέχνην*, de iisdem rebus omnes iisdem uti vocabulis, certas stabilesque esse permultas vocabulorum copulationes, versuum terminationes, orationis flosculos, imagines, omnia denique huiuscemodi. Atque hoc quidem verum esse quis non libenter assentiatur? Tamen Zingerleo opus fuit qui primus certis demonstraret argumentis. Permagna ergo illi gratia: nunc enim de universa Romanorum poësi multo rectius quam antea iudicare possumus. Quid quod hodiernis etiam poëtis, iisque qui de recentioribus scribunt literis permultum prodesse potest Zingerlei observatio magna stabilita doctrina. Plerique enim ita iudicant, in quavis arte ita demum novi aliquid exsistere posse si externa eius species prorsus immutetur; atque sic se rem habere nonnulli artifices tam firmiter sibi persuadent ut, ne quidquam a prioribus sump-

sisse videantur metuentes, absurdissima quaeque ipsi excogitent: ita versus nascuntur quos nemo legere, verba quae nemo intelligere possit, strophae denique et carmina, e quibus ut ullum saltem extundas sensum gravissima opus est mentis intentione. Illi nunc exemplis a Zingerleo allatis discere possunt quam vanus ineptusque iste metus sit: verum enim poëtam tralaticiis verbis, pedibus, versibus denique nova semper et inaudita antea proferre posse. Atque hactenus quidem verissima mihi videtur Zingerlei sententia. Hoc quoque prudentissimum quod ex Ovidio (de hoc enim tres scripsit fasciculos communi titulo: Ovidius und sein Verhältniss zu den Vorgängern Innsbruck 1869—71) potissimum exempla collegit ad demonstrandum quam saepe eadem apud multos recurrerent poëtas. Quod vero s p o n t e et d e i n d u s t r i a Ovidium multa ab Horatio sumpsisse carminum suorum ornamenta statuit, id mihi, quamvis et nunc plerique viri docti Zingerleo assentiantur, et multo ante eum iam multi nullo allato argumento idem affirmaverint, minime probatur. Prorsus enim incredibilis res mihi videtur, et cur videatur mox brevissime dicam; nunc tantum Zingerlei argumenta accurate recensebo. Et ne hic quidem, quamvis mihi certa stet sententia, obstinate et pertinaciter ei obloqui possum: vereor enim ne multis ambagibus id demonstrare videar quod Zingerleo iamdudum sit persuasum. Namque est ille non solum doctissimus acutissimusque sed et prudentissimus cautissimusque; saepe ergo propositis ex Ovidio aliquot Horatianae imitationis exemplis sententiam suam retractat et facile fieri potuisse concedit ut uterque e communi quodam omnium poetarum Romanorum fonte hauriret, saepius etiam iis utitur vocabulis, quibus rem admodum sibi incertam videri aperte significet. Sic ergo rem meam agam: omnia omittam quae ipse Zingerleus permagnae

esse obnoxia dubitationi concedit; reliqua omnia ita afferam ut ipsius Zingerlei addam verba quaedam, e quibus appareat quantum ipso iudice singulis sit tribuendum argumentis.

Primum ergo Zingerleus dicit duas praesertim odas Horatianas Ovidio in deliciis fuisse, illasque eum ita in succum et sanguinem vertisse ut diversissimis locis temporibusque ex illis afferre aliquid tantum non cogeretur. Probabilis sane opinio esset si duae illae odae ceteris omnibus longe praestarent sive sententiarum lumine verborumque acumine, ut illud „donec gratus eram tibi", sive metri amoenitate et artificio, ut carmen „miserarumst". Nunc vero altera earum, quamquam aliquot eius vitia in propatulo sunt, tamen est satis bona, altera autem pessima. Quam enim absurda essent illa ab Horatio Mercurio data mandata (III, 11), quamque vehementi opus esset medicina ut ex illis tolerabile fieret carmen supra vidimus. Nunc hoc, quoniam res ita fert, dico admodum esse incertam rem utrum prior Horatius illud scripserit carmen an Ovidius suam Hypermnestrae ad Lynceum epistolam. Hanc enim quidni, si non in lucem emittere, tamen iam amicis recitare potuerit Ovidius vix viginti annos natus non video, et prudentissime mihi F. Curschmann in Bobriki libri censura haec statuere videtur:

„Die Frage ob Hor. III, 11 oder Ovid's Hypermnestra das frühere Gedicht sei, und ob Horaz den Ovid benutzte übergehe ich, da ihre Lösung nicht erreichbar scheint."

Cf. praeterea de Ovidii epistola Lehrsii disputationem: quam intricata sit quaestio videbis.

Sed de hoc quidem carmine mox videbimus, nunc ad alterum transeamus. Affirmat ergo Zingerleus Horatii carmen IV, 3 adeo Ovidio fuisse in deliciis et tam firmiter menti eius inhaesisse ut identidem mentionem eius non facere non posset. Hic tamen carmen Horatianum habemus, si non unum

omnium praestantissimum, tamen mediocri laude dignum. Et est omnino in illo genere carminum, quibus certo cuidam deo gratias agit, vel se suaque bona eius commendat tutelae, admodum felix Horatius. Huius vero carminis ultimae strophae

O testudinis aureae
  Dulcem quae strepitum, Pieri, temperas,
O mutis quoque piscibus
  Donatura cycni, si libeat, sonum,
Totum muneris hoc tuist e. q. s.

optima sunt et revera gratum testantis animum. Hoc quoque recte a viris doctis observatum satiris cognatissimum esse carmen. Multa enim habet quae legenti primam primi libri satiram in mentem revocent. „Quot capita tot sententiae, suus cuique mos" usitatissimus est satirico locus et satiricae poësi aptissimus. Hanc et c. I, 1 defendit et quodammodo etiam carmine nostro. Iam haec cum satiris cognatio haud parva carminis commendatio videtur. Quod autem tam hic quam c. I, 1 communem illam sententiam sic in suum usum convertit ut dicat: „Ita ego omnibus aliis laboribus lyricam praetuli poësin", id quidem minime mirandum in poëta, qui Romanos, ἄνδρας πρακτικωτάτους habeat lectores. Neque nimis molesta est propria poëtae laus in libro, quem ab orbis terrarum rege rogatus scripsit. Non tamen immune est carmen vitiis haud ita parvis. Primum vs. 2 videris pro aspexeris scripsit poëta nulla alia re quam metro coactus; vs. 6 ducet victorem et vs. 9 ostendet Capitolio admodum obscure dicta sunt, vs. 10 (de quo iam antea diximus quaedam) fertilem ad rimam explendam positum videtur. Hisce omnibus rebus bene perpensis examinatisque non facile adducemur ut credamus tam admirabile visum

esse Ovidio, summo ipsi artifici, carmen nostrum ut sponte se et frequenter nonnulla eius vocabula illi scribenti offerrent. Videamus tamen quibus argumentis ita se rem habere affirmet Zingerleus.

„Primum" Zingerleus ait „bis in eadem elegia (Trist. IV, 10) Ovidius quaedam ex eo in suos transfert versus. Melpomenen Horatius alloquitur:

> Quod spiro et placeo, si placeo, tuumst,

Ovidius haec habet

> Ergo quod vivo durisque laboribus obsto
> Nec me sollicitae taedia lucis habent,
> Gratia Musa tibi.

Non Horatium hic audio sed unius Ovidii dilectissimam vocem. Et quam leve hoc est, quam nihili quod alter habet quod spiro, alter quod vivo. Cf. praeterea Tibull. IV, 1, 197:

> Sum quodcumque tuumst.

Ecce tertium poëtam eadem verba alio sono edentem. Horatii verba sunt

> Et iam dente minus mordeor invido.

Ovidii:

> Tu mihi, quod rarumst, vivo sublime dedisti
> Nomen ab exsequiis quod dare fama solet,
> Nec qui detractat praesentia livor iniquo
> Ullum de nostro dente momordit opus.

Mihi quidem Ovidianam elegiam legere pergenti, in mentem veniunt, non Horatii verba nonnulla sed ipsius Ovidii

et alii versus complures et hi e narratione de Procride et Cephalo, quibus Auram Cephalus alloquitur:

. . . . tu mihi magna voluptas
. . . . tu me reficisque fovesque
Tu facis ut silvas, ut amem loca sola meoque
Spiritus iste tuus semper captatur ab ore.

quamquam hic ne unum quidem est verbum quod in elegia, de qua agimus, legatur. Sed quoniam de imitatione Horatiana, quae apud Ovid. in Trist IV, 10 cernatur, admodum dubitanter loquitur Zingerleus (bis enim Germanico verbo „scheinen" utitur) alios aspiciamus Ovidii locos, qui Zingerleo verbis ex Horatii carmine IV, 3 sumptis ornati videntur.

Horatius ergo haec habet

Totum muneris hoc tuist,
Quod monstror digito praetereuntium
Romanae fidicen lyrae;
Quod spiro et placeo, si placeo, tuumst.

„Ea omnia" Zingerleus ait „apud Ovidium recurrunt per hos duos divisa locos:

Trist. I, 6, 6:

Te mea supposita veluti trabe fulta ruinast:
Si quid adhuc ego sum, muneris omne tuist

et e Pont. IV, 16, 28:

Pindaricae fidicen tu quoque, Rufe, lyrae.

Difficile, hercle, est Latine scribenti ea evitare vocabula quibus alius quidam usus iam sit, difficilius etiam versus Latinos scribenti. Hic vero si quam maxime cupiisset Ovidius abstinere

verbis, quae iam apud Horatium legerat, tamen quamvis fuerit admirabilis artifex, prorsus non potuisset. Sed absurdum est eiusmodi aliquid fingere: nullum enim Ovidio periculum erat ne in plagii incurreret suspicionem; immo si de industria elegiam Ovidius composuisset, quae tota e verbis Horatianis, ex uno carmine collectis, constaret, nihil tamen illa Horatiani haberet. Hic vero qui est consensus? Horatius habet: „totum muneris hoc tuist", Ovidius: „muneris omne tuist." Sed et Tibullus, ut vidimus, verba „sum quodcunque tuumst" habet. Et quis non saepe eiusmodi locutione usus est? De Invidia autem dum loqueris, de eius dente silere non potes. Et eadem ratione poëta Romanus, qui lyrica facit carmina, aut quia Pindarum imitatur „Pindaricae fidicen lyrae" appellandus est, aut quia novum poësis genus Romam transferre conatur „Romanae fidicen lyrae". Et leguntur praeterea illa apud Ovidium vocabula in longa poëtarum aequalium enumeratione.

Atque haec quidem hactenus. „In poësi erotica" Zingerleus ait „multa quidem apud Ovidium reperiuntur quae et apud Horatium legantur, sed communes illi sunt loci, imitationis Horatianae argumento esse non possunt." Quis non libenter hic viro docto assentiatur? Sed praeterea hoc dicit: „quod autem Horatiani carminis II, 4 argumentum etiam apud Ovidium (Am. II, 8, 9 sqq.) recurrit, eiusmodi est ut vix mihi dubium videatur quin Horatium imitando expresserit Ovidius." Haec ipsa Zingerlei verba sunt: „dürfte wohl fast ohne Bedenken auf einen direkten Einfluss zu beziehen sein." Utrumque ergo locum accuratius aspiciamus. Iam hoc negari nequit utrobique de ancillae amore sermonem esse; accedit quod tam Ovidius quam Horatius exempla quaedam ab heroibus sumit. Sed ne heroes quidem illi ad eandem rem demonstrandam apud utrumque afferuntur.

Horatius enim sic fere amicum alloquitur: „Reticere noli te ancillulam istam amare, neve te amicorum pudeat: norunt enim regibus ducibusque idem accidisse.” Ovidius autem: „Fateor” ait „me cum dominae meae ancillula lusisse quaedam. Hoccine tam turpe crimen? At idem Agamemnon commisit et Achilles.” Sed tota illa sunt consideranda carmina ut plane sentias quanta sit inter ea discrepantia. Horatius enim metro lyrico epistolam scribit ad amicum quendam, cuius mores amoresque cum leni risu depingit, ipse i n t e g e r est. „Agedum” ait „confitere istud de Phyllide, quid cessas? lepida est puellula. At ancilla est; nonne et ancillae fuerunt Briseis, Tecmessa aliae de quibus Homerus narrat et tragici Graeci?” Sequitur stropha quam Horatio abiudicat Peerlkampius, perversissime ut mihi quidem videtur. Plenum enim totum est carmen eius iocandi generis, quod nos novitio vocabulo „humorem” appellamus; illud autem mirum quantum augetur magnificis hisce versibus:

Barbarae postquam cecidere turmae
Thessalo victore et ademptus Hector
Tradidit fessis leviora tolli
    Pergama Graiis.

qui tragoediae chorum decent. Tum sic Horatius pergit: „Quid quod vultu tam est honesto tamque liberali ut nobili virgini sit similior quam ancillae. Quidni eam regia credamus esse origine?” Ovidius tamen n a r r a t de re aut vera aut ab eo ficta quem in amore versatissimum esse statim agnoscas. De ea autem peritissimi oratoris instar cum multa disputat varietate; rhetorica illa et sophistica artificia, quae semper et ubique in Ovidio admiramur, hic splendent lucentque. Nihil horum Horatius habet neque hic neque alibi.

Denique Horatii carmen, si totum spectas, commendabile videtur, Ovidii versus ornamentorum varietate risum movent admirationemque; Horatius ab initio ad finem unam rem demonstrare studet sibique in ea constat; Ovidius vero in argumento suo lascivit, ut ita dicam; ut est ipse amoris plenus ita verum quendam amorem singuli testantur orationis flosculi; frequentissimum est apud illum *τὸ παρὰ προσδοκίαν*. Omnium vero facetissimum videtur quod in fine dicit. Sic enim ancillam alloquitur: „Quid deliquissemus dominam meam tuamque tam fideliter celavi ut etiam iusiurandum dederim nil esse quare tibi succenseret. Nunc iustam a te mercedem flagito, quam si negaris

> Quoque loco tecum fuerim quotiensque, Cypassi,
> Narrabo dominae quotque quibusque modis."

Illud autem quotque quibusque modis etiam apud Tibullum (II, 6, 52) legitur:

> Tunc morior curis, tunc mens mihi perdita fingit
> Quisve meam teneat, quot teneatve modis

et semper omnibus fuisse eroticis Romanorum poëtis in deliciis quis negabit? Sed quam plane novum est, quam vere Ovidianum quod ex eo Ovidius fecit. Denique res eo redit ut incredibile mihi videatur Ovidio elegiam ad Cypassidem scribenti in aure vel in mente fuisse Horatii de Phyllide carmen.

De aurea aetate omnes fere latini poëtae aliquid habent, diversissimis locis illud adhibent ornamentum, sed ita ut quaedam vocabula et felicitatis exempla recurrant apud omnes. Horatius quoque illo usus est idque (ipsa enim Zingerlei verba afferenda videntur):

mit manchen den diesbezüglichen ovidischen Stellen

so ähnlichen Phrasen dass der Schluss auf eine theilweise unmittelbare Einwirking auf Ovid hier nicht ganz vermessen erscheinen könnte.

Levis ergo de hoc loco Zingerlei est suspicio. Quibus illa nitatur argumentis videamus.

Horatius (Epod. 16, 74) haec habet:

Mella cava manant ex ilice.

Ovidii versus (Met. I, 112) est:

Flavaque de viridi stillabant ilice mella.

Apud Horatium (Epod. 16, 43) legitur:

Reddit ubi cererem tellus inarata.

Apud Ovidium (I, 109):

Mox etiam fruges tellus inarata ferebat.

Mihi ne levissimam quidem suspicionem sustinere haec posse videntur. Quid quod ipse locus ubi apud Ovidium aureae aetatis laudes leguntur, ipsaque causa qua ad illas celebrandas adducitur eiusmodi sunt ut de Horatio prorsus eum non cogitasse perquam sit probabile, ne certum dicam. Horatius enim a querimonia de hodierna hominum miseria orditur, quam ubi multis descripsit versibus haec addit: „boni ergo qui pauci iam supersunt has relinquant terras et in insulas beatorum confugiant." De bonis ergo malisque hominibus iam disseruit et vitia quibus plerique laborant enumeravit. Nunc hoc praesertim ei agendum est ut bona quae pios illic maneant in clara ponantur luce. Iam quanto in hac parte elaboranda Virgilio inferior fuisset supra vidimus. Suspicari ergo licet eum qui posthac idem argumentum tractaverit a Virgilio potius quam ab

Horatio opem petivisse. At aliena ope Ovidio opus non fuit, neque si voluisset ea uti potuisset. Prorsus enim novum quoddam ex hoc loco fecit. Usus iam erat vocabulis aurea aetas, non ergo ei multis opus erat versibus ad demonstrandum quanta tum fuisset hominum felicitas; illam enim omnes noverant lectores. Sed nescire eos fingit quae tantae felicitatis causa fuerit: enumerat ergo hominum pristinorum virtutes, praesertimque in eorum simplicitate laudanda multus est: „Non bella tum erant" ait „non naves, non iudicia, non graves labores". His iam ita expositis opus etiam est apta demonstrationis clausula; hoc enim Ovidio cum bonis oratoribus commune est quod semper singulas carminum partes accurate habet dispositas; nihil deest, neque exordium neque narratio, neque argumentatio, neque peroratio; haec vero sponte se offerebat: addenda etiam pauca erant de bonis quibus tum terra affluebat. Ibi vero notissima illa de agro sponte fruges ferente deque melle ex arboribus manante silentio praeteriri non poterant.

Artis magicae frequenter apud omnes poëtas Latinos fieri mentionem quis neget? De ea autem ita Horatium Ovidiumque loqui affirmat Zingerleus ut sat magnus inter eos sit consensus. Germanica viri docti verba sunt:

> Die Uebereinstimmungen zwischen Horatius und Ovidius gehen auch im Ausdrucke manchmal ziemlich ins Einzelne.

Cuius sententiae haec affert argumenta:

Legitur apud Horatium (Sat. I, 8, 23):

> Vidi egomet nigra succinctam vadere palla
> Canidiam pedibus nudis passoque capillo.

Apud Ovidium (Met. VII, 182):

> Egreditur tectis vestes induta recinctas
> Nuda pedem, nudos umeris infusa capillos.

Apud Horatium (Epod. 5, 51) Canidia precatur:

> Nox et Diana quae silentium regis
> Arcana cum fiunt sacra.

Apud Ovidium Medea (Met. VII, 192):

> „Nox" ait „arcanis fidissima, quaeque diurnis
> Aurea cum luna succeditis ignibus astra,
> Tuque, triceps Hecate."

Mihi quidem minimi haec videntur momenti, neque magni Zingerleo, si bene eum intelligo.

„Operae pretium est" ait Zingerleus „Canidiam Horatianam cum lena Ovidiana (Am. I, 8, 1 sqq.) comparare. Equidem potius Ovidianam lenam cum Propertiana comparem (V, 5). Hoc enim primum cum Propertio commune est Ovidio quod et ipse veram quandam indignationem verumque odium in invisissimam evomere videtur feminam; deinde et haec mihi observatione digna videntur: de aeterna lenae siti et Propertius loquitur et Ovidius; uterque eam inducit puellae persuadentem ut solas amatoris spectet divitias; uterque ei obiicit quod puellas artificia quaedam doceat, quibus illae utantur ut quam maximi sua vendant gaudia. Sunt haec poëtae, qui aut in amore multa adversa ipse sit expertus, aut ab ipsa quid sit amor didicerit natura. Horatii vero, ut iam dicebam, in Canidiam versus declamantis sunt suasque in genere quodam scribendi exercentis vires; multoque rectius cum epodis de Canidia compares quae apud

Tibullum (II, 6, 43 sqq.) leguntur quam Ovidianam elegiam vitae ardorisque plenissimam.

Nemo unquam poëta fuit quin sibi immortalis videretur, deque ea re apud omnes exstant versus nonnulli. Horatius autem immortalitatem suam praedicit c. III, 30, Ovidius Metam. XV, 871 sqq. Tamque hi loci inter se similes Zingerleo videntur ut hanc pronuntiet sententiam:

> „Hier scheint ein directer Einfluss des Horaz auf unsern Ovid wohl über allen Zweifel erhaben zu sein."

Mihi admodum res dubia videtur; tam enim Ovidianus locus quam Horatianus plenus est verborum graviter sonantium, sed in neutro eorum quidquam est acuminis, omni sententiarum lumine uterque caret. Verba autem de eadem re eadem a duobus poëtis aequalibus esse adhibita quis non facile credat? Sed verborum consensus in Latina praesertim poësi mihi quidem nunquam videtur certum imitationis indicium.

Quod autem modo dicebam iampridem viris doctis persuasissimum fuisse Ovidium interdum sat aperte ab Horatio sumpsisse quaedam, eius rei nunc exemplum afferam. Hymnum in Mercurium scripsit Horatius; legitur c. I, 10. Eundem deum laudat Ovidius (Fast. V. 663). Hisce inter se comparatis locis sic statuit Zingerleus:

> „Die Nachahmung von Seite Ovids ist hier ganz unzweifelhaft und wurde schon von Bentley bemerkt."

Bentlei autem verba haec sunt: „Horatius ab Ovidio manifeste expressus." Tamen equidem — *ἵλεως δέ μοι ἀνὴρ εἴη* — in alteram discedo partem. Quibus enim argumentis Bentlei sententia defendi potest? An quod uterque Mercurium sic alloquitur: „nepos Atlantis"? At est Atlantis nepos

Mercurius et istud nepos Atlantis sive Atlantiades metro est aptissimum. Ne in hac quidem re ego ullum agnosco consensum quod uterque poëta adiectivum praemittat: multo enim elegantius est versum Horatianum cum Peerlkampio sic incidere

Mercuri facunde, nepos Atlantis

quam:

Mercuri, facunde nepos Atlantis

et permagna est inter lectionem Peerlkampii et Ovidii verba: „Clare nepos Atlantis" discrepantia. Deinde, ubi Mercurii sunt enumeranda erga homines merita, eloquentia, musica ars, palaestra ab eo inventae taceri non possunt; illas ergo uterque nominat, neque tamen prorsus eodem modo. Nam Horatius Mercurium homines formasse (i. e. erudiisse) dicit voce et more palaestrae (i. e. palaestra inventa), Ovidius deum sic alloquitur:

Laete lyrae pulsu, nitida quoque laete palaestra.

In ceteris dei laudibus commemorandis multo maior est inter Horatium et Ovidium differentia. Ille enim praeterea nuntii eum fungi munere dicit, superis deorum et imis gratum eum nominat, mortuorum umbras ab eo ad inferos duci dicit, postremo, quod tamquam pannus praecedentibus adhaeret, Priami mentionem facit dei tutela defensi. Ovidius eum arbitrum deorum litigantium appellat et nuntium alatum. Neque tamen tam graves mihi illae discrepantiae videntur ut ideo rationem aliquam inter nostros locos intercedere prorsus negem. Sed unam hic rem communem habent poëtae; ea autem eiusmodi est ut — quod mirum possit videri lectoribus — propter unam illam Ovidio scribenti Horatii carmen ante oculos fuisse credere haudquaquam pos-

sim. Apud utrumque enim poëtam r i d e t u r, sed qua de causa et a quo et quam ob rem videamus. Horatius lepidissime narrat Apollinem olim in Mercurium invectum eique graves esse minatum poenas, nisi boves reddidisset amotas; sed dum minaretur respexisse Apollinem seque interea et pharetra spoliatum animadvertisse: tum deum lenem et placabilem in risum erupisse. Nec minus lepide Ovidius in templo Mercurii mercatores inducit deum precantes ut sibi veniam dare velit furtorum quae commiserint vel etiam sint commissuri; deumque addit eiusmodi preces audientem risum tenere non posse: ipsum enim se illis non minus esse rapacem probe nosse. Vide nunc quid inter meam rationem intersit atque illorum qui in imitationibus deprehendendis vocabula aucupantur. Illi propter r i d e n d i verbum Ovidium Horatii inventis usum esse censent, mihi illud praesertim documento est sic eum suos de Mercurio scripsisse versiculos ut eius, qui ante idem tractasset argumentum, prorsus nullam haberet rationem.

Sententia: „Diis pia sacrificia, quamvis sint parva, gratissima sunt", quam carmine III, 23 defendit Horatius, bis apud Ovidium invenitur. Nam Pont. IV, 8, 39 sq. legitur:

Nec, quae de parva pauper dis libat acerra
Tura minus grandi quam data lance valent.

In Fastis vero (IV, 409 sq.) non solum eadem recurrit sententia verum etiam aliquot vocabula, quibus et Horatius usus est. Legitur enim:

Farra deae micaeque licet salientis honorem
Detis et in veteres turea grana focos.

Sed et Lygdamus (Tib. III, 4, 10) habet:

Farre pio placant et saliente sale.

Nihil ergo nos credere cogit Horatianum:

Farre pio et saliente mica

ab Ovidio expressum esse. Cf. praeterea, ut quam communis hic poëtis latinis fuerit locus videas, pseudo-Tib. IV, 1, 14:

Parvaque caelestes placavit mica.

Et quoniam semel Tibulli et Lygdami inieci mentionem, huius ope illius versum emendare conabor. Legitur enim Tib. II, 5, 102 sq.:

Ingeret hic potus iuvenis maledicta puellae
Postmodo quae votis irrita facta velit.

Quid vocabulo v o t i s faciamus? Nempe ita accipiamus ut iuvenis p r e c a r i dicatur. Sed, si quid video, subinepta sic nascitur sententia: nemo enim a diis immortalibus τὸ ἀδύνατον precatur, nemo illos facta infecta reddituros exspectare potest. Legendum ergo pro v o t i s censeo v e n t i s, ut venti dicantur maledicta illa secum ferre. Cf. Lygd. (Tib. III, 6, 50):

periuria ridet amantum
Iuppiter et ventos irrita ferre iubet.

Et Catullus 30, 9 sq.:

Idem nunc retrahis te ac tua dicta omnia factaque
Ventos irrita ferre ac nebulas aerias sinis.

Haud dubie quidem melius dicuntur venti dicta i r r i t a f e r r e quam i r r i t a f a c e r e, sed tamen neque hoc vitiosum

Legitur apud Horatium (III, 22, 2) de Diana:

Quae laborantes utero puellas
Ter vocata audis

et apud Ovidium (Am. II, 13, 19) de eadem:

Tuque laborantes utero miserata puellas.

Sed quoniam Ovidius longam enumerat dearum seriem, quas omnes implorat ut parturienti Corinnae opem ferant, neque Dianam silentio praeterire potest, neque aliud eius hic commemorare munus quam illud „utero laborantes puellas" iuvandi.

Vitam rusticam laudat Horatius celeberrimo Epodo II, et Ovidius in Rem. Am. 169 sqq. Ovidii versus Zingerleo ansam praebent haec pronuntiandi:

„Jedenfalls dürfte hier eine gewisse Beziehung auf Hor. Epod. II leichter nachzuweisen sein als zwischen Hor. Epod. und der dazu gewöhnlich citirten Stelle Virg. Georg. II, 493 sqq."

Sed quoniam ipse Zingerleus tam dubitanter de iis loquitur, hos quidem locos missos facere possumus, quum praesertim, quod supra demonstrare conatus sum, Epodos Horatianus Satirae multo sit similior quam Elegiae.

„Ego me senem factum molliter victurum exspectaveram." Hoc argumentum est elegiae 8 libri IV Tristium. Versibus autem 17 sqq. aequa se exspectasse poëta demonstrat exemplo navis, quae mari quassata in navale ducitur, equi, qui certaminibus iam impar otiosus pascitur, militis, qui emeritis stipendiis arma suspendit, totumque hunc locum vulgo viri docti pro certo statuunt ex Horatii epistola prima primi libri sumptum esse. Cur? Quia et illic de senescente equo sermo est deque armis ad templum suspensis, sed praesertim quia apud Ovidium legitur:

Me quoque donari iam rude tempus erat

Et apud Horatium

Donatum iam rude quaeris.

Ergone ab Horatio Antiquitates Romanas quas vocamus didicit Ovidius? Nam quod ad equum pertinet, purus putus Ovidianus ille versus est. Cf. nostrum:

> Ne cadat et multas palmas inhonestet adeptus
> Languidus in pratis gramina carpit equus.

Cum Metam. VII, 542:

> Acer equus quondam magnaeque in pulvere famae
> Degenerat palmas.

Se ipsum imitari solet Ovidius, non alios. (cf. tamen Cic. de Sen. § 14).

Redeo nunc ad carmen Horatii III, 11, quod Ovidio cum IV, 3 prae ceteris in deliciis fuisse coniicit Zingerleus. Quam parum verisimile esset dua praesertim carmina Horatiana admiratum esse Ovidium, quorum alterum esset satis laudabile, alterum omnium fere pessimum, supra vidimus; et ineptissime illud c. III, 11 e variis esse consutum pannis nemo, ut opinor, negat. De Hypermnestrae autem allocutione, quae maior carminis pars est, haec dicit Zingerleus:

> „Sie hat wohl zweifellos auf Ovid bei Behandlung des nämlichen Stoffes in Her. XIV, 1 sqq. eingewirkt"

et de toto carmine:

> Dieselbe Ode scheint dann noch an einer anderen gleichfalls Mythologischen Stelle unserm Ovid vorgeschwebt zu haben.

Est autem alter ille locus praeclara illa de Orpheo apud inferos cantante narratio. Hic tandem Zingerleo, egregio doctissimoque viro, aperte obloqui audeo. Nego enim, pertinaciter nego, Ovidium quum immortale illud

Stupuitque Ixionis orbis

et

Urnisque vacarunt Belides,

scriberet memorem esse potuisse Horatiani carminis, ex eoque verba: „stetit urna paulum sicca" et „Ixion vultu risit invito" sumpsisse quae in suum usum converteret. Nam quod ad Her. XIV pertinet, illic quaedam leguntur quae Horatianis multo sunt similiora quam quae e Metamorphosesin attulit Zingerleus. Horatius enim Hypermnestram dicentem facit:

Surge, ne longus tibi somnus unde
Non times detur.

Ovidius:

Surge | Nox tibi, ni properas, ista perennis erit.

Horatius:

I, pedes quo te rapiunt et aurae,
Dum favet nox.

Ovidius:

Dum nox sinit, effuge.

Horatius:

Nostri memorem sepulcro
Scalpe querelam.

Ovidius:

Sculptaque sint titulo nostra sepulcra brevi.

Sed quoniam ab utroque poëta eadem tractatur historia, fieri non poterat quin et eadem nonnulla vocabula utrique se sponte offerrent. Quum enim aliquem e somno excitas, ne dormientem eum opprimant hostes, vocabulo surge

carere non potes; et quum, coniugi dum affert salutem, ipsa certam exspectat perniciem uxor, quid ab illo petat potius quam ut titulo sepulcrali praeclari facti faciat mentionem? Cetera quae attulit Zingerleus parvi momenti videntur. Vides me non ad Peerlkampii confugere coniecturam, qui Horatiani carminis stropham ultimam tamquam e frustulis Ovidianis consarcinatam Horatio abiudicat.

Mythum de Danae iocose uterque poëta interpretatur. „In pretium" enim conversum deum uterque fingit, quo custodes corrumperet Horatius (III, 16, 4), quo virginis amorem emeret Ovidius (Am. III, 8, 29 sqq.). Esse hic aliquam imitationis suspicionem concederem, si totum inventum non tam Ovidianum esset. Nam propter vocabula, quae eadem apud utrumque leguntur, Zingerleo assentiri nolo. Pauca enim ea sunt et vulgaria. Apud Horatium legitur: „turris ahenea, robustaeque fores." Apud Ovidium: „aerati postes, ferrea turris." Apud Horatium:

Converso in pretium deo

Apud Ovidium:

pretium virginis ipse fuit.

Augustum deum quum saepe uterque poëta laudarit, mirandum non est simili modo similibusque verbis interdum id ab utroque factum esse. Sed quae apud Ov. Trist. II, 174 leguntur tam cognata Zingerleo videntur illis quae Horatius habet (Carm. IV, 14, 33), ut statuere non dubitet:

„Hier ist die Reminiscenz wohl über allen Zweifel erhaben."

Horatii enim verba sunt:

Te copias, te consilium et tuos
Praebente divos.

Ovidii: Auspicium cui (sc. filio adoptivo tuo) das grande deosque tuos.

Non tamen hic tanta verborum quanta sententiae similitudo. De auspicio vero in re militari omnes omni tempore Romani idem sentiebant; si ergo duo eiusdem aetatis poëtae non etiam iisdem de eo utuntur vocabulis, nil, ut opinor, restat quo illud Zingerlei nitatur iudicium. Et ne vocabulorum quidem si quam maxima accederet similitudo, quidquam ego eiusmodi proloqui auderem. Tam enim abiecta nostrae aetatis hominibus ista Romanorum erga imperatores videtur adulatio, tam ea nostris moribus contraria est ut de locis ad eam pertinentibus recte iudicare nemo iam possit.

Quod ad locutiones imaginesque pertinet, rectissime Zingerleus observat Horatianum (III, 13, 1) „splendidior vitro" etiam apud Ovid. (Metam. XIII, 790) inveniri, sed praeterea nusquam; tantummodo Virgilium (Aen. VII, 759) ad eandem rem significandam adiectivo v i t r e u s uti. Sed, si recte Zingerleum intelligo, non magni ille hoc similitudinum genus facit.

Gravissimum vero ei videtur quod quum Horatius (Epist. II, 1, 156) notissimum illud habeat

> Graecia victa ferum victorem cepit et artes
> Intulit agresti Latio

etiam apud Ovidium (Fast. III, 101) legatur:

> Nondum tradideras victas victoribus artes
> Graecia.

Sed quomodo sibi persuadere potuerit vir egregius hic Ovidium plagii convinci minime intelligo. Quid enim? Graecos victos sua artis monumenta et cum illis ipsam artem tam-

quam praedam Romanis tradidisse omnes Romani sciebant et quivis Romanus dicere poterat; sua tradere commune est devictarum gentium. Alio tamen modo rem interpretatur Horatius et: „non illos" ait „nos vicimus sed ipsi ab iis victi sumus; aurem enim praebere suae sapientiae nos coëgerunt; illam in Italiam intulerunt, sic magistros eos non servos nacti sumus." Illius autem ornamenti nil habet Ovidius.

Item Ovidius versu (Am. III, 3, 35):

Juppiter ipse suos lucos iaculatur et arces

respicere ei videtur Horatianum (I, 2, 2):

Pater rubente | dextera sacras iaculatus arces.

Utitur autem vocabulis Germanicis: „bewusste Anspielung" additque:

„Der Ausdruck in der Weise nirgens zu belegen."

Verum est utrumque poëtam hic vocabulis iaculari et arces uti, sed hoc vulgare est vocabulum, illud de fulmine minime inusitatum. Sed alia est sententia versus Ovidiani, alia Horatiani. Horatius enim arces fulmine percussas simpliciter commemorat, Ovidius de ea re ita ratiocinatur ut illi solent qui de religione paulo liberius sentiunt. Quam saepe, ut unum eorum testem citem, Lucianus quum *τὴν τῶν θεῶν πρόνοιαν* ludibrio habet hoc argumento utitur, quod apud Aristophanem invenit: „Sapientes isti dei sua ipsi incendunt templa." E Lucretio eiusmodi aliquid sumere potuit Ovidius, non e nostro loco Horatiano.

Ingenti dein exemplorum copia demonstravit Zingerleus saepissime Ovidium Horatiumque eadem in initio vel in fine versuum posuisse vocabula; ad quae colligenda quum

Horatii Satiris potissimum Epistolisque usus sit, nihil illa docent praeter id quod ipse Zingerleus praesertim demonstrare sibi proposuit: omnium illius temporis poëtarum, qui dactylico metro usi sunt, eundem fuisse sermonem, eadem artificia. Quod quin verum sit quis dubitat? Iam pauca enim illa quae ex Ennii Annalibus supersunt fragmenta quam certo quamque angusto tramite semper cucurrerit Romana poësis demonstrant. Cf. mihi Libri I fr. 59 vs. 86 (apud Muellerum)

Sic exspectabat populus atque ora tenebat
Rebus, utri magni victoria sit data regni

cum versu Ovidiano (Met. IX, 49):

spectant armenta paventque,
Nescia quem maneat tanti victoria regni:

modo nati apud Romanos carminis Romani eandem fuisse compositionem quae semper fuerit agnosces.

Neque illos locos indicare neglexit Zingerleus ubi uterque poëta eundem respicit auctorem, modo ita ut alter illum παρῳδῶν exprimat, modo ita ut apud neutrum ullum cernatur iocandi consilium.

Postremo (p. 30– 32) longa serie locorum Horatianorum cum Ovidianis comparatorum quam fuerit certa et stabilis poëtarum Romanorum dictio Zingerleus docet. Sed ne illis quidem a mea de arte Ovidiana sententia depellor, quae cuiusmodi sit iam dicam.

Ad Ovidium penitus cognoscendum non opus est magna industria magnove labore. Qui fuerit non innumeri undique allati loci melius nos docent quam unus ille versiculus, quo de se ipse Ovidius narrat:

Quidquid tentabam dicere versus erat.

Hoc est, ni fallor, iam puer tam libenter poëtas aetate maiores legebam aequalesque audiebam, ut quidquid esset versuum memoria tenerem. Quotiescunque ergo mihi eleganter aliquid dicendum erat statim aderant vocabula hexametris pentametrisque aptissima, sic sponte et sine ullo labore e sententiis meis versus fiebant. Nil praeterea ad hanc de Ovidii imitatione Horatiana quaestionem dirimendam afferimus praeter notissimum illud:

Et tenuit nostras numerosus Horatius aures.

Ergo Horatium quoque audivit puer Ovidius, latina illa carminum Graecorum imitatio aures eius permulsit; vocabula ut erant ab Horatio composita dispositaque in mente eius inhaeserunt et fortasse interdum ei de Horatio ne cogitanti quidem exciderunt. Nam Ovidium et aliunde et ex Horatio sedulo materiem colligentem fingere et nunc absurdissimum mihi videtur et semper videbitur.

EPILOGUS.

Tandem aliquando ad Horatii poësin, unde digressus sum, revertor. Dicebam autem mihi non plane Goethei de Horatio probari iudicium; nunc cur a summo viro dissentiam, et quid ipsi mihi de Lyrico Romano statuendum videatur breviter exponam. Goetheus ergo, qui in Elegiis Romanorum amatoriis totus fuit, illasque diurna nocturnaque versavit manu, Horatii carmina obiter tantummodo et raptim perlegit. Imitationis Horatianae vix duo apud eum exstant exempla eaque admodum incerta. Itaque qui plerumque lenis fuerit censor et lubenter laudarit si quid laudari posset, de Horatio iusto severius pronuntiavit: poëtae enim nomine Horatium prorsus indignum esse censuit. Quod si illum tantummodo revera poëtam esse credis cui pectus ardeat ferveatque, Goethei iudicio tibi est subscribendum. Non enim ἔνθεος est Horatius; placida ei mens est et, ut ita dicam, tepida; flammas ignesque nunquam sensit. Hoc est cur carmina eius amatoria nobis tam languida videantur: lentus

enim est amator. Quoties autem summa Pimplei montis cacumina adscendere conatur, verba quidem inde refert magnum aliquid sonantia, sed inanis eorum strepitus est, in mentem animumque lectoris non penetrant. Nam si quis me roget quid vere et toto pectore amarit Horatius, respondeam: vitam quietam placidamque, ab urbano strepitu remotam, a belli periculis securam. Hanc vero in deliciis ei fuisse quid mirum? Qui enim adolescens belli civilis aerumnas esset expertus, paci nil praestare probe noverat, et pace composita, quum victam causam defendisset, praeter quietem tranquillitatemque vix quidquam a diis immortalibus precari poterat. Lepida ergo venustaque sunt carmina quibus vitam rusticam laudat Horatius, et quidquid ex hoc genere scripsit lectu est iucundissimum. Quin etiam inter carmina in patriae principisque honorem composita quaedam, si non praeclara, tamen admodum sunt pulchra: illa dico quibus Augustus tamquam pacis auctor securitatisque defensor extollitur. Eorum autem me iudice primarium obtinet locum c. IV, 5, quo ut in urbem redire properet Augustum precatur; hunc enim et aliis alloquitur verbis et hisce:

Lucem redde tuae, dux bone, patriae.
Instar veris enim vultus ubi tuus
Affulsit populo, gratior it dies
  Et soles melius nitent.

Venustissima profecto haec stropha est, sed totum carmen iure Peerlkampio paene perfectum videtur. Et omnino ineptum sit Horatium tamquam versificatorem contemnere et despicere, quum praesertim inde a renatis literis eruditissimi homines eum summopere sint admirati. Lectu enim dignissimus Horatius et fuit semper et etiam diu manebit; sed quod

boni habet non a natura accepit sed sensim et assiduo labore est assecutus: cuiusmodi ille labor fuerit rogas. Dicam quam accuratissime.

Primum ergo Horatius vir fuit multarum literarum, qui mentem excoleret strenua poëtarum Graecorum lectione; neque tamen indigesta poëmatum mole se obrui patiebatur, sed neglectis, quos deterior aetas tulit, Graeculis Atticos poëtas, sed praesertim Homerum et vetustos lyricos perpetuos habebat comites. Illos admirabatur, illis magistris utebatur; atque ab Homero quidem tamquam supellectilem poëticam ingentem sumpsit vocabulorum locutionumque copiam, quae latine reddita versibus includeret lyricis; lyricos enim Graecorum iam adolescens imitari studebat. Iambos ergo strophasque et ipse facere conabatur, non quod iisdem rebus quibus Alcaeus, Sappho, Archilochus commoveretur, sed quia illorum numeros ἐναύλους habebat. Quo autem laborant vitio omnes qui imitantur, illo neque Horatius immunis esse potuit; multa enim apud eum reperiuntur tamquam complementa numerorum, multa inania, multa quae, quod ad sententiam attinet, cum ceteris carminum partibus aliquo modo certant. Nil tamen hic habemus cur graviter Horatium reprehendamus: difficillimum enim est hoc vitare vitium, quod non ab illis solis qui alios imitantur committi solet, sed etiam ab iis qui ex alio sermone in patrium aliena carmina vertunt. Dabo luculentum notissimumque exemplum: Catullus, cuius poëticam facultatem admiramur omnes, dum Sapphicum illud

> φαίνεταί μοι κῆνος ἴσος θέοισιν
> ἔμμεν ὤνηρ

vertere vult sic orditur:

Ille mi par esse deo videtur.

Recte hactenus. Quid sequitur?

Ille si fas est superare divos.

Ridicula ea est δείνωσις, qua strophae quidem rima expletur, simplicitas vero Sapphica pessumdatur. Horatius autem quas sententias quaeve carminum argumenta ab exemplaribus Graecis sit mutuatus, quid ipse invenerit, propter temporum iniuriam accurate iam definiri non potest, sed multa tamen eum de suo addidisse constat. Maius ergo periculum erat ne in illum quem dicebam scopulum incideret. Romanus praeterea fuit Horatius: itaque tum αὐτὸς ἑαυτοῦ δεινότατος erat quum argumentum tractabat ex philosophia morali: illam philosophiam dico quae ad vitae usum erat accommodata. Sententias enim finxit morales revera aere perenniores, quae, dum sermonis elegantiae et venustati sua laus stabit, discentur et recitabuntur. Nam sit sane Horatii philosophia humilis omnique careat magnificentia, at egregius eius est sermo: mediocritatem quidem commendavit Horatius, sed iis eam exornavit laudibus ut vere aurea fieret. Et, quod modo de vitiis dicebam quae vitare non potuerit Horatius, nolim ita hoc accipiatur quasi non penitus sentiam quam praeclara eius in re metrica fuerint merita. Si nactus esset qui ipsum imitarentur, Ennio Latinae poësis patri fere par esset habendus Horatius. Tanto enim artificio vocabula Latina numeris inclusit Graecis, ut in Latio illi nati videantur. Ne levissima quidem adhaeret metris Horatianis macula: puri eius versus sunt, elegantes, auditu suavissimi iucundissimique. Ergo, ut comparatione quae Horatii in re metrica fuerit praestantia demonstrem: alterum illud a Pallavicinio repertum carmen, quamquam sermone haud ita multum ab Ho-

ratii carminibus differt, certo tamen argumento fraudis convincitur. Ultima enim eius stropha haec est:

En quo furentes Eumenidum choros
Disiecit almo fulmine Iuppiter!
Huic ara stabit: fama cantu
Perpetuo celebranda crescet.

Audisne quid inter verum Horatium et imperitum falsarium intersit? Tertius strophae Alcaicae versus plerumque apud Horatium e tribus constat vocabulis, sed nunquam sic in partes aequales est divisus ut hic

huic | ara | stabit | fama | cantu,

nunquam eius ille est rhythmus quem musici Italico vocabulo „staccato" appellant. Sed talia audiuntur et sentiuntur melius quam demonstrantur.

Dicebam modo tum demum poëtam Horatium fuisse negari posse si a poëta prae ceteris ardorem fervoremque exspectares postularesque. Aliam tamen ob virtutem dignissimus est Horatius quem poëtam vocemus: egregie enim observare poterat et lubenter atque cum voluptate quadam observabat, quid? Homines illorumque vitam, studia, errores. Quum enim esset vir cultissimi ingenii, mox nobiles viros amicos nactus est, qui et ipsi literas disciplinasque magni facerent. Annos duodetriginta natus iam Maecenati familiaris erat; quinque annis post ab eodem praedium Sabinum dono accepit, ubi securus atque quietus sibi literisque vivere posset. Non ergo diu ei adversa fuit Fortuna, non habuit quod vitae suae duritiam accusaret Horatius. Hinc in plerisque satiris tam lenis est; plerumque enim lectores sic fere alloquitur: „me videte, me imitamini; quid trepidi, anxii,

solliciti estis? Non tam multis rebus opus est ad bene beateque vivendum. Quidni potius modicis opibus modice fruimini? Vini paululum curas pellit; e nostra ipsorum intemperantia nascuntur mala; curis augetur sortis iniquitas." In illos solos acerbus est qui malis artibus, scurrili facetia, abiecta adulatione eodem pervenire studeant quo ipsum doctrina adduxerit ingeniumque; illi enim ne eorum quoque, qui honeste amplissimorum virorum favorem nacti honeste eo utuntur, famam commaculent metus est. Nam suam sortem Horatius amat, si non ardenter, tamen toto pectore: amat Sabinum suum, fontem quo irrigatur (nam missis doctis disputationibus, quarum ansam dedit nomen Bandusiae III, 13, hoc dico Horatium, quum illo nomine uteretur de Sabini praedii fonte cogitasse), „parvos" deos in quorum tutela praedium est, libellos, quibus solitudinem consolatur, vinum salubre, quod in illis nascitur terris, modicas sed tamen hilares epulas quas cum familiaribus vicinisque celebrat; sed nil ei amicis est carius. Homines enim, quibuscum eum sors coniunxit, ita observat ut verum decet artificem; nihil ergo epistolis praestantius fingi potest quas maturus iam et multo usu multisque literis doctus scripsit; vivunt illae viventque semper et spirabunt: omnium enim temporum sunt omniumque locorum. Tanta arte ibi homines quibuscum vivere, iocari, genio indulgere solebat depinguntur ut eos videre et audire nobis videamur. Epistolarum autem lepidissimae illae sunt quas ad amiculos, adolescentes imperitosque, scripsit: quam leniter, quam suaviter vehementes illorum ridet amores, lites, levitatem. Et odarum mihi quidem optimae videntur breves illae quae huic epistolarum generi sint cognatissimae. Nam si quis me roget quod Horatii carmen mihi maxime probetur, illud ceteris omnibus praestare respondeam, quo de Iccii iocatur ingenio mutabili (I, 29),

tum celeberrimam illam inter Lydiam eiusque amatorem altercationem (III, 9). Quod autem ad longiora attinet carmina, ibi, ut iam dixi, artem Horatianam praesertim in brevibus sententiis cernimus et admiramur.

Nam plerisque odis nil se nisi metricam spectasse exercitationem ipse frequenter Horatius profitetur. Utilissima ergo res est illarum vitia, quorum quae essent genera supra indicavi, quam accuratissime indagare et quam apertissime agnoscere, idque tribus de causis.

Primum ita demum penitus sentire possumus quam pulchra nonnulla sint carmina ex eo genere ad quod Horatius natus fuit factusque.

Deinde, ubi semel nobis constat poëtam non semper aeque felicem fuisse, quam inania sint nonnullorum commenta, qui arcana quadam doctrina efficere conantur ut praeclara et plus quam humanae sapientiae Horatii videantur omnia intelligimus: iam enim eo perventum est ut ab uno alteroque viro docto Pythagorica ratione Horatius explicetur et commendetur.

Denique, id quod vel gravissimum est, sic audacibus abstinere coniecturis discemus. Nam licet iam inter viros doctos constet Horatii carmina talia fere ad nos pervenisse qualia ille scripserit, tamen in dies novae proferuntur emendationes: nolunt enim acquiescere critici in vocabulis locutionibusque parum rectis. Me autem iudice inter nova illa conamina unum tantum est quod certum sit, necessarium, nulli obnoxium dubitationi: illam dico emendationem qua II, 18, pro

Aequa tellus
Pauperi recluditur
R e g u m q u e p u e r i s

legitur: R e g u m q u e p r i m i s. Hac simul metri vitium

tollitur et sententiae aptissimum restituitur vocabulum, hac versus exsistit ab omni parte egregius, huic ne pulcherrima quidem Rozenbergii coniectura (I, 32, 15), pro o laborum dulce lenimen mihi cumque, legere iubentis: o laborum dulce lenimen metuumque, par habenda videtur.

De aliis videant alii.

Munro i. f. Crit. & Eluc. of Catullus.

Neque indices huic libro adieci neque singulis capitibus praemisi summarium. Non enim scripta mea fodinarum mihi instar videntur quarum viae latebraeque accurate sint indicandae ut etiam sera posteritas aurum argentumque inde protrahere possit. Aequalium nonnulli, si libro meo perlecto bonae frugis aliquid inesse pronuntiaverint, impense laetabor. Si vero neque illepide neque invenuste ad ea argumenta, quae ipse delibaverim, accurate pertractanda doctiores adhortatus esse aequis idoneisque videbor censoribus, non quidem, hercle, sublimi feriam sidera vertice, sed tamen nihil supra deos lacessam.

Scribebam L e i d a e *m. Ian. a.* 1891.

10

DE OVIDIO POETA

DE OVIDIO POETA

COMMENTATIO

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN
in Univ. Lugd. Bat. Prof. Ord.

LUGDUNI BATAVORUM
E. J. BRILL
1905

TYPIS E. J. BRILL. — LEIDEN.

PRAEFATIO.

Anni sunt quatuordecim ex quo Mnemosynae inserta est disputatio quaedam mea, cui titulus *De Ovidii Metamorphosesin edendis.* Utinam alia tunc usus essem inscriptione! Nam cum ad Ovidii textum emendandum ipse aut nihil aut fere nihil afferrem novi, haud mirum exstitisse qui

Quid dignum tanto tulit hic promissor hiatu

exclamarent; cumque (et haec quidem res multo maiore me affecit afficitque dolore) tamen egregios viros quosdam, de Ovidio praeclare meritos, non acriter solum sed etiam inique, atque interdum prave, perstrinxisse viderer, in ineptissimae incurrebam crimen arrogantiae, quo vitio nullum est quod diligentius vitare studeam. Quo magis ipsorum illorum censorum agnoscenda humanitas, qui cum me ob illas, quas dixi, causas merito notarent, tamen in libello illo bonae frugis aliquid inesse libenter concederent. Quam rem cum et alii viri docti, leniores minusque irati, saepe mihi significarint, cumque discipulos meos ad Ovidium melius intelligendum nonnihil meis observationibus profecisse plus semel sim expertus, denuo de Ovidio scripturus, primum potiorem illarum partem hic repetam, sed accuratius elaboratam novisque stabilitam argumentis exemplisque, deinde in eandem sententiam de Ovidio disputare pergam, postremo de variis Metamorphoseon locis, Kornii editione, quae anno 1880 apud Weidmannos prodiit, usus proferam quaedam nova, mihi certe non inventa alibi, quae Ovidium edentibus

legentibusque prodesse posse videantur. Quodsi novus hicce libellus eorum alicui, qui olim gravius mihi succensuerint, allatus fuerit, hunc ego, ut post illam procellam bono omine instauretur iter nostrum, sic alloquor:

χαῖρε Φίλος τοισίνδε· ϝέπος δ εἴ πέρ τι βέβακται
δϝεινὸν, ἄΦαρ τὸ Φέροιεν ἀναρπάξασαι ἄελλαι.

CAPUT I.

DE METAMORPHOSEON VERSIBUS PONDEROSIS.

Versuum pangendorum praeclarum esse artificem Ovidium dixerunt multi atque adeo eum imitando sunt testificati, sed nemo magis id experitur quam qui diligenter animadverterit quam eleganter hic illic versus adhibuerit ceteris ponderosiores. Quam rem qui paulo accuratius examinaverit ét quae in hoc genere singularis Ovidii laus sit noverit ét de toto Metamorphoseon opere rectius, ut ego opinor, iudicare poterit. Totam ergo rei rationem ordine hic proponam in suas partes digestam. Ponderosos autem eos dico versus qui aut a *quaternis* incipiant spondeis, aut, cum in initio ternos tantummodo spondeos habeant, tamen aliis rebus accedentibus (ut puta spondeo in quinto pede) peculiare aliquod poetae prae se ferant consilium. Ne tamen mihi moveatur controversia, separatim utrumque tractabo genus. Ponderosos autem ut versus faceret tres Ovidium moverunt causae.

Primo quidquid lente fit tardeque cum magno molimine vel molestia, quidquid stat inconcussum nec loco suo movetur hoc versuum genere egregie depingitur. Omnino in Metamorphosesin 77 leguntur versus quos eo consilio sic a poeta structos constet. Quorum 53 a quaternis spondeis incipiunt. Hos omnes hic sic enumerabo ut ipso scribendi genere a ceteris distinguam illos qui disertissime poetae consilium prodant.

I, 22 Nam caelo terras et terris abscidit undas.
24 Quae postquam evolvit caecoque exemit acervo.
119 Tum primum siccis aër fervoribus ustus.
157 Perfusam multo natarum sanguine Terram.

I, 550 *In frondem crines in ramos bracchia crescunt.*
570 Effusus Pindo spumosis volvitur undis.
II, 264 Existunt montes et sparsas Cycladas augent.
810 Quam cum spinosis ignis supponitur herbis.
III, 628 *Haesissem quamvis amens in fune retentus.*
662 *Illi admirantes remorum in verbere perstant.*
IV, 33 Intempestiva turbantes festa Minerva.
— 560 *Quo quaeque in gestu deprensa est haesit in illo.*
622 *Nunc huc, nunc illuc exemplo nubis aquosae.*
776 Id se sollerti furtim, dum traditur, astu.
V, 108 Invictus, vinci si possent caestibus enses.
139 Cervice exacta est in partesque emicat ambas.
171 *Non circumspectis exactum viribus ensem.*
340 Atque haec percussis subiungit carmina nervis.
556 Quam postquam toto frustra quaesistis in orbe.
VI, 68 *Illic et lentum filis inmittitur aurum.*
365 *Huc illuc limum saltu movere maligno.*
456 Quam siquis canis ignem supponat aristis.
637 Lactentem fetum per silvas tigris opacas.
703 Excussit pennas; quarum iactatibus omnis.
VII, 140 *A se depulsum Martem convertit in ipsos.*
152 *Haec postquam sparsit Lethaei gramine suci.*
189 Ter se convertit, ter sumptis flumine crinem.
225 Othrysque Pindusque et Pindo maior Olympus.
258 *Bacchantum ritu flagrantes circuit aras.*
277 Arenti ramo iam pridem mitis olivae.
442 *Ad terram late sparsuras corpora pinus.*
VIII, 525 *Paulatim cana prunam velante favilla.*
532 Exegit poenas acto per viscera ferro.
760 Coepere ac longi pallorem ducere rami.
IX, 169 *Aut haeret membris frustra temptata revelli.*
241 Securosque artus contemptoremque petebat.
362 Crescentem truncum ramosque amplexa moratur.
388 Dum tangi possum parvumque attollite natum.
XI, 29 Hae glaebas, illae direptos arbore ramos.
238 Illic te Peleus, ut Somno vincta iacebas.
XII, 139 *Vi multa vertit terraeque adflixit Achilles.*
142 Elidunt fauces et respiramen iterque.

XII, 192 Multorum frustra votis optata procorum.
236 *Antiquus crater; quem vastum vastior ipse.*
256 Cumque atro mixtos spumantem sanguine dentes.
357 *Annosam pinum magno molimine temptat.*
453 *Ad mentum lingua mentoque ad guttura fixo.*
XIII, 347 Gestasset laeva taurorum tergora septem.
— 611 Ter clangor; quarto seducunt castra volatu.
XIV, 398 Nequiquam Pico nullaque in parte reperto.
— 427 Fessam et iam longa ponentem corpora ripa.
— 819 Innixusque hastae, pressos temone cruento.
XV, 339 Quae nunc immotae perstant ventisque resistunt.

Eodem referendi sunt hi 24, a ternis incipientes spondeis nonnumquam alia re accedente quae pondus augeat, atque etiam unus et alter tres deinceps habens spondeos in medio.

I, 282 Et defrenato volvuntur in aequora cursu.
— 294 Et ducit remos illic ubi prius ararat.
— 329 Et caelo terras ostendit et aethera terris.
II, 7 Terrarumque orbem caelumque quod imminet orbi.
— 351 Avellit frondes; haec stipite crura teneri.
— 732 Quae quamquam iusta est, cura tamen adiuvat illam.
— 792 Exuritque herbas et summa cacumina carpit.
III, 15 *Incustoditam lente videt ire iuvencam.*
— 21 *Ad caelum frontem mugitibus impulit auras.*
— 89 Cedendo arcebat nec longius ire sinebat.
— 441 *Ad circumstantes tendens sua bracchia silvas.*
V, 183 Mittere in hoc haesit signum de marmore gestu.
— 545 In rostrum et plumas et grandia lumina vertit.
VI, 69 Et vetus in tela deducitur argumentum.
— 334 Orbem interdixit quam vix erratica Delos.
— 335 Illic incumbens cum Palladis arbore palmae.
— 555 Ille indignantem et nomen patris usque vocantem.
— 668 Pendebant pennis quarum petit altera silvas.
VII, 581 Hic illic ubi mors deprenderat exhalantes.
VIII, 585 A silvis silvas et ab arvis arva revulsi.
— 694 *Nituntur longo vestigia ponere clivo.*
XI, 733 *Stringebat summas ales miserabilis undas.*
XII, 83 Sed quamquam certa nullus fuit error in hasta.
— 472 Extentum cursu missa latus eruit hasta.

Ex hoc ergo genere 77 sunt versus, quos „descriptivos" haud inepte appellaveris.

Alterum genus eorum est, ubi aliquis lente atque cum stupore vel admiratione circumspectans inducitur fingiturve. Eorum a quaternis spondeis 16 incipiunt.

II, 533 Tam nuper pictis caeso pavonibus Argo.
III, 345 Infantem, nymphis iam tunc qui posset amari.
— 461 Et quantum motu formosi suspicor oris.
IV, 211 Quam mater cunctas, tam matrem filia vicit.
— 323 Et frater felix et fortunata profecto.
— 638 *Ex auro ramos, ex auro poma tegebant.*
V, 81 Exstantem signis multaeque in pondere massae.
— 189 Argento partim, partim caelaverat auro.
VI, 17 *Nec factas solum vestes spectare iuvabat.*
— 129 *Non illud Pallas, non illud carpere Livor.*
— 394 Et Nymphae flerunt et quisquis montibus illis.
— 581 *Evolvit vestes saevi matrona tyranni.*
VIII, 29 Laudabat virgo iunctam cum viribus artem.
XI, 394 *Ascendunt illuc stratosque in litore tauros.*
— 724 *Admotum terrae iam quod cognoscere posset.*
XV, 563 Et iam non telum, sed lenti viminis arbor.

Quibus iure nostro hosce 8 addimus:

II, 178 Ut vero summo despexit ab aethere terras.
— 859 Quod tam formosus quod proelia nulla minatur.
III, 421 *Et dignos Baccho dignos et Apolline crines.*
IV, 313 Nunc perlucenti circumdata corpus amictu.
— 325 Sed longe cunctis longeque beatior illa.
— 715 Praebentem Phoebo liventia terga draconem.
V, 265 *Silvarum lucos circumspicit antiquarum.*
VI, 104 *Europam: verum taurum freta vera putares.*

Hos ego versus, qui 24 sunt numero, *contemplativos* appello.

Tertium genus est eorum versuum qui loquendi gravitatem, loquentis animum afflictum, iram, indignationem, arrogantiam sono suo imitantur. Eorum a quaternis spondeis 43 incipiunt.

I, 663 Aeternum nostros luctus extendit in aevum.
II, 518 *Est vero cur quis Iunonem laedere nolit.*
— 525 *Cur non et pulsa ducit Iunone meoque.*

II, 527 *At vos si laesae tangit contemptus alumnae.*
— 568 Quamvis irata est, non hoc irata negabit.
— 591 An quae per totam res est notissima Lesbon.
— 605 Indevitato traiecit pectora telo.
— 745 Nec fingam causas; tu tantum fida sorori.
III, 436 *Tecum discedet, si tu discedere possis.*
— 718 *Iam se damnantem, iam se peccasse fatentem.*
IV, 62 Ex aequo captis ardebant mentibus ambo.
— 698 Quam clausam implevit fecundo Iuppiter auro.
V, 91 Expertem frustra belli et neutra arma secutum.
— 94 Quem fecisti hostem pensaque hoc vulnere vulnus.
— 550 Ignavus bubo, dirum mortalibus omen.
VI, 195 *Maior sum quam cui possit Fortuna nocere.*
— 200 *Latonae turbam, quae quantum distat ab orba.*
— 333 Orbem interdixit, quam vix erratica Delos.
— 369 *„Aeternum stagno" dixit „vivatis in illo".*
— 533 *Intendens palmas „o diris barbare factis."*
— 570 *Et luget non sic lugendae fata sororis.*
VII, 197 *Auraeque et venti montesque amnesque lacusque.*
VIII, 31 Sic Phoebum sumptis iurabat stare sagittis.
— 118 Terrarum nobis ut Crete sola pateret.
— 293 Et frustra exspectant promissas horrea messes.
— 486 *An felix Oeneus nato victore feretur.*
IX, 23 Nam quo te iactas, Alcmene nate, creatum.
— 539 Et crebri amplexus, et quae, si forte notasti.
— 593 Non exploratis implevi lintea velis.
— 636 Tum vero maestam tota Miletida mente.
— 682 Tam qui mandabat quam cui mandata dabantur.
— 726 Hoc ipsum flammas, ardetque in virgine virgo,
X, 5 Nec laetos vultus nec felix attulit omen.
— 365 Non intellectam vocem conlaudat et „esto".
XI, 42 *Auditum saxis intellectumque ferarum.*
— 266 Felix et nato, felix et coniuge Peleus.
— 299 Illius virtus reges gentesque subegit.
— 343 Virtutem antiquam, maiores corpore vires.
XII, 241 *Certatimque omnes uno ore „arma, arma" lo-*
XIII, 97 *Atque Aiax armis, non Aiaci arma petuntur.* [*quuntur.*
— 665 Non hic Aeneas, non, qui defenderet Andron.

XIII, 806 Non tantum cervo claris latratibus acto.
XV, 39 O cui ius caeli bis sex fecere labores.

Quibus addere non dubito 9 hosce:

II, 423 „Hoc certe furtum coniunx mea nesciet" inquit.
III, 68 Aut ultor vestrae fidissima pectora mortis.
— 517 Quam felix esses, si tu quoque luminis huius.
IV, 158 At tu quae ramis arbor miserabile corpus.
— 416 Tum vero totis Bacchi memorabile nomen.
V, 617 Crinales vittas afflabat anhelitus oris.
VI, 254 At non intonsum supplex Damasichthona vultus.
— 547 Implebo silvas et conscia saxa movebo.
VII, 50 Servatrix urbes matrum celebrabere turba.

Ex hoc ergo genere 52 sunt versus, quos „rhetoricos" mihi dicere posse videor.

Age iam eorum quae hucusque enumeravimus summam faciamus. Quamquam enim fieri potuit ut unum alterumque versum omitterem, tamen ea sum in toto hoc negotio usus diligentia ut tabulis meis tamquam fundamento demonstrationem quandam imponere non verear. Nam si quis forte aliquem versum, quem ego ad „descriptivos" retuli, „contemplativis" vel „rhetoricis" vult adnumerare, aut „rhetoricis" exemptum inter „contemplativos" ponere, aut quocunque tandem modo versus a me citatos transponere, minime recuso: tria enim genera illa, quamquam inter se discrepant, tamen simul sunt cognata. Et, quod gravissimum, ad nostram rationem nihil interest cui generi hic ille versus adnumeretur.

Habemus 77 + 24 + 52 i. e. 153 versus „ponderosos" qui cur sic a poeta sint conformati liquido apparet.

Opponimus his ex toto Metamorphoseon opere 29 versus „ponderosos" qui imprudenti poetae excidisse videntur, quia sensus eorum nihil habet quod gravitati illi respondeat. Sunt hi:

II, 742 Et causam adventus, cui sic respondit Atlantis.
III, 145 Et sol ex aequo meta distabat utraque.
— 313 Furtim illum primis Ino matertera cunis.
VII, 233 Nondum mutato vulgatum corpore Glauci.
VIII, 305 Et velox Idas et iam non femina Caeneus.

IX, 115 Nam clavam et curvos trans ripam miserat arcus.
— 436 Nec nostrum seri curvarent Aeacon anni.
X, 12 Deflevit vates, ne non temptaret et umbras.
— 736 Qualem, quae lento celant sub cortice granum.
XI, 761 Quamvis est illum proles enixa Dymantis.
XIV, 92 Cercopum exosus gentisque admissa dolosae.
— 99 Verborum et natae dira in periuria linguae.
— 114 Fulgentem ramum silva Iunonis Avernae.
— 146 Ter centum messes, ter centum musta videre.
— 151 Vel non cognoscet, vel dilexisse negabit.
— 509 Ut non cygnorum, sic albis proxima cygnis.
— 638 Fecere et pinu praecincti cornua Panes.
— 769 Evicit nubes nullaque obstante reluxit.
XV, 68 Et rerum causas et quid natura docebat.
— 78 Sunt herbae dulces, sunt quae mitescere flamma.
— 319 Cui non audita est obscenae Salmacis undae.
— 390 Mutari credant humanas angue medullas.
— 455 Immutat formas tellusque et quidquid in illa.
— 475 Nec formidatis cervos inludite pennis.
— 484 Adsuetam bello pacis traduxit ad artes.
— 618 *Quantum depresso subiectis bobus aratro*
— 619 *Complecti posses ad finem lucis ab ortu.*
— 676 Evinctus vitta crines albente sacerdos.

Hunc quoque versum, licet a tribus incipiat spondeis, huc referendum censeo:

XV, 328 Undarum sparsas Symplegadas elisarum.

Hoc ergo primum apparet raros esse in Metamorphosesin „ponderosos" versus. Nam cum totum opus e duodecim fere milibus versuum constat, ex illo genere non plus 182 praebet, idque ita ut saepe longissimo intervallo inveniatur nullus. Iam id ipsum suspicionem movet eos a poeta certo consilio esse positos atque ut legentium animos certo aliquo afficeret sensu, eamque suspicionem confirmare conati sumus demonstrando illorum versuum alios „descriptivos", alios „contemplativos", alios denique „rhetoricos" iure dici posse. Quodsi quis nihili se facere clamet normam quae 153 exemplis defendatur, 29 exemplis refellatur, omnino verissimum illud esse concedo,

sed nostram rationem minime ea observatione convelli mihi persuasissimum est. Inspiciat modo aliquis ultimam tabulam nostram. Quid videbit? Nempe 29 illarum „exceptionum'' 19 legi in libris XIV et XV, qui 1730 versus continent, reliquas decem in libris I—XIII, qui versuum habent non minus decem milia.

Iam haec tabula

Libri I—XIII	versus	habent	sine	causa	„ponderosos''	10
„ XIV et XV	„	„	„	„	„	19

aliquid docet quod non sine aliqua cognoscamus admiratione.

Sed maiorem etiam persuadendi vim altera haec habere videtur:

In libris	I—XIII	versus	„cum causa ponderosi''	leguntur	147
„ „	„ „	„	„sine causa ponderosi''	„	10
„ „	XIV et XV	„	„cum causa ponderosi''	„	6
„ „	„ „	„	„sine causa ponderosi''	„	19

Confidenter ergo his nisus tabulis hanc pronuntio sententiam: Versus a quaternis incipientes spondeis, quique a ternis incipientes simile pondus habent, si non in sententia eorum inest aliquid quod eiusmodi ornamenta postulet, *imprudenti* poetae excidisse censendi sunt.

Statimque alteram hanc, satis, ut opinor, iam stabilitam adiungo:

Ad versuum „ponderosorum'' ornamentum quod attinet, in libris Metamorphoseon XIV et XV multo negligentius est versatus Ovidius quam in ceteris omnibus.

CAPUT II.

DE CAESURA ΚΑΤΑ ΤΕΤΑΡΤΟΝ ΤΡΟΧΑΙΟΝ APUD POETAS LATINOS.

Hanc nostram de Ovidii in Metamorphoseon libris XIV et XV conscribendis negligentia observationem in praesentia seponamus: mox ea ad aliam rem illustrandam utemur. Sed nunc, quoniam semel in re metrica versamur, paulisper etiam in ea moremur.

Quaestionem quandam instituam saepius iam antea agitatam, hoc vero tempore a clarissimo quodam viro doctissime sed simul, sic certe mihi stat sententia, perversissime tractatam. Disquisitionibus enim suis utitur ad demonstrandum aliquid quo nihil unquam falsius vidi. Ipsum virum non nominabo: odi enim lites et bella literaria; quid sibi invenisse visus ille sit in fine capitis huius paucis dicam verbis, meis, ut opinor, refutatum iam explosumque argumentis. Agam enim de hexametrorum latinorum caesura *κατὰ τέταρτον τροχαῖον*.

Ab Homero illam caesuram sedulo vitatam primus Godofredus Hermannus (Orph. p. 692) vidit et post eum saepius viri docti pronuntiarunt, hac vero aetate Leeuwenius noster totam rem tam docte acute diligenter est perscrutatus ut vix quemquam superesse opiner qui quin, sicubi etiam in Iliade vel Odyssea inveniatur, emendatione sit tollenda dubitet. Latini vero poetae quid? Fieri potest ut Ovidium Virgilium alios legens tam longo intervallo nullam eiusmodi caesuram invenias ut credere incipias ad Latinos quoque poetas Hermanni pertinere legem. Sic, ut hoc exemplo utar, quod mihi semper magni

est visum momenti, in pulcherrima illa Ovidii de morte Tibulli elegia (Am. III, 9), quae 34 est distichorum, nusquam caesura in quarto pede trochaica deprehenditur. At in eiusdem Amorum libri elegia I, quae 35 habet disticha, non minus 4 versus sic incisos legimus:

11 Venit et ingenti violenta / Tragoedia passu.
29 Nunc habeam per te Romana / Tragoedia nomen.
35 Quid gravibus verbis, animosa / Tragoedia dixit.
67 Exiguum vati concede / Tragoedia tempus.

Hac ego inter duas eiusdem libri elegias discrepantia motus totam rem paulo accuratius explorare decrevi. Atque excerpsi e primo libro Metamorphoseon versus hosce:

12 Nec circumfuso pendebat / in aëre tellus.
23 Et liquidum spisso secrevit / ab aëre caelum.
31 Ultima possedit solidumque / coercuit orbem.
36 Tunc freta diffudit rapidisque / tumescere ventis.
55 Iussit et humanas motura / tonitrua mentes.
76 Sanctius his animal mentisque / capacius altae.
91 Poena metusque aberant nec verba / minacia fixo.
107 Ver erat aeternum, placidique / tepentibus auris.
125 Tertia post illam successit / aënea proles.
141 Iamque nocens ferrum ferroque / nocentius aurum.
144 Vivitur ex rapto; non hospes / ab hospite tutus.
169 Lactea nomen habet, candore / notabilis ipso.
186 Corpore et ex una pendebat / origine bellum.
203 Humanum genus est totusque / perhorruit orbis.
208 Iuppiter hoc iterum sermone / silentia rupit.
219 Ingredior traherent cum sera / crepuscula noctem.
232 Territus ipse fugit, nactusque / silentia noctis.
234 Colligit os rabiem, solitaeque / cupidine caedis.
252 Dissimilem populo promittit / origine mira.
269 Fit fragor; hinc densi funduntur / ab aethere nimbi.
282 Et defrenato volvuntur / in aequora cursu.
288 Si qua domus mansit potuitque / resistere tanto.
310 Pulsabantque novi montana / cacumina fluctus.
317 Nomine Parnasus, superantque / cacumina nubes.
324 Iuppiter ut liquidis stagnare / paludibus orbem.
329 Et caelo terras ostendit / et aethera terris.

330 Nec maris ira manet; positoque / tricuspide telo.
337 Bucina, quae medio concepit / ubi aëra ponto.
338 Litora voce replet sub utroque / iacentia Phoebo.
341 Omnibus audita est telluris / et aequoris undis.
342 *Et quibus est undis audita, / coërcuit omnes* [1]).
346 Perque diem longam nudata / cacumine silvae.
349 Et desolatas agere alta / silentia terras.
353 Deinde torus iunxit, nunc ipsa / pericula iungunt.
374 Pallebant musco, stabantque / sine ignibus arae.
382 Et velate caput cinctasque / resolvite vestes.
384 Obstipuere diu; rumpitque / silentia voce.
401 *Ponere duritiem coepere / suumque rigorem.*
406 Non exacta satis rudibusque / simillima signis.
415 Et documenta damus, qua simus / origine nati.
435 Solibus aetheriis altoque / recanduit aestu.
442 Ante nisi in dammis capreisque / fugacibus usus.
450 Nondum laurus erat, longoque / decentia crine.
453 Fors ignara dedit sed saeva / Cupidinis ira.
473 Laesit Apollineas traiecta / per ossa medullas.
522 Dicor et herbarum subiecta / potentia nobis.
562 Ante fores stabis mediamque / tuebere quercum.
567 Est nemus Haemoniae praerupta / quod undique claudit.
575 Undis iura dabat nymphisque / colentibus undas.
582 Inachus unus abest imoque / reconditus antro.
583 Fletibus auget aquas natamque / miserrimus Io.
588 Flumine et o virgo Iove digna, / tuoque beatum.
597 Consitaque arboribus Lyrcaea / reliquerat arva.
608 Constitit in terris nebulasque / recedere iussit.
641 Naides ignorant: ignorat / et Inachus ipse.
645 Illa manus lambit patriisque / dat oscula palmis.
667 Nec superum rector mala tanta / Phoronidos ultra.
700 Et precibus spretis fugisse / per avia nympham.
751 Nec sibi cedentem Phoeboque / parente superbum.

---

1) Tam ingratus auditu hic versus est (cum praesertim praecedat versus eodem modo incisus) ut, nisi frequentia caesurarum κ. τ. τ., quam hoc libro observamus, obstaret, fere suspicarer *de industria* eum sic a poeta structum ut fluctus *subito* inhibitos *depingeret*.

753 Credis et es tumidus genitoris / imagine falsi.
754 Erubuit Phaethon iramque / pudore repressit.
771 Se mihi, sitque oculis lux ista / novissima nostris.
777 Aethiopasque suos positosque / sub ignibus Indos.

Cum ergo totus liber e 777 versibus constet, eorum 63 caesuram in quarto pede trochaicam habent, i. e. duodeni unam. Omisi enim undecim versus in quibus illa facile excusari atque defendi possit:

3 Aspirate meis primaque ab / origine mundi.
50 Nix tegit alta duas, totidem inter / utramque locavit.
160 In faciem vertisse hominum sed / et illa propago.
213 Et deus humana lustro sub / imagine terras.
214 Longa mora est, quantum noxae sit / ubique repertum.
254 Sed timuit ne forte sacer tot / ab ignibus aether.
322 Non illo melior quisquam nec / amantior aequi.
471 Quod fugat obtusum est et habet sub / harundine plumbum.
517 Iuppiter est genitor per me quod / eritque fuitque.
669 Pleias enixa est, letoque / det, imperat Argum.
707 Dumque ibi suspirat, motos in / harundine vento.

Immo ne inest quidem in illis caesura nostra: nam neque voculae *ab, inter, sed, sub, sit, tot, nec, sub, quod, in* a sequentibus divelli possunt, neque *det* (vs. 669) a praecedentibus.

Contra inclinatis diductisque imprimendos curavi literis eos versus quos vix aequo animo ferre possint homines in Homero non plane hospites.

Nam auditu ingratos et fere dixerim vitiosos esse hexametros omnes post quartum trochaeum incisos quis neget? De latinis hexametris negat unus omnium maxime idoneus iudex Lucianus Müllerus, atque sic disputat:

„Graecorum hexametrorum pars maior principalem habet caesuram post *tertium* trochaeum, si ergo accedit caesura post quartum trochaeum, languidissimus existit versus et vix ferendus. Atque haec praesertim causa fuit cur poetae Graeci tam anxie caesuram κατὰ τέταρτον τροχαῖον vitarent; contra Latini hexametri, qui post tertium trochaeum principalem caesuram habent, sat rari sunt, plerique in tertio pede post syllabam longam inciduntur (caesura mascula), ergo Latinis poetis eadem formido non fuit."

Quae minime absurda esse quivis concedet. Quanto enim ingratior ad aures accedit versus qualis hic est:

Πηλεὺς θήν μοι ἔπειτα / γυναῖκα / γαμέσσεται αὐτός

quam

πολλὰ δ' ἄρ' ἔνθα καὶ ἔνθ' / ἴθυσε / μάχη πεδίοιο.

At non prorsus Mülleri argumento Latini poetae defenduntur, pars culpae remanet. Versus enim quales sunt:

Et quibus est undis / audita, / coërcuit omnes

vel

Ponere duritiem / coepere / suumque rigorem

elumbes sunt et habebuntur, quamdiu Graecos habebimus hexametros ad quorum elegantiam eos examinemus.

Cum ergo Ovidium vidissem in primum Metamorphoseon librum tam frequenter illud admittentem vitium, alibine cautius egisset sum perscrutatus, atque primum cum primo libro contuli locum, quo nullum fortasse accuratius elaboravit ille: Armorum Iudicium. Ibi versuum 398 hosce inveni post quartum incisos trochaeum:

23 Moenia qui forti Troiana / sub Hercule cepit.
25 Aeacus huic pater est, qui iura / silentibus illic.
32 Sisyphio furtisque et fraude / simillimus illi.
36 Arma neganda mihi potiorque / videbitur ille.
42 Obtulimus quia nos ad prima / pericula simus.
66 Vulnere tardus equi fessusque / senilibus annis.
110 Nec clipeus, vasti caelatus / imagine mundi.
154 Aut si proximitas primusque / requiritur heres.
174 Et Tenedon Chrysenque et Cyllan / Apollinis urbes.
216 Ecce Iovis monitu deceptus / imagine somni,
253 Cuius equos pretium pro nocte / poposcerat hostis.
254 Arma negate mihi, fueritque / benignior Aiax.
276 Se putat oblitus regisque / ducumque meique.
316 Ut se subtraheret bellique / viaeque labori [1]).
325 Stabit, et auxilium promittet / Achaia Troiae.
357 Nec minus Idomeneus patriaque / creatus eadem.

---

1) Eiusmodi versus videri fortasse possunt non peccare in Graecorum hexametrorum legem; v. v. Leeuwen Ench. p. 20 infra. Sed his demptis non mutatur ratiocinatio nostra.

Omisi hic, tamquam facile ferendum, vs. 147:

Altera nobilitas, deus est in / utroque parente.

et tamquam non sic ab Ovidio scriptum:

333 Te tamen adgrediar, mecumque / reducere nitar.

Ergo in Armorum Iudicio 398 versus 16 caesuras post quartum trochaeum, i. e. viceni quini unam, habent. Minime caret vitio isto hic locus, quin etiam semel duos deinceps exhibet versus eo laborantes (253, 254), videri tamen potest, quod ad hanc rem attinet, paulo diligentius compositus quam primus liber.

Addo etiam quaedam de Ovidii *Amoribus*. Habent illi 1200 fere hexametros, quorum 67 post quartum trochaeum incisi sunt. Interdum tam longo spatio nulla eiusmodi caesura invenitur, ut credas sedulo eam ab Amorum poeta vitatam. Vide quae de tertii libri elegia nona diximus. Consideratis vero iis, quae de eiusdem libri elegia prima observavimus (de versibus qualis est: Venit et ingenti violenta / Tragoedia passu), non maiore, quod quidem ad caesuras post quartum trochaeum attinet, laude totum Amorum opus ornare possumus quam hoc ut dicamus inter librum primum Metamorphoseon et Armorum Iudicium quodammodo medium illud tenere locum.

Age iam omittamus Ovidium et Virgilium ei opponamus. Elegi autem ex Aeneide, quem ad hanc spectarem lucem, librum IV, tamquam praestantissimum omnium, atque ex eo enotavi versus:

58 Legiferae Cereri Phoeboque / patrique Lyaeo.
59 Iunóni ante omnes, cui vincla / iugalia curae.
71 Pastor agens telis liquitque / volatile telum.
84 Aut gremio Ascanium genitoris / imagine capta.
101 Ardet amans Dido traxitque / per ossa furorem.
117 Venatum Aeneas unaque / miserrima Dido.
119 Extulerit Titan radiisque / retexerit orbem.
123 Diffugient comites et nocte / tegentur opaca.
158 Spumantemque dari pecora inter / inertia votis.
194 Regnorum immemores turpique / cupidine captos.
200 Centum aras posuit vigilemque / sacraverat ignem.
218 Quippe tuis ferimus famamque / fovemus inanem.
261 Constitit, atque illi stellatus / iaspide fulva.
281 Ardet abire fuga dulcisque / relinquere terras.

335 Promeritam, nec me meminisse / pigebit Elissae.
346 Italiam Lyciae iussere / capessere sortes.
437 Talibus orabat, talisque / miserima fletus.
485 Quae dabat et sacros servabat / in arbore ramos.
521 Curae numen habet iustumque / memorque precatur.
559 Et crines flavos et membra / decora iuventa.
561 Nec quae te circum stent deinde / pericula cernis.
626 Qui face Dardanios ferroque / sequare colonos.
636 Et pecudes secum et monstrata / piacula ducat.
650 Incubuitque toro dixitque / novissima verba.
651 Dulces exuviae dum fata / deusque sinebat.
695 Quae luctantem animam nexosque / resolveret artus.

Nam praetereundos videbam hosce, specie magis quam revera post quartum trochaeum incisos:

41 Et Numidae infreni cingunt et / inhospita Syrtis.
52 Dum pelago desaevit hiemps et / aquosus Orion.
132 Massylique ruunt equites et / odora canum vis.
458 Coniugis antiqui, miro quod / honore colebat.

Hic ergo versus, hoc crimine notandi, sunt inter 27 singuli. Et sunt quidem inter eos bis bini deinceps positi (58 sq. 650 sq.), sed semel inter duos versus caesura ista laborantes (346 et 436) *nonaginta* intercedunt versus omni labe puri (tres fere paginae Teubnerianae). Igitur vel Armorum Iudicio Ovidiano hoc nomine quartus Aeneidos liber praestat.

Age iam cum pulcherrimis his praestantissimorum poetarum locis exercitationem comparemus adolescentuli, qui sat quidem bene Ovidium suum teneat et imitari didicerit, sed nunquam eo pervenerit ut suis stet pedibus et proferat aliquid quod legentem gravius commoveat detineatque; ita omnia apud eum sunt languida frigidaque; improbus labor poetam, quidquid in pectore habuit ardoris vigorisque — si quidquam habuit — uti eo vetuit. Consolationem ad Liviam dico, sive Epicedium Drusi. Est elegia 237 distichorum. Eius hi sunt hexametri post quartum trochaeum incisi:

5 Nec tua se pietas distendit / amore duorum.
33 Obvia progrediar felixque / per oppida dicar. [*sam.*
37 *Gaudia vana foves: spem pone, / miserrima, fal-*
61 *Ille vigil, summa sacer ipse / locatus in arce.*

71 Ecce parum ante dati: iactura / novissima Drusus.
93 Lumina caerulea iam iamque / natantia morte.
95 At miseranda parens suprema / neque oscula legit.
149 Nec quom victorem referetur / adesse Neronem.
151 Ultima contigimus: ius matris / habemus ab uno.
153 Me miseram! extimui frigusque / per ossa cucurrit.
173 Funera ducuntur Romana / per oppida Drusi.
199 Obvia turba ruit lacrimisque / rigantibus ora.
205 Auctorisque sui praefertur/ imagine maesta.
207 *Certat onus lecti generosa / subire iuventus.*
221 Ipse pater flavis Tiberinus / adhorruit undis.
231 Sed Mavors templo vicinus / et accola campi.
239 Quondam ego tentavi Clothoque / duasque sorores.
267 *Pars erit historiae totoque / legetur in aevo.*
305 Tu concessus amor, tu solus / et ultimus illi.
315 *Frigidus ille tibi corpusque / refertur inane.*
325 Et modo per somnos agitaris / imagine falsa.
333 *Regalique habitu curruque / superbus eburno.*
349 *En posuit te alte Fortuna / locumque tueri.*
397 Praevertitque metus per longa / pericula luctum.
431 *Et longaeva parens: tamen ille / redemptus ad ignes.*

Noveni hexametri unam habent caesuram *κατὰ τέταρτον τροχαῖον*, et mirum quam saepe alia res accedit, quae versus sic incisos etiam ingratiores reddat: unus et alter eorum ferri vix potest (e. c. 61, 349). Ergo hoc nomine Epicedio praestat etiam Metamorphoseon liber primus, propter istarum caesurarum frequentiam minime laudandus (12 : 1).

Ultra investigare, colligere, numerare nolui neque utile putavi. Sat multa iam proposui e quibus de tota re iudicium efficere possimus.

Poetas latinos omnino ignoravisse legem de vitanda post quartum trochaeum caesura dicere non audeo; obstat enim quod Lucianus Muellerus p. 192 docet: vitatam eam de industria ét a Lygdamo ét a poeta qui Lygdamum aetate multum antecedit: Catullum dico in epyllio suo. Et omnino parce cauteque ea usus esse videtur Catullus.

Ergone cum viro illo docto, cuius in initio huius capitis

mentionem feci, statuamus a cultioribus poetis omnino vitatam caesuram istam, sed hic illic tamen irrepsisse eam, quoniam poeta aut Ennii locum aliquem legentibus in memoriam revocare vellet aut ipsi (imprudenti nimirum et invito) versus aliquis Ennianus (satis intempestive!) in mentem veniret? Excogitari posse nihil quod falsius sit vel tabulae a me propositae documento sunt: nullus enim ibi versus legitur, qui coloris Enniani levissimam habeat umbram. Atque omnino opinionem illam de Ennio redivivo proponens haud facile dictu est utrum vir doctus noster infelicior fuerit an pertinacior. Nam cum ex uno Aeneidis libro argumenta sua colligeret, ne hac quidem re se a proposito suo abduci passus est, quod *proxime praecedentis* libri *ultimus* esset versus:

Nudus in ignota Palinure / iacebis / harena

qui neque quidquam habet, quod etiam apud Ennium fuisse credibile sit, et hexametri Graeci leges aperte violat. Sed pertinacia viri docti magis incusanda videtur, qui, ut quam plurima legis suae afferre posset exempla, et alia suo statuerit arbitrio, et si cui verbo particula enclitica *que* adhaereret, non post sed *ante* illam versum incidi iusserit.

Immo sic rem se habere mihi est persuasissimum, et quo magis hanc quaestionem mecum reputo eo fit certius magis: *Poetae Latini legem de vitanda caesura κατὰ τέταρτον τροχαῖον non ignorarunt, sed nosse se eam dissimularunt. At quo quisque est tersior elegantiorque, quoque in suo argumento pertractando felicius versatur, eo magis, imprudens invitusque, legi paret. Cum vero αὐτὸς ἑαυτοῦ* est *δεινότατος longos locos tanta pangit arte ut ne severissimae quidem et Homeri plenissimae aures quidquam habeant quod reprehendant.*

Hoc verum esse, hoc ipsi rei naturae convenire, optime sciunt sentiuntque illi qui omnino ad huiuscemodi quaestiones dirimendas maxime sunt idonei, eos dico qui ipsi versibus Latinis pangendis sedulo dant operam. E quorum artificio exemplum afferre lubet quod rem, in qua versamur, egregie illustrare videtur. Quis poetarum noviciorum semper anxie dat operam ut hexameter exeat in vocem binarum ternarumve syllabarum? Quis eorum versum improbet qualis hic est:

Ne vero Bavium, tam fortem, tam sapientem?

Et tamen, qui in hoc negotio non rudis est, rarissime eiusmodi hexametros in carmina sua admittit.

Tota ergo investigatio nostra eo ducit ut penitus sentiamus hexametrum illum e Graecia petitum bonis poetis Latinis „consuetudine in naturam vertisse."

CAPUT III.

DE METAMORPHOSEON ULTIMAE PARTIS ENUNTIATIONE.

Primo capite virtutem quandam Ovidii, in ceteris Metamorphoseon libris conspicuam, praedicavimus, at e libris XIV et XV huic contraria protulimus vitia. Nunc videamus possimusne et ex alio genere afferre argumenta ad demonstrandum ultimam magni operis partem praecedentibus minus esse limatam cultamque.

Omnino Ovidius limpida simplicique utitur enuntiatione, in Metamorphosesin vero sermo eius tam perspicuus facilisque est ut etiam pueri non nimis tardi sine ulla molestia eos certe locos, qui nominibus mythologicis geographicisque carent, perlegere possint et sponte memoria teneant. Non nego quidem hic illic structuram deprehendi paulo contortiorem; sed versus quales hi sunt (ex initio libri IX):

> Quae gemitus truncaeque deo Neptunius heros
> Causa rogat frontis

rari sunt in Metamorphosesin, neque ullos ibi memini me his intricatiores legere, et sunt tamen vel hi eiusmodi ut iudici paulo leniori bilem movere non possint. „In Metamorphosesin" cum dico, libros XIV et XV cum libri XIII versibus 400—fin. excipio. Nam haec pars versibus obscuris, contortis, omni denique genere vitiorum laborantibus, abundat et sunt in illis nonnulli, quos, etiam cum primis illis libri IX versibus comparatos, ineptos insulsosque dicere non dubites.

Age iam aut omnes aut certe eos qui maxime insignes sunt hic proponamus; sic optime elucebit quantum sibi eam partem scribens permiserit Ovidius, quantum sibi licere sit arbitratus.

Legentium commodo consulens versibus, qui ipsi per se intelligi non facile possint, enarrationem quam brevissimam addam locorum e quibus sumpti sunt.

XIII, 450 (Polyxena laudatur tamquam):

Fortis et infelix et plus quam femina virgo.

Quid sibi velit poeta utcunque intelligimus: „virgo illa fortiorem quam pro femina se praestitit.'' Sed mire loquitur.

466 sq. (Eadem Polyxena sacrificii ministros orat):

Ite procul, si iusta peto, tactuque viriles
Virgineo removete manus.

Proeliantur hic inter se vocabula, non ordine disponuntur. Dicendum fere erat: „viriles manus corpore virgineo removete'' vel „nolite virilibus manibus virgineum corpus tangere''. Nam quis unquam verba quae sunt *tactus virgineus* sic adhibita vidit ut iis *τὸ virginem tangere* significaretur?

552 (Hecuba insidias struit Polymestori),

Colloquiumque petit: nam se monstrare relictum
Velle latens illi, quod nato redderet, aurum.

Subobscurum et vix ferendae duritiae est istud *relictum latens aurum.*

600 sqq. (Aurora a Iove petit ut Memnonem mortuum insigni aliquo afficiat honore et sic suum dolorem leniat):

Iuppiter adnuerat. Cum Memnonis arduus alto
Corruit igne rogus nigrique volumina fumi
Infecere diem, veluti cum flumina natas
Exhalant nebulas, nec sol admittitur infra.

Comparatio ista plane supervacua est: narraturus enim est poeta quomodo favilla, quae de Memnonis rogo surgit, in avem sit conversa. Certe parum est diserta neque ullum huic loco affert decus: omnis enim fumus hoc habet ut similis sit cuivis nebulae. Et omni caret sensu vox q. e. *natas.* Totum istud *veluti . . . infra* scin quo modo natum sit? Eodem modo quo tam multi versus apud Horatium: versum inchoaverat poeta, supplendus ille erat, supplementum denuo novum versum peperit (Vide: de Horatio Poeta p. 33 sqq.).

720 (Aeneas eiusque comites):

Proxima Phaeacum felicibus obsita pomis

Rura petunt. Epiros ab his regnataque vati
Buthrotos Phrygio simulataque Troia tenetur.

Epiros ab his tenetur: quis non putet verborum illorum hunc sensum esse: „a Phaeacibus tenetur, i. e. habitatur Epirus." Quod tamen poetam noluisse res ipsa clamat: plane enim istud a veritate abhorret, neque, si poeta tam impudenter mentiri voluisset ut Phaeacas incolas diceret Epiri, quidquam profecisset: nihil enim aliud hic spectabat quam ut sibi transitum pararet ad sequentia. Ergo dubium non est quin isto *Epiros ab his tenetur* hoc significetur: „post hos (Phaeacas) naves Aeneae appelluntur ad Epirum." Quid aliud est suo ipsum sermoni vim facere nisi hoc est?

750 De Acide formosissimo adolescentulo, cuius amore quondam arserit, sic incipit narrare Galatea:

Acis erat, Fauno nymphaque Symaethide cretus,
Magna quidem patrisque sui matrisque voluptas,
Nostra tamen maior. Nam me sibi iunxerat uni.

Hactenus omnia optime procedunt, et sunt luce clariora. Sed videamus quid addat nympha ad amatorem suum laudandum:

Pulcher et octonis iterum natalibus actis
Signarat teneras molli lanugine malas.

Parum abfuit quin horum versuum alterum delendum esse declararem, sed repressi me, intelligens illo expuncto priorem pendere et tantum non sensu carere. Restat ergo ut ipse Acis suas malas lanugine signasse dicatur, quod tum demum sermonis Latini naturae convenienter dictum erit, si rem quam maxime fingemus ridiculam: barbulam falsam agglutinasse malis suis puerum.

797 Multis aliis versibus Galateae formam laudans inducitur Cyclops et hisce:

Lucidior glacie, matura dulcior uva,
Mollior et cygni plumis et lacte coacto.

Hinc de eiusdem Galateae crudelitate queri sic incipit:

Saevior indomitis eadem Galatea iuvencis,

sed questibus suis praemittit etiam aliquid quod inter laudem et vituperationem quodammodo medium teneat:

Et, si non fugias, riguo formosior horto,

quod ineptissimum esse nemo negabit. Nisi enim nostro arbitrio

vocabula Latina trahere atque torquere volumus, hoc dicit Cyclops: „etiam cum horto florente te comparare vellem, sed non possum, quia ille suo loco remanet, tu curris." Quod tam absurdum ut mirum non sit Hugoni Magno natam suspicionem hunc versum includendum esse. Verum, si licet a Magno in quaestione aliqua Ovidiana dissentire, sic molestia non tollitur sed alio transfertur. Sumendum enim erit fuisse aliquem, quisquis fuerit ille, qui talem versum scribere posset idque eo sensu, quem quam maxime ridiculum esse modo vidimus, quique sine ulla probabili causa eum versum hic inseruerit. Contra si Ovidio ipsi hunc versum relinquimus, hoc voluisse Cyclopem clamantem inducere Ovidius erit censendus: „vellem pluribus te laudare teque cum horto fertili comparare, sed eheu! fugis neque me audis" et in ea re enuntianda admodum fuisse infelix, quod, si porro ultimam Metamorphoseon partem accuratius examinaverimus, minime nobis iam videbitur incredibile. Accedit quod ille a laude ad vituperationem transitus, permanente eadem vocabulorum dispositione, ita ut semper nova sententia ab aliquo comparativo incipiat (candidior, floridior, splendidior, levior, nobilior, lucidior, mollior ... saevior, durior e. q. s.) nescio quid ab Ovidii arte alienum habet. Verisimilius videtur Ovidium inter versus

Mollior et cygni plumis et lacte coacto

et:

Saevior indomitis eadem Galatea iuvencis

interiecisse unum cuius primum esset vocabulum coniunctio aliqua (*at* vel *et*), quod fit, si nihil delemus.

834—7 Cyclopis dona promittentis Galateae verba sunt:

Inveni geminos, qui tecum ludere possint,
Inter se similes, vix ut dignoscere possis
Villosae catulos in summis montibus ursae,
Inveni et dixi: „dominae servabimus ista."

Inveni — inveni, quorsum ista anaphora? Nihil in his versibus inest quod illa apte illustretur.

898 Illa omnia de insano Cyclopis amore, quem ineptissimum in modum ille ostenderat, deque Acide rivali feliciore ab illo crudeliter necato, Galatea narravit Scyllae, quae procos fugiens ab illa fuerat hospitio recepta. Tum sic poeta pergit:

Desierat Galatea loqui, coetuque soluto
Discedunt placidisque natant Nereides undis.
Scylla redit.

Si tantummodo sermonis Latini rationem habeas, verba „Scylla redit" significare dicas: *„ad Galateam* redit Scylla, quae aut apud illam habitabat sed aliquantisper afuerat aut paulo ante semel saepiusve ad eam venerat." Conferatur, ut ex ingenti exemplorum copia unum afferam, quod verbi illius usum praeclare illustret, II, 697 sq.:

Simulat Iove natus abire,
Mox redit.

Sed sic totam perturbes narrationem. Nam ex illa lucide apparet hoc voluisse poetam: „Scylla relictis nymphis, ad quas perfugerat, domum suam repetit" sed sic illud enuntiat ut tantum non vitiosus nascatur sermo. Et praeterea ubi illa Scyllae domus fuerit narrare omisit.

924 sq. In piscem quomodo sit conversus narraturus sic incipit Glaucus:

Sunt viridi prato confinia litora, quorum
Altera pars undis, pars altera cingitur herbis.

Sic Kornius edidit. In codice M est:

Altera pars fundit, pars altera fungitur herbis.

Quin *fundit* recte sit correctum in *undis* dubitari nequit. Pro *fungitur* quidquid legeris, sive cum Kornio *cingitur*, sive cum Merkelio *funditur* (quod quam sit absurdum quivis sentit), habebis aliquid quod prave sit enuntiatum.

Sequitur:

Quas neque cornigerae morsu laesere iuvencae,
Nec placidae carpsistis oves.

Omnino saepe anastrophae figura abutitur Ovidius, sed nusquam ineptius quam hic, ne illo quidem loco quem merito damnant omnes, qui quid poetam deceat quid non paulo accuratius examinant I, 438:

Illa (Terra) quidem nollet, sed te quoque, maxime [Python,
Tum genuit.

957 sqq. Narrationem suam sic claudit Glaucus:

Hactenus haec memini, nec mens mea cetera sensit.
Quae postquam rediit, alium me corpore toto

Ac fueram nuper, neque eundem mente recepi.

Repetitio ista: *mens* ... *mente* aut mali est poetae aut nimium festinantis.

XIV, 8. Inde manu magna Tyrrhena per aequora vectus.

De duce aliquo hic agi putes, qui magna classe in terram hostilem expeditionem faciat. At sermo est ... de Glauco natante!

Versibus 15 et 21 duo leguntur ἅπαξ λεγόμενα in Metamorphosesin, eaque minime venusta: *cognitius* et *expugnacior.*

36 Auxilium petenti Glauco suum ipsa amorem fatetur Circe eumque his verbis obsecrat:

En ego, cum dea sim, nitidi cum filia solis,
Carmine cum tantum, tantum quoque gramine possim,
Ut tua sim voveo. Spernentem (sc. Scyllam) sperne,
Redde vices, *unoque duas ulciscere facto.* [sequenti

Ultimis vocabulis quid sibi velit poeta non facile dicas.

56 Prae Scylla spreta Circe poenas ab ea sumere statuit, et gurgitem, in quo se ardente sole reficere illa solebat

Inquinat, hic fusos latices radice nocenti
Spargit.

E verbis citatis equidem certe poetae mentem non extraho.

64 In illum ergo gurgitem, a Circe infectum herbis magicis, Scylla descendit, accrescere sibi sentit canum capita

Et corpus quaerens femorum crurumque pedumque.

Quis, obsecro, unquam sic est locutus?

127 Sibyllae Aeneas ab inferis rediens oratione ardentissima gratias agit, additque:

Pro quibus aërias meritis evectus ad auras
Templa tibi statuam.

Quanto sit istud contortius obscuriusque vel illo, quem in initio capitis citavimus, loco:

Quae gemitus truncaeque deo Neptunius heros
Causa rogat frontis

dicere vix opus.

158 Caietam venit Aeneas:

Hic quoque substiterat post taedia longa laborum
Neritius Macareus.

„Et ubi praeterea substiterat ille?" quivis roget. Frustra, nam poeta non *locos* aliquos inter se opponit sed Macareo Aeneam. Non ad adverbium q. e. *hic* sed ad nomen proprium *Macareus* coniunctio *quoque* pertinet.

166 Ibi Macareo obviam venit Achaemenides:

Iam suus et spinis conserto tegmine nullis.

Ergone plane laxa pendebat vestis eius? Hoc e verbis allatis efficias, sed poeta legentes docet nunc veste indutum fuisse Achaemenidem bene culti hominis, non horrida illa, quam antea spinis solebat conserere.

215 Legitur hic, vel potius quin legenda sit non dubium est, infinitivi forma barbara *moriri*:

mortemque timens cupidusque moriri.

In codice M cum sensus pernicie est *morique*. Sequendum hic esse Kornium *moriri* edentem mihi quidem pro certo constat.

219 In insula aliqua barbara relictus qui navem conspicit, ut ego opinor et ipsa fert rei natura, quoad longissime potest in litus procurrit et inde gestibus ut recipiatur orat. At apud poetam nostrum, satis absurde, inverso ista fiunt ordine:

Oravique fugam gestu ad litusque cucurri.

235 Ad Antiphatem Macareus narrat, ego missus sum:

numero comitante duorum.

Quis unquam sic locutus est pro *cum duobus comitibus*? Ille, opinor, qui unice fuit sollicitus ut quam primum expleret versum.

244 sq. Macareus de suis Ulyssisque erroribus et alia narrat et haec:

terris adlabimur illis,
Quas procul hinc cernis. Procul [hinc, mihi crede, videnda
Insula, visa mihi: tuque] o iustissime Troum
Nate dea (neque enim finito Marte vocandus
Hostis es Aenea) moneo, fuge litora Circes.

Vocabula *hinc* ... *tuque* inclusit Kornius. Sic haud dubie multo melior fit locus, sed corrigitur ipse Ovidius, non librarius sciolusve. Habet hoc festinatio ut saepe scribentem iusto faciat verbosiorem. Meminimus etiam egregium in hac urbe oratorem, qui in ore habere soleret: „prae temporis angustiis brevis esse non potui."

287 sqq. „Unus Eurylochus" sic porro narrat Macareus „pocula a Circe data non sumsit."

Quae nisi vitasset, pecoris pars una manerem
Nunc quoque saetigeri, nec tantae cladis ab illo
Certior ad Circen ultor venisset Ulixes.

Certior pro *certior factus* vix est sincerae Latinitatis. Properanti Ovidio metrum illud expressit.

360 Pici amore Circe capitur, at ille fugit. Iurat Circe mox illum suis artibus captum iri.

Dixit et effigiem, nullo cum corpore, falsi
Finxit apri, praeterque oculos transcurrere regis
Iussit et in densum trabibus nemus ire videri.

Falsus, haud dubie, aper est qui currere iubetur; sed non satis idonea haec causa est cur istud *videri* adiiciatur. Species, quamvis falsa, *revera* tamen eum qui decipitur praetervolat transcurritque. Multo ergo rectius multoque elegantius hic poeta simplici *eundi* esset usus verbo. Sed novimus quam commodae fuerint poetis scriptoribusque clausulae *esse videri, ire videri* simm. praesertim iis qui quam primum ad finem pervenire gestirent.

427 Maritum suum Picum, in avem conversum, usquequaque Canens uxor quaerit:

Ultimus aspexit Thybris luctuque viaque
Fessam et iam longa ponentem corpora ripa.

Versum explet vox q. e. *longa*, sententiam pessumdat.

428 sqq. Continuo sequitur:

Illic cum lacrimis ipso modulata dolore
Verba sono tenui maerens fundebat.

Ipsos Ovidii aequales se ex hoc vocabulorum labyrintho vix extricasse opinor.

579 Ex urbis Ardeae, ab hostibus incensae, favilla evolat avis, quae sic describitur:

Et sonus et macies et pallor et omnia, captam
Quae deceant urbem, nomen quoque mansit in illa
Urbis.

Omnia hic risum movent, qui minime „deceat" rem gravem tristemque, sed prae ceteris *macies* illa.

609 sq. Inde sub Ascanii dicione binominis Alba
Resque Latina fuit.

Verissimum illud est Ascanio alterum fuisse nomen Iulum. Sed quid attinebat huius rei hic mentionem iniicere? Versus sic expletur, sententia languidior fit quam oportebat.

Sed nusquam luculentius dat documentum poeta noster se cetera omnia parum curasse, dummodo quam primum novus esset effectus versus, quam vss. 613 sq.:

Post hunc Capetysque Capysque,
Sed Capys ante fuit.

Hercule sic versus Latinos sexcentos quotidie componere cuiusvis est [1]).

633 Pomona omnibus modis arbores suas curat colitque:

Nec sentire sitim patitur bibulaeque recurvas
Radicis fibras labentibus irrigat undis.

Deam pomorum illo irrigandi labore eodem functam modo suspicor quo hodiernos omnium gentium hortulanos, non fluvios rivosque ad arbores duxisse, qua tamen de re cogitare nos cogit participium *labentibus*, cum insigni sententiae detrimento insertum. Cff. praecedentia:

Qua (falce) modo luxuriem premit et spatiantia passim
Bracchia compescit, fisso modo cortice lignum
Inserit et sucos alieno praestat alumno,

quae omnia deae cum mortalibus sunt communia.

Continuo sequitur:

Hic amor, hoc studium: Veneris quoque nulla cupido est.
Vim tamen agrestum metuens pomaria claudit
Intus et accessus prohibet refugitque viriles.

Metrum fulciunt coniunctiones *quoque* et *tamen*, sed illa misere languet, haec sententiae decursum perturbat; nihil enim habet quo referatur. Transponere eas inter se, sineret modo versus, praestaret.

711 sqq. Iphis Anaxaretae amore captus precibus donisque eam adit:

---

1) Dixerit aliquis semper et ubique illud habere Ovidium ut ludat lasciviatque in argumento suo, et esse hoc illud quod in eo iam aequales observaverint et leniter riserint. Concedo: ne in ultima quidem Metamorphoseon parte quidquam fecit Ovidius quod naturae eius repugnaret. Sed quantum distat ineptum istud *post hunc* ... *ante fuit* a lepidissimo in Arte versu (II, 71):

Monte minor collis, campis erat altior aequis

quem exempli causa ex ingenti affero copia.

Saevior illa freto surgente cadentibus Haedis,
Durior et ferro quod Noricus excoquit ignis,
Et saxo, quod adhuc vivum radice tenetur,
Spernit.

Tres insumuntur versus ad rem decantatam poetis, puellae dilectae duritiem, describendam. Quanto praestitisset una hic uti imagine! Taedium movet legentibus ista verborum ubertas.

741 sq. Supplicibus precibus frustra absumtis ante crudelis virginis fores se suspendit Iphis. Qua re cognita

exclamant famuli frustraque levatum
(Nam pater occiderat) referunt ad limina matris.

Tota ista parenthesis putidae videri posset diligentiae, nisi ad versum explendum insertam constaret. Et quid, obsecro, sibi istud *frustra* vult? Alio quoque vitio laborat totus hic locus. Addendum aliquid erat ad demonstrandum qui fieri potuerit ut *inscia* Anaxarete tolleretur corpus auferreturque: illa enim, praetereunte aedes suas funere, quid gestum sit cognoscit:

753 Vixque bene impositum lecto prospexerat Iphim e. q. s.

Nisi tam multa ipsius poetae vitia his deprehenderentur libris, pro *frustra* legendum suspicarer *furtim*.

772 sqq.

Proximus Ausonias iniusti miles Amuli
Rexit opes. Numitorque senex amissa nepotum
Munere regna capit.

Ita hic disposita, vel potius permixta, sunt vocabula ut, nisi aliunde cognita esset fabula, ademptum potius Numitori quam redditum a nepotibus regnum suspicarere.

785 sq. Cum Tarpeia hostes intromitteret

Sola Venus portae cecidisse repagula sensit
Et clausura fuit, nisi quod rescindere nunquam
Dis licet acta deum.

Totum istud *nisi . . . deum* versum explet, nihil ultra. Et revera in proxime sequentibus illud ipsum dea faciens inducitur quod hic nefas esse dicitur.

799 sqq.

Quae (sc. arma) postquam Romulus ultro
Obtulit, et *strata est tellus Romana Sabinis*
Corporibus strata estque suis.

Nihil isto flosculo, qui duos implet versus, dicitur quam hoc: „postquam aliquamdiu pugnatum est."

824 sqq. Nusquam vidi imaginem invenustiorem hacce, qua corpus Romuli in deum conversi comparatur cum glande Balearica, quae in nubium regione liquescit:

Corpus mortale per auras
Dilapsum tenues; sic lata plumbea funda
Missa solet medio glans intabescere caelo.

Turpe nescioquid et vile habet *intabescendi* verbum, planeque est indignum quo significetur corpus aliquod naturam divinam induere.

830 sqq. In caelum sublatus ubi est Romulus, Iuno
Irin ad Hersiliam descendere limite curvo
Imperat et vacuae sua sic mandata referre:
„O et de Latia, o et de gente Sabina
Praecipuum, matrona, decus, dignissima tanti
Ante fuisse viri, coniunx nunc esse Quirini,
Siste tuos fletus."

Minime pulchrum illud est quod ipsam allocutionem, qua Iridi ad Hersiliam utendum est, ei subiicit Iuno. Quanto elegantius foret ipsique naturae conveniret magis, si dearum maxima famulae suae tantummodo imperaret quid esset nuntiandum, at haec deinde, muliere illa primaria conspecta, praemitteret verba admirationem suam testantia.

849 Ipsa quoque Hersilia dea facta in caelum evolat:
Hanc manibus notis Romanae conditor urbis
Excipit et priscum pariter cum corpore nomen
Mutat Horamque vocat.

Illud *notis* quid sibi velit intelligimus, sed sentimus simul quam sit languidum, miramurque cur poeta non hic quoque *cupidis* scripserit, ut XI, 63 cupidisque amplectitur ulnis. Cetera ita sunt composita ut vix aliud quidquam inde efficere possis quam hoc: *a Romulo* conversum esse Hersiliae corpus, quod neque voluit poeta et est absurdissimum.

XV, 7 Numa Pompilius regio nomine et munere non contentus

quae sit rerum natura requirit.

Huius amor curae, patria Curibusque relictis,
Fecit ut Herculei penetraret ad hospitis urbem.

Novi substantivum quod est *cura* saepe poni ad quemvis mentis laborem, e. c. docti hominis disquisitionem, artificis studium, alia ex hoc genere significanda, neque tamen unquam mihi eripietur ingratam esse locutionem *huius amor curae.* Et cetera huius sententiae temere deiecta videntur potius quam apte eleganterque disposita. Ipsa enim sermonis Latini indoles flagitare videtur ut ablativus absolutus *patria Curibusque relictis* ponatur inter coniunctionem *ut* et coniunctivum *penetraret.*

12 Neque est aptior dispositio in iis quae paulo post leguntur:

Dives ab Oceano, bobus Iove natus Hiberis
Litora felici tenuisse Lacinia cursu
Fertur.

Aut in hisce:

20 Myscelus, illius dis acceptissimus aevi.

Non enim poeta dicit, quod absurdissimum, Myscelum acceptissimum fuisse diis, qui tunc essent, sed omnium hominum, qui tunc essent, fuisse diis acceptissimum. Sed quis sic latine loquitur scribitve?

30 Ut dicat „dies praeterierat unus et nox una" poeta duobus utitur versibus:

Candidus Oceano nitidum caput abdiderat Sol
Et caput extulerat densissima sidereum Nox.

Satis, hercule, verbose. Plane abundat adiectivum q. e. *densus* et tantum non inepte in superlativo ponitur. In uno enim *sidereum,* quod idem est atque *densum sideribus* insunt omnia. Neque quidquam inest in illa *temporis* significatione, quod graves illas terminationes *sol, nox,* deinceps positas requirat.

34 Myscelus semel iterumque in somno ab Hercule iussus patriam relinquere

Pertimuit patriumque simul transferre parabat
In sedes penetrale novas.

Satis inusitate hic *simul* eo ponitur sensu quem *iam* habere solet.

56 Invenit Myscelus post aliquos errores fluvium Aesarem, ubi urbem condere iussus est:

Nec procul hinc tumulum, sub quo sacrata Crotonis

Ossa tegebat humus, iussaque ibi moenia terra
Condidit et nomen tumulati traxit in urbem.

Verbo *trahendi* vim facit poeta: *trahere* enim *nomen* recte dicitur homo vel locus, qui nomen *accipit.* Cf. IV, 291: „nomen quoque traxit ab illis''. Eodem modo aliquis „qui in novum est mutatus corpus'' dicitur: colorem, formam, squamas, plumas simm. *trahere.*

167 Docet Pythagoras:

Errat et illinc
Huc venit, hinc illuc et quoslibet occupat artus
Spiritus eque feris humana in corpora transit
Inque feras noster.

Vocabulum q. e. *noster* eo loco est positum ut tota horum versuum sententia admodum fiat obscura.

525 sq. Egeriae sic de exitu suo narrat Hippolytus:

Excutior curru, lorisque tenentibus artus
Viscera viva trahi nervosque in stirpe teneri,
Membra rapi partim, partimque reprensa relinqui,
Ossa gravem dare fracta sonum fessamque *videres*
Exhalari animam, nullasque in corpore partes
Noscere quas posses: unumque erat omnia vulnus.

Figura, quae „zeugma'' dicitur, novimus omnes quam sit frequens et quantum sibi in ea adhibenda largiantur poetae, sed nemo usquam illius causa tam vehementer contortum vidit loquendi usum quam hic, ubi primum, solita vocabulorum significatione, *viscera trahi*, *nervos teneri*, *membra rapi* *videre* iubemur, sed deinde etiam *sonum dari* et *animam exhalari*, postremo iterum quotidiana sua vi redit videndi verbum in his: „nullasque in corpore partes noscere quas posses''.

620 Cipus, cum frontem suam cornibus munitam vidisset, consulto haruspice se regem fore, si urbem intrarit, cognoscit; sponte ergo vir patriae amantissimus rem senatui aperit et ut in exsilium pellatur petit. At aliter visum patribus: extra urbem ei honoris causa agrum dant:

Cornuaque aeratis miram referentia formam
Postibus insculpunt, longum mansura per aevum.

Ipsum Cipi caput, opinor, *miram formam referebat,* de solis cornibus, iisque non veris sed simulatis, absurde illud dicitur.

652 Senatus Epidaurius dubitat tradatne petentibus Romanorum legatis Aesculapium an neget:

Dum dubitant, seram pepulere crepuscula lucem
Umbraque telluris tenebras induxerat orbi.

Omnia in altero versu mire et insolite sunt enuntiata, illud vero *telluris orbi* vix ferendum videtur.

653 sqq. Sic pergitur:

Cum deus in somnis opifer consistere visus
Ante tuum, Romane, torum, sed qualis in aede
Esse solet e. q. s.

Nusquam ineptiorem vidi τῆς ἀποστροφῆς abusum quam hic, ubi poeta vocativo *Romane* alloquitur nescioquem e legatis illum, cuius ne nomen quidem novimus. At multo tamen etiam durius hoc quod coniunctione *sed* usus poeta veram Aesculapii formam iam hic opponit serpenti, sub quo latere solet ille ... cum tamen *in sequentibus demum* de serpente illo cognoscunt aliquid legentes.

663 Dormienti ergo legato adstat Aesculapius eumque quid sit agendum edocet, quo facto

Extemplo cum voce deus, cum voce deoque
Somnus abit.

Pueriliter ludentis est sic vocibus inanibus versum explere.

699 Deus idem in Italiam vehendus navi imponitur,

modicisque per aequor
Ionium zephyris sexto Pallantidos ortu
Italiam tenuit.

Hic haud dubie a poeta, sermonis usum parum curante, omissum est participium *vectus* (modicis zephyris per aequor Ionium vectus) quod non minus durum est quam *certior* (XIV, 290) pro *certior factus* positum.

740 Insula Tiberis sic describitur:

Scinditur in geminas partes circumfluus amnis,
Insula nomen habet, laterumque a parte duorum
Porrigit aequales media tellure lacertos.

Quid sibi isto *laterum a parte duorum* vellet ipsum poetam ignorasse arbitror.

792 Instante Iulii Caesaris caede et alia fiunt portenta et

Tristia mille locis Stygius dedit omina [1]) bubo,
Mille locis lacrimavit ebur cantusque feruntur
Auditi sanctis et verba minantia lucis.

Ipse consilio suo obstitit poeta, cum versus explendi causa istud *feruntur* poneret, nam nunc videri certe legentibus potest de veritate portentorum illorum *dubitare ipse*. Quod, ut opinor, a proposito eius quam maxime est alienum.

817 sqq. Venerem, ob caedem Iulii Caesaris afflictam, sic consolatur Iupiter ut ei narret quae in Parcarum libris olim legerit ipse:

Hic sua complevit, pro quo, Cytherea, laboras,
Tempora, perfectis, quos terrae debuit, annis.
Ut deus accedat caelo templisque colatur,
Tu facies natusque suus: qui nominis heres
Impositum feret unus onus caesique parentis
Nos in bella suos fortissimus ultor habebit.

Ultima vix possunt intelligi, tanto sunt inter se spatio dirempta *ultor* et genitivus inde pendens *caesi parentis*.

823 Pharsalia sentiet illum (sc. Octavianum)
Emathiaque iterum madefient caede Philippi.

Mirum in modum hic Pharsalus et Philippi inter se confunduntur, et vocabula *Emathia caede* in nescioquos errores inducunt legentem.

829 De futuro Augusti imperio et alia declamat Iupiter et haec:

Quid tibi barbariam, *gentes ab utroque iacentes*
Oceano numerem?

Vocabula notata quo sensu dicta sint equidem non perspicio.

832 Idem ille Augustus, vaticinante Iove:

Pace data terris animum ad civilia vertet
Iura suum.

Quanto praestaret totum illud *suum* omittere quam hic ponere! Sed metro habilis illa vox est, cetera poeta non curat.

834 sqq. Sic pergitur:

Legesque feret iustissimus auctor
Exemploque suo mores reget *inque futuri*
Temporis aetatem venturorumque nepotum

---

1) Quod in editione Korniana hic *omnia* legitur errore opificis factum coniicio.

Prospiciens prolem sancta de coniuge natam
Ferre simul nomenque suum curasque [1]) iubebit.

Verbis notatis versus farciuntur, non ornantur neque ponderis quidquam nanciscuntur. Zeugma vero illud: *ferre nomen curasque* durius etiam est illo quod vss. 525 sqq. notavimus.

845 sq. Venus

Caesaris eripuit membris neque in aëra solvi
Passa recentem animam caelestibus intulit astris.

Ita disposita sunt vocabula ut mollissimi nascantur versus sed sententia impeditissima.

Metri causa poetas Latinos interdum aptam sententiae dispositionem neglexisse nusquam apparet clarius quam A.A. I, 399 sq.:

Tempora qui solis operosa colentibus arva,
Fallitur, et nautis adspicienda putat.

Minime tamen hoc exemplo infirmatur nostra nonnullorum in Metamorphosesin versuum reprehensio. Poetae elegiaco omnibus modis ludere conceditur, poetam *narrantem* simplicem *perspicuumque* esse iure nostro postulamus. Et sunt in libris XIV et XV (1730 versibus) non minus *decem* loci, ubi mirum in modum vocabula inter se confunduntur, suntque illi eiusmodi ut nihil eos deceat magis quam quotidiana loquendi scribendique ratio: XIV, 127, 158, 219, 428, 772; XV, 7, 12, 20, 820, 845. Contra toto Artis opere „hyperbatum" illud, quod citavimus, stat solum.

858 „Ne Iovi quidem cedit Augustus" poeta declamat „immo superat eum". Tum sic pergit:

Iuppiter arces
Temperat aetherias et mundi regna triformis
Terra sub Augusto.

Quid, obsecro, hic adiectivum q. e. *triformis* significat, quid omnino potest significare ut apte inter se opponantur *mundus triformis* et *terra*, quae ab Augusto regitur?

Habemus igitur in ultima parte Metamorphoseon, quae tota est 2300 fere versuum, non minus 64 vitia admodum gravia. Non tantus hic est numerus ut incredibilis videri, sed multo maior quam ut bono poetae ignosci possit.

---

1) In Korniana editione typothetae, ut opinor, errore hic *carasque* legitur.

CAPUT IV.

DE METAMORPHOSEON INVENTIONE ET DISPOSITIONE.

Severum profecto adversus Ovidium proximo capite egi censorem, nunc ad laudes eius redeo. In quibus multo versor lubentius, quasque in clara ponere luce multo est facilius. Quidquid autem in Metamorphosesin laudas, tota longi operis dispositio vel maximo est digna praeconio. Qua effectum est ut liber ille, omnes inde a mundo creato usque ad Augusti mortem corporum mutationes complexus, neque in immensum excresceret, et, cum tamen vel sic satis amplus evaserit, non solum sine taedio perlegi possit sed etiam tantum non ab initio usque ad finem dulcedine sua legentem detineat. Qua arte quibusque artificiis eo Ovidius pervenerit, licet antea iam dixerim, iterum, sed paulo accuratius, mox exponam. At nunc, ne adversarios mihi excitem, clamantes temere me Ovidium laudibus ornare, qui non antea sedulo investigarim quid apud auctores suos invenerit Ovidius, quid excogitarit ipse, illa autem res cum ad certum eventum neque perducta sit neque fortasse unquam perduci possit, indignum esse viro docto negotium pulchros e Metamorphosesin locos colligere atque disponere, tamquam si pro certo constaret ab ipso eos compositos Ovidio non (id quod de nonnullis pro certo sciamus) aliunde sumptos — primum de Ovidii in Metamorphosesin fontibus disputabo quaedam. Sic optime apparebit illud adversariorum argumentum adversus meam disputationem multo minus valere quam primo aspectu videatur. Nam primo aspectu illud esse gravissimum minime nego.

Fuit ergo versatissimus in *poesi tragica* Ovidius. Quam rem

olim uno alteroque afferendo loco iam indicavit Ribbeckius in pulcherrimo libro de Romana tragoedia, nuper vero Ehwaldus accuratissime doctissimeque illustravit egregio illo ad XIVam Heroida commentario [1]). Et quis omnino de hac re dubitare possit cum sibi quae de Ovidii Medea sunt tradita in mentem revocet? Quis non *spectare* sibi Procnen Philomelamque, quis non nuntium tragicum de morte Meleagri avunculorum *narrantem audire* videtur?

Utque erat impatiens irae, Sigeia torvo
Litora respexit classemque in litore vultu,
Intendensque manus e. q. s.

Talem, ut opinor, Aiacem spectantibus exhibuerat Pacuvius in *Armorum Iudicio.* Et quod de Ulysse sic narrat Ovidius:

Laertius heros
Astitit atque oculos paulum tellure moratos
Sustulit ad proceres exspectatoque resolvit
Ora sono

non Homerica illa

'στάσκεν ὑπαὶ δὲ 'ϝίδεσκε κατὰ χθονὸς ὄμματα πήξας

et: *ἀλλ' ὅτε δὴ ϝόπα τε μεγάλην ἐκ στήθεος ἵει*

vertere videtur, sed potius redire in memoriam fabulae sibi spectatae, cuius poeta Ulyssem suum ad versus illos Homericos accommodaverit.

Ad Medeam vero quod attinet, nonne haec (Heroid. XII, 181 sq.) legentes:

Dum ferrum flammaeque aderunt sucusque veneni,
Hostis Medeae nullus inultus erit

eandem illam agnoscimus quam apud Euripidem audivimus minantem:

οὐ γὰρ μὰ τὴν δέσποιναν ἣν ἐγὼ σέβω
μάλιστα πάντων καὶ ξυνεργὸν εἱλόμην,
'Εκάτην μυχοῖς ναίουσαν ἑστίας ἐμῆς,
χαίρων τις αὐτῶν τοὐμὸν ἀλγυνεῖ κέαρ.

Sed possunt ad hanc rem demonstrandam sexcenta e Metamorphosesin afferri exempla, quae quivis semel monitus statim

---

1) R. Ehwald. Exegetischer Kommentar zur XIV Heroide Ovids Gotha 1900 (in Programmate Gymnasii Ernestini).

deprehendat. Ergo ut appareat quam fuerint omnino Ovidii aequales, qui quidem in literis non essent hospites, in qualicunque legendo carmine ad cogitandum de aliqua tragoedia propensi, lubet hic e Propertio afferre exemplum, quod illam rem luculentius doceat quam ullus ipsius Ovidii locus, ideoque a proposito nostro minime sit alienum. Et nusquam illud in huiusce generis disputationibus allatum vidi. Propertius ergo postquam (III, 15) praeclaris versibus Antiopam miseratus est, quae, non agnoscentibus eam filiis, crudeliter a stabulo quo perfugerat repellatur, subito laetus exclamat (vs. 36 sq.):

Digne Iovis natos qui tueare senex
Tu reddis pueris matrem e. q. s.

Qui nunc Propertium legit non potest non admirabundus rogare unde tam subito senex ille pedes intulerit. At non miratos opinor Propertii Ovidiique aequales. Horum enim nemo fuit, qui senem illum non optime notum haberet. Sed noverant eum omnes ex aliqua tragoedia. Suus enim in tragoediis locus est senibus illis, qui, si non nutrix aliqua eo fungitur munere, sero, cum iam mater in eo est ut securi filium caedat, vel filius ut matrem ducat uxorem, prolato aliquo signo efficiunt ut parentes liberique inter se agnoscant.

Deinde immensam Ovidius aut perlegit aut certe inspexit epylliorum et αἰτίων Alexandrinorum copiam. Utrum autem diversa inter se fuerint ἐπύλλια et αἴτια an, id quod de Callimacho perhibet Diltheyus, αἴτια nomen fuerit magni libri multa complexi ἐπύλλια parum hic refert.

Praeterea Virgilium bene cognitum habebat, et omnino quotquot Romae florebant poetae eos omnes audiverat recitantes vel legerat. „Quotque aderant vates rebar adesse deos" ipse ait; bonos sui temporis poetas pie colebat, pulcherrimos eorum versus tenebat memoria, et inscius invitusque saepe eos imitabatur (cf. quae scripsi in libro de Horatio poeta p. 193 sq.).

Sed praesertim doctrinam, qua opus erat, sibi Ovidius collegit ex omni enchiridiorum genere. Syllogas geographicas, astronomicas, mythologicas ei scribenti semper prae manibus fuisse pro certo constat. Atque ex illis non solum argumenta suarum narrationum hausit, sed etiam, id quod hic illic etiam nostris cernere possumus oculis, narrationes, ut erant in en-

chiridio iunctae, ita in metamorphoses suas transtulit. Semper et ubique sic eum egisse neque constat neque credibile est.

Restat ergo ut quomodo fontibus illis usus sit Ovidius quaeramus. Est autem ea quaestio ex illarum numero quas obiter tractare non videatur nefas. Certe priusquam qua ratione auctores suos in suum usum converterit Ovidius diligenter accurateque investigemus, utile est „a priori ratiocinari", ut dialecticorum filii loquuntur. Quod qui in tempore facere neglexit interdum nimio colligendi studio et nimio disputandi acumine abreptus ad eam rem credendam adducitur, quam veram esse non posse multo ante pro certo scire potuerit. Dabo huius rei luculentum exemplum. Non ita multi anni sunt cum in patria nostra certatim viri docti nonnulli quid literae nostrae Senecae tragico deberent quaerebant. Tandem aliquando Vondelium mirum quantum a Seneca sumpsisse utroque poeta cum pulvisculo excusso pronuntiarunt omnes. Sed non fecerunt id quod ante omnia esset faciendum, ut ipsa utriusque poetae quae esset indoles statuerent. Quod si fecissent, nihil esse vidissent quod tantopere Senecam insigniret et a cetero poetarum populo seiungeret quam mirum illud sententiolarum brevium acutarum subobscurarum artificium, quibus et aliae multae res et hominum miseriae atque fatum acerbum ita depingerentur ut non possent legentes non vehementer eius oratione commoveri; simulque intellexissent hoc artificium imitari posse neminem qui non satis bene Latine sciret; Vondelium autem in sermone Latino adeo fuisse hospitem ut, quo quid praeclarius a Seneca dictum esset, eo absurdius illud interpretatione sua corrumperet atque pessumdaret, ergo quamvis multa Vondelio cum Seneca sint communia, quod ad eas res pertineat, quibus vera alicuius poetae contineatur natura, nullam inter hosce poetas intercedere rationem [1]).

In nostra ergo quaestione ante omnia quaerendum videtur quae indoles sit Ovidii: sic optime cognoscemus quo modo ab eo consultos esse auctores illos sit verisimile.

Ipsius Ovidii aetate nulla laus erat quam diligentius studiosiusque appetebant poetae quam *doctrinae*; docti videri volebant, doctos inter se appellitabant. Et quo sensu tunc illa vox acci-

1) Vide diarium vernaculum c. t. *Los en Vast* Nieuwe Serie, 1e Jaargang 1894.

piebatur, nemo, ut opinor, Ovidio dignior erat docti nomine; nemo enim plura legerat, nemo plura tenebat memoria. Sed simul nemo mortalis vixit unquam, qui ab eo viro, quem *nos* doctum dicimus, tam longo distaret spatio. Satis est de ea re illos consulere, quibus inter ipsos Romanos nemo fuit de omni literarum genere magis idoneus iudex, quorum alter Ovidii ipsius fuit magister, alter totum genus humanum literas docuisse iure dicitur, Senecam maiorem volo et Quintilianum.

Seneca ergo maior (Cont. X) „non ignoravit" ait „(Ovidius) vitia sua sed amavit".

Quintilianus X, 1, 88: „Ovidius nimis amator ingenii sui"
et — 98: „Ovidii Medea videtur mihi ostendere, quantum ille vir praestare potuerit, si ingenio suo imperare quam indulgere maluisset".

Lepidissime dicta haec sunt, verissima esse vel ille novit qui ipsius poetae quamvis parvam partem legit perpenditque. Quid autem doctrinae, quam nos eo nomine dignam censemus, contrarium magis, quam vitia illa, quae tam clementibus vocabulis a Seneca Quintilianoque significantur? Et putemus virum, qui illis vitiis laboravit, id facere potuisse quod nunc a viro docto iure postulamus, ut via et ratione ageret? Credamusne eum certa aliqua imitandi norma usum? Immo vero, prout ferebat ingenium, modo sic modo aliter eum egisse quam maxime est verisimile; ultro quidquam pro certo statuere non res solum difficillima est sed fere ἕν τι τῶν ἀδυνάτων. Quique accuratissimam hic investigandi rationem sunt secuti, magis mihi librorum (enchiridiorum praesertim), qui Ovidio prae manibus fuerunt, naturam dispositionemque eruisse, quam quo modo usus iis esset Ovidius invenisse videntur.

Sed quocunque modo se ea res habet, sunt quaedam fabularum inter se iungendarum artificia, quae quin ab ipso sint inventa Ovidio minime dubitandum videtur, quoniam nullus iis aut in epyllio, aut in tragoedia, aut in carmine docto, aut denique in enchiridio locus esse potuerit. Dabo hic, ut quid mihi velim appareat, exempla quaedam, quae mihi semper maxime insignia visa sunt. Alia addere cuiusvis est.

I 667 Mercurius Argum consopit longo sermone diuque fistula canendo, de qua rogatus quomodo sit inventa, fabulam

orditur de Syringe, sed iam somno oppressus iacet Argus. Non tamen hanc facultatem narrationis inserendae narrationi amittit poeta, sed ipse suis verbis, idque oratione indirecta (700—711), ea refert, quae iam non potest Argo narrare Mercurius. Lepidissimum profecto inventum, quodque venustissimis exornat versibus Ovidius, sed ubi, quaeso, recte adhiberi potuit illud nisi in ipso de omnibus in novas formas mutatis corporibus carmine?

Homines inter se metamorphoses narrantes inducit et alibi et VIII 547—875, ubi strenui illi venatores, Calydone domum redeuntes, otiosi apud Acheloum desident. Quis tragicus, quis *αἰτίων* epylliorumve poeta, quis enchiridiorum scriptor haec sic potuit iungere atque disponere?

VII, 350—400 Medeae fugam describens non solum omnes locos volanti subiacentes nominat, sed arripit hanc facultatem longae inserendae metamorphoseon seriei, quae quoque illorum evenerint.

Quid quod semel (IV, 43—52) *reticendo* haud paucas enumerat metamorphoses. Minyeides ibi „vario sermone" levare decernunt „manuum opus", sed quae narrandi factura est initium primum, quam ex multis illis, quas memoria tenet, potissimum eligat dubia, sororibus dat optionem ... et paucis verbis omnium argumentum proponit. Utilissimam profecto haec Minyeis operam praebet Metamorphoseon poetae, sed alii poetae scriptorive nihil, ut opinor, erat profutura.

Quid fecerit ut fabulas, quas diversis locis iacentes invenerat, inter se iungeret et alibi prodit et XI, 413. Ceyx oraculum consulturus Clarium navem conscendit:

Nam templa profanus
Invia cum Phlegyis faciebat Delphica Phorbas.

Utraque enim re opus est poetae, ét navigatione, in qua periturus sit Ceyx, ét oraculo ab eo consulto. Nam adduxit ad Ceycem Pelea, cui apud praestantissimum illum deversanti hospitem saeva miracula evenerunt, quae vehementer et alios commoverint et ipsum Ceycem. Nusquam Ovidius Ceycis mortem iunctam invenerat cum Pelei miraculis illis: ut iungere posset commentus est eius *ad oraculum* navigationem, quae ut quam maxime fieret verisimilis, a Phorbante praedone auxilium petiit.

Sed nihil iocosius, nihil quod magis ipsam Ovidii referat indolem, quam quod IX, 667 legitur. De Cauno et Byblide narravit Ovidius, pergere vult de Iphide narrando. Sed quo itinere Mileto in insulam Cretam proficiscatur? Transsilit intervallum sed saltu venustissimo. Postquam in fontem mutatam Byblidem cognovimus, sic subito in Cretam transferimur:

Fama novi centum Cretaeas forsitan urbes
Implesset monstri, si non miracula nuper
Iphide mutata Crete propiora tulisset [1]).

Neque tantummodo ad fabulas inter se iungendas lepidissimis poeta noster utitur artificiis; alia quoque non minus venusta in Metamorphosesin observamus, quae singulis fabulis apte disponendis inserviunt. Illa autem equidem ab ipso Ovidio esse inventa mihi habeo persuasum; quodsi quis demonstrare possit ea quoque ab eo e suis esse fontibus translata, haud magnopere ea observatione nostra mutetur opinio. Concedendum enim sit in deliciis ea habuisse Ovidium et aptissime elegantissimeque iis usum esse. De his autem artificiis aliisque quibusdam quae his sunt cognata iam in priore illa dixi disputatione. Cuius loci maiorem partem huc transferam quia ét quae sunt eiusdem argumenti sub unum dare volo conspectum ét sic mihi paro transitum ad peculiarem quandam de duobus locis disputatiunculam, qua apte totum hoc caput claudatur.

Longae saepiusque interruptae narrationes eiusmodi versu con-

---

1) Cognatum huic, sed aliquanto minus iocosum, est exemplum quod e VI, 411 sqq. petimus. Narratum est de Niobidarum interitu tristissimo, parentes quoque eorum quomodo vitae lucem reliquerint cognovimus. Audimus deinde rem cum illis ipsa natura sua artissime iunctam: Pelopem sororis suae tristia fata deflevisse. Sequitur ad hunc ut consolandi causa legatos mittant reges a civibus suis rogantur. Enumerantur civitates quae officio illo functae sunt. Sequitur:

Credere quis posset? solae cessastis Athenae:
Obstitit officio bellum, subvectaque ponto
Barbara Mopsopios terrebant agmina muros.
Threicius Tereus haec auxiliaribus armis
Fuderat et clarum vincendo nomen habebat:
Quem sibi Pandion opibusque virisque potentem
Et genus a magno ducentem forte Gradivo
Conubio Prognes iunxit.

En paratus est transitus ad narrationem de Philomela Procneque, quae cum Niobe se iunctas videntes habent quod admirentur!

cludit poeta ut totus earum nexus legenti continuo stet ante oculos. Duo dabo exempla.

Uxorem amittit Orpheus, receptam negligenda conditione a rege inferorum imposita iterum perdit; maestus redit in Thraciam, tristitiam consolatur canendo; ipsa eius carmina, quorum sat magna est copia, narrationi inseruntur; tandem a Thressis, quarum odium in se verterat, vates crudeliter occiditur, membra eius manibus direpta nefandis sparguntur (XI, 61):

Umbra subit terras et quae loca viderat ante
Cuncta recognoscit, quaerensque per arva piorum
Invenit Euridicen cupidisque amplectitur ulnis.
Hic modo coniunctis spatiantur passibus ambo,
Nunc praecedentem sequitur, nunc praevius anteit;
Eurydicenque suam iam tuto respicit Orpheus.

Vides quam egregie uno vocabulo *iam* longae fabulae exordium cum fine iungatur.

Neque minus est insigne alterum exemplum quod e libro III afferam. Misero sui amore tabescit Narcissus; quid semet spectando senserit dixeritque accurate explicatur, sed ad exitum iam properante narratione non negligit poeta legentes admonere haud immeritam fuisse Narcissi mortem: iterum enim in scenam producit Echo, qua despicienda durae et inhumanae indolis documentum adolescens dedit. Haec poetae verba sunt (vs. 499):

Ultima vox solitam fuit haec spectantis in undam:
„Heu frustra dilecte puer"!" totidemque remisit
Verba locus, dictoque „vale" „vale" inquit et Echo.

Quae autem artificia semel adamare poeta coepit iis saepissime utitur. Citabo versus quosdam inter se simillimos unde alterum genus cognosci possit.

VI, 267 sqq.

Fama mali populique dolor lacrimaeque suorum
Tam subitae matrem certam fecere ruinae
Mirantem potuisse, irascentemque quod ausi
Hoc essent superi, quod tantum iuris haberent.
Nam pater Amphion ferro per pectus adacto
Finierat moriens pariter cum luce dolorem.

VIII, 529 sqq.

Pulvere canitiem genitor vultusque seniles

Foedat humi fusus spatiosumque increpat aevum.
Nam de matre manus diri sibi conscia facti
Exegit poenas, acto per viscera ferro.

XI, 215 sqq.

Bis periura capit (Hercules) superatae moenia Troiae.
Nec pars militiae, Telamon, sine honore recessit,
Hesioneque data potitur, nam coniuge Peleus
Clarus erat diva e. q. s.

His locis permultisque aliis particula *nam* aptissime adhibetur ad narrationem de homine illis, de quibus antea narratum est, aliqua necessitudine iuncto, suo loco inserendam [1]).

Tertium nunc poetae artificium ita indicabo ut initium faciam a versu, qui vulgo male explicatur. In gravi illo proelio, quod propter Andromedam ortum est, Lampetides cantor a Pettalo vulneratur; V, 117:

Concidit et digitis morientibus ille retemptat
Fila lyrae: casuque fuit miserabile carmen.

Pro *fuit* Heinsius coniecit *canit*, quam coniecturam refutarunt omnes admonendo *κακόφωνον* esse istud *casu canit carmen*, sed multo graviore argumento, quod contra eam afferri poterat, nemo, quantum scio, unquam usus est. Coniectura enim Heinsiana tollitur et perit vera versus sententia, quae nunc latet tantummodo, nulloque negotio protrahi potest. Non hoc dicit Ovidius cadente Lampetide factum esse ut miserabile existeret carmen: absurdum enim hoc esset et rei naturae contrarium. Musicus, cum improvisa plaga percussus concidit, fieri potest ut lyra eius canat aliquid quod viri perturbationi subitoque terrori respondeat; *lamentabile* vel *miserabile* carmen nemo unquam cecinit nisi otiosus desidens vel adstans. Neglexerunt autem tam interpretes quam ipse Heinsius versum qui praecedit:

Pettalus irridens „Stygiis cane cetera" dixit.

Ergo antequam vulneraretur Lampetides canebat, accepto vulnere *retemptat fila lyrae* i. e. conatur carmen suum persequi, *casuque fuit miserabile carmen* i. e. forte autem res ita ferebat ut carmen

---

1) Quam languida sit et prorsus inutilis parenthesis illa (XIV, 741), de qua in praecedenti egimus capite, egregie hi loci docent, ubi particula *nam* tam apte est posita.

quod exorsus erat Lampetides miserabile esset: illud ergo ei pro singultu et lamentatione esse poterat. Igitur eo artificio, quod in Metamorphosesin tam saepe observatur, Ovidius utitur ut non omnia quae gesta sunt sicut gesta sunt ordine velut enumeret, sed interdum narrationis cursum interrumpat ad aliquam rem, quam cum maxime scire legentes oportet, ita addendam quasi eam in praecedentibus narrare neglexerit. Possis ergo verba citata sic in vulgarem transferre sermonem: „Carmen autem, quod exorsum esse Lampetidem modo dicebam, forte miserabile erat". Sed meam loci interpretationem exemplis confirmare conabor.

I, 587 sqq.

Viderat a patrio redeuntem Iuppiter illam
Flumine et „o virgo Iove digna tuoque beatum
Nescio quem factura toro, pete" dixerat „umbras
Altorum nemorum", et nemorum monstraverat umbras.

596 „Ne fuge me", fugiebat enim.

Verborum enim quae sunt *et nemorum m. u.* et *fugiebat enim* hic sensus est: „paene oblitus eram narrare eo loco silvam fuisse" et „p. o. e. n. Io fugisse".

III, 232. Longa serie poeta Actaeonis canes, qui dominum persequuntur, nominavit; addit haec:

Prima Melanchaetes in tergo vulnera fecit,
Proxima Theridamas, Oresitrophus haesit in armo.
Tardius exierant, sed per compendia montis
Anticipata via est.

i. e. tres illos canes antea non nominavi quia nondum aderant: causa cur tamen primi dominum aggrederentur haec erat quod e. q. s.

V, 278 sqq. De insidiis sibi a Pyramo structis ita narrant Pierides:

Templa petebamus Parnasia: vidit euntes
Nostraque fallaci veneratus numina vultu
„Mnemonides" (*cognorat enim*) „consistite" dixit
„Nec dubitate, precor, tecto grave sidus et imbrem"
(*Imber erat*) „vitare meo".

VI, 358 sq. Agrestes Lycios et aliis verbis obsecrat Latona ut sui misereatur et hisce:

„Hi quoque vos moveant, qui nostro bracchia tendunt
Parva sinu" (*et casu tendebant bracchia nati*).

VII, 217 sqq. A diis deabusque suis Medea venena magica petit: preces autem suas his versibus concludit:

Et dabitis! neque enim micuerunt sidera frustra,
Nec frustra volucrum tractus cervice draconum
Currus adest.

Addit poeta: *aderat demissus ab aethere currus.*

Denique proponam locum qui primo illi tam similis est quam ovum est ovo:

VII, 83 (Medea) ut vidit iuvenem, specie praesentis inarsit.
Et casu solito formosior Aesone natus
Illa luce *fuit* [1]).

Saepius novam fabulam ita exorditur poeta ut dicat illius hominis, de quo modo narraverit, tristem quidem sortem fuisse, illam autem solatio quodam levatam esse, nunc vero rem se narraturum multo praecedenti tristiorem. Solemnis est in his particula *tamen.*

IX, 98 sqq. De Acheloo, qui in certamine cum Hercule de Deianira suscepto alterum cornu amisit, finita est narratio. Sic poeta pergit:

Hunc *tamen* ablati domuit iactura decoris,
Cetera sospes habet; capitis quoque fronde saligna
Aut super imposita celatur arundine damnum.
At te, Nesse ferox, eiusdem virginis ardor
Perdiderat.

IX, 326. Socrum Alcmenen ministrae tristi morte afflictam sic consolatur Iole:

Te *tamen*, o genetrix, alienae a sanguine nostro
Rapta movet facies. Quid si tibi mira sororis
Fata meae referam?

---

1) Cum magno cognosco gaudio tandem aliquando meam versus V, 117 interpretationem admitti in commentarios. Ehwaldus enim in praestantissima librorum I—VII editione, quae proximo anno in lucem prodiit, illam in annotatione sua posuit, idque ipsis illis adstructam Metamorphoseon locis, quos ego hic primos attuli: I, 587 sqq. II, 232 sqq.

XIII, 55. Obiecit Ulyssi triste Philoctetae exilium Aiax; deinde addit:

Ille *tamen* vivit quia non comitavit Ulyssem.
Mallet et infelix Palamedes esse relictus [1].

Et multa alia eiusdemmodi.

Sufficiunt, ut opinor, haec ad demonstrandum qualem se disponendi artificem Ovidius in maiore Metamorphoseon parte praestiterit. Et possum hic finem imponere capiti, quod huic argumento destinavi. Sed paulisper ad unum eius locum redeo, qui ansam mihi praebet observationum duarum neque, ut opinor, ineptarum et cum totius capitis consilio quam maxime cohaerentium.

Observatione ergo nostra de Ovidio non omnia quae gesta sunt sicut gesta sunt ordine velut enumerante, sed interdum narrationis cursum interrumpente ad aliquam rem, quam cum maxime scire legentes oporteat, inserendam, hac aio observatione usi iam sumus ad versus cuiusdam (V, 117) pravam emendationem refellendam et verum sensum in clara ponendum luce. Nunc ea quae dicta sunt de poeta nostro praeclaro artificio in fine longae narrationis eiusmodi ponente versum, quo quodammodo constringatur vinclum, quo tota continetur, et narrationis clausula cum ipso introitu quam artissime coniungatur, sic in usum nostrum convertam ut duobus inde Metamorphoseon locis lucem petam. Alterius quae sit unice vera lectio, alter quo sensu sit accipiendus mihi demonstrare posse videor.

XI, 747. Non est ullus toto Metamorphoseon opere locus qui praestet narrationi de Ceyce et Alcyone. Omnia praeclara hic sunt; pectore disertum faciente poetam legentis animus sic commovetur quasi hominum sibi dilectissimorum sortem sibi narrari audiat. Et revera ut Ceyx et Alcyone cordi nobis sint poeta efficit. Et quanta cura omnia hic elaborarit Ovidius quovis apparet versu. Ceyx ergo probissimus ille vir et Alcyones suae amantissimus navi iter facturus est. Audimus querentem lamentantemque uxorem, vale dicentem ei maritum, videmus

1) Quam negligenter atque ingrate coniunctio *tamen* posita sit XIV, 635, quem locum in praecedenti notavimus capite, quam maxime nunc apparet.

denique hunc se ex illius solventem amplexu, navem conscendentem, a terra solventem, invitum in altum provectum, ad uxorem respicientem, signa dantem illi accipientemque, denique Alcyonen comitamur domum redeuntem, et hic quoque eius audimus querimonias. Hisce omnibus non minus 64 versus impenduntur.

Navigat Ceyx, at mox vehemens oritur procella, quae quo modo navem oppugnet arripiat frangat demergat versibus praestantissimis 81 depingitur. Nec minus egregii sunt versus 12 quibus Ceycis mors narratur, quem locum aptissime elegantissimeque claudit poeta legentibus in animum revocando Luciferi filium esse Ceycem docendoque cur ille nato suo opem non tulerit:

Lucifer obscurus nec quem cognoscere posses
Illa nocte fuit: quoniamque excedere caelo
Non licuit, densis texit sua nubibus ora.

Interea domi desidet Alcyone, maritum expectans et pro eius salute redituque deorum sed Iunonis praecipue aras colens. Non ultra dea irritas illas preces audire potest, Irim ad Somnum mittit mandaturam illi ut Alcyonen de dilectissimi mariti morte edoceat. Legimus praeclaram illam de Somni aedibus narrationem, adsumus Alcyonae cum mariti umbra colloquenti, tristissimo eam perturbatam somnio videmus. Haec omnia, quibus ego quod praestet novi nihil, 137 implent versus.

Aedibus egreditur Alcyone, in litore stat prospicitque — hic ipsum mariti corpus fluctibus ad pedes eius defertur, quem ubi agnovit et iis versibus deflevit, quos sexcenties legere possis et tamen semper non minore tangi misericordiae sensu quam cum primum eos cognoscebas, in aves mutantur ambo:

coeunt fiuntque parentes,
Perque dies placidos hiberno tempore septem
Incubat Alcyone pendentibus aequore nidis.
Tunc iacet unda maris: ventos custodit et arcet
Aeolus egressu praestatque nepotibus aequor.

Hisce versibus praeclara finitur narratio. *Tunc iacet unda maris.* Sic est in codice optimo Marciano. Non dico vitiosum illud esse: sincerae Latinitatis est et nullo negotio intelligitur. Sed languidi aliquid inest, quod ego in clausula tam praeclari loci vix fero. Quid enim? Iacet unda maris. Opusne hoc est disertis

verbis dici cum iam dictum est de *placidis* agi diebus? *Iacet unda maris* et *ventos arcet Aeolus egressu*. Nonne bis idem poeta hic dicit? Ambabus ergo equidem manibus arripio „deteriorum" duorum codicum lectionem:

Tunc via tuta maris.

Hic equidem ipsum Ovidium agnosco in fine longae et ἐπεισοδίων plenae narrationis legentibus in animum revocantis unde omnia ista initium sumserint: a tristi illa Ceycis navigatione. Tam praeclara autem mihi lectio illa videtur ut credere non possim illam coniectura viri docti, quamvis acutus et doctus ille fuerit, restitutam. Hic „deteriore" codice *servatam* Ovidii manum mihi pro certo constat [1]).

Locus ille, qui quo modo esset accipiendus me ad dispositionis Ovidianae lucem demonstraturum pollicitus sum, legitur in libro XIII. Lubenter in eo loco immoror quia iucundissimum mihi tempus et dulcissimos amicos in mentem revocat.

Postquam in armorum iudicio ab utroque litigantium oratio est habita

382 Mota manus procerum est et quid facundia posset
Re patuit: fortisque viri tulit arma disertus.

Haec ego quo modo iam puer mihi sim interpretatus mox dicam, sed per multos annos eodem interpretabar modo; fieri posse ut existeret aliquis qui alium iis inesse sensum putaret hoc mihi ne in mentem quidem veniebat unquam. Tandem aliquando in gymnasio Leidensi mihi hic locus cum discipulis erat tractandus. Ecce puerorum unus — minime stultus ille erat — versionem mihi recitabat, quae mihi falsissima absurdissimaque videbatur. Facile autem errantem mihi in viam ducturus videbar, sed neque ille neque commilitones eius manum dare volebant: in eadem sententia perstabant omnes, unus et alter ad commentarium sibi inspectum provocabat. Inspiciebam ergo libros, adultiores doctioresque consulebam — omnes cum puero meo facere videbam, me cum inveterata mea opinione stare

---

1) Et quo magis appareat quam sit revera Ovidianum illo „tum via *tuta* maris" respicere illud Ceycis iter quod tot tantisque fuerit obnoxium periculis, cogita de illo X, 66):

Eurydicenque suam iam *tuto* respicit Orpheus.

solum. Diu audita lectaque mecum pervolvebam, sed quo magis considerabam omnia eo certior mihi stabat sententia ceteros omnes errare me verum vidisse. Ineptissimae, sat scio, me *αὐθαδείας* accusabit quicunque hoc me profitentem audierit: ergo rem ipsam cognoscat.

Mota manus procerum est. Annotat Gierigius: „*manus,* consilium, collegium" atque sic puer meus verterat, vertebantque omnes quos identidem rogabam, non cives solum academici sed etiam viri docti. In recentioribus editionibus (atque omnium instar hic est praestantissima illa Ehwaldi, quae a. 1898 apud Weidmannos, Germanicis annotationibus instructa, prodiit in lucem) nihil video annotatum, e qua re efficio nihil viris doctis in antiqua Gierigii interpretatione mutandum videri. Sed quis unquam (atque hoc gravissimum mihi ad vulgatam versionem refellendam videtur argumentum, hoc, licet cetera omnia quae dicturus sum minus probentur legentibus, nemo mihi eripiet unquam, nemo unquam poterit convellere) grave atque augustum procerum consilium *manum* appellari audivit? Nonne multo hic praestitisset *moti sunt proceres* scribere? Scio vocabula unum spondeum implentia in initio hexametrorum rara esse apud cultiores poetas, non desunt tamen in Metamorphosesin, hic vero eiusmodi versus gravitatem quandam haberet a verborum sententia minime abhorrentem. Neque metuo ne quis mihi hic opponat quod in Dialogo de Oratoribus c. 37 legitur: *ceteram procerum manum,* nam qui ibi loquitur (secundum ceteros Maternus, secundum Iohnium Secundus) significare vult *magnum* esse eorum procerum *numerum*; de libris potius quam de hominibus cogitat, poteratque et *procerum multitudinem* vel etiam *procerum turbam* dicere. Aliud est in universum de procerum genere loqui, aliud legentibus ante oculos proponere certum quendam iamque antea commemoratum regum consessum eumque amplissimum et summopere venerandum [1]).

---

1) *Respici* a Dialogi scriptore vidii Overba dixeris? Haud obloquor. Sed quam saepe qui verba notissima affert ea per risum iocumque in suum convertit usum atque eo sensu adhibet de quo auctor ne cogitavit quidem. Nonne saepe nos aliquem „laudatorem *temporis acti*" appellamus aut nescii aut non curantes vocabula notata omni carere sensu nisi illud *se puero* accedat

Deinde iure nostro nobis improbare modo videbamur versuum XI, 745 sqq. lectionem:

> *Perque dies placidos* hiberno tempore septem
> Incubat Alcyone pendentibus aequore nidis.
> *Tunc iacet unda maris*,

quoniam languidissimum in modum bis idem ibi diceretur, nihilque in isto *tunc iacet unda maris* inesset quod non verbis q. s. *dies placidos* esset significatum. Verum, obsecro, num minus languet *mota manus procerum est* (i. e. Ulysses iudicibus persuasit, facundia sua eos ad suas pertraxit partes) *et quid facundia posset re patuit*? Nonne hic quoque ineptissimum in modum bis idem dicitur? *Re patuit*: quae est res illa, quis actus, quo patuit illud? Nonne in tam vivida narratione *actum* illum tantum non oculis nostris cernere debemus? At quid nunc cernimus? Vultusne laudantium, probantium, admirantium? Nimis exile istud nimisque vitae expers. Denique, ut tandem longae disputationi imponamus finem, sic tota res se habet. Audivimus Aiacem Ulyssemque orationem habentes: uterque raptim verbis suis magnam Troiani belli percucurrit partem. At non in ipso Troiano bello nunc poetae carmen versatur, alius est locus, tempus aliud, alia res agitur. Quae illa sint verbis quam disertissimis sumus monendi, nam periculum est ne mentes nostrae a poetae aberrent consilio. Firma ergo manu ille nunc totius narrationis attrahit vinculum, quique sic exorsus erat: *Consedere duces,* quod pingentis potius videtur quam narrantis, alia tabula non minus egregia praeclarum locum claudit: *mota manus procerum est* i. e. „reges, iudices, manus moverunt vel πρὸς τὴν χειροτονίαν vel ut tabellas sumerent et in urnam coniicerent". Hoc Ovidio dignum, hoc ipso flagitatur argumento. Et ne quis putet plurali hic numero opus esse, quantum in hoc genere poetis sit concessum vel ex hoc versu potest cognoscere (VI, 363):

> Nec satis est, ipsos etiam *pedibusque manuque*
> Turbavere lacus.

Iam insertum erat Mnemosynae hoc caput, cum ad me afferebatur praestantissimus liber c. t. „Les Metamorphoses d'Ovide et leurs modèles Grecs" scriptus a Georgio Lafaye, qui simili de Catullo scribendo libro meritam iam apud doctos viros lau-

dem erat assecutus. Illum ego diligenter perlegi et nihil in illa admiranda doctrinae copia inveni quod sententiis a me propositis esset adversarium. Nam quod dicit incredibile sibi videri Ovidium in conquirenda materia etiam infra Nicandrum descendisse, quoniam indignum sit poeta enchiridiis uti, ego secus censeo. Nonne enim opus est quam maxime poeticum ex arida grammatici alicuius narratione fabulam facere eleganter exornatam? Omnino ét ex Lafayii libro ét ex aliis qui eodem spectant *pro certo* unam tantummodo rem efficere possumus: literarum Graecarum fuisse Oceanum quendam, e quo poetae Latini iam in ludo literario haurire coeperint, minime ergo mirum esse si apud omnes poetas Latinos sed praesertim apud Ovidium, qui capacissima fuerit memoria (Laf. p. 238), tam multa inveniantur quae etiam scripta fuisse apud Graecum aliquem sciamus. Sed semper boni poetae mentem habuerunt repletam gaza aliqua poetica, neque quidquam facilius est quam eorum artificia (minuta praesertim) ex aliquo fonte repetere. Ad vitia autem, quibus ultima Metamorphoseon pars laborat (de quibus iam egi capitibus primo tertioque et etiam capite quinto acturus sum) quod attinet, inde ea repetit Lafaye quod Ovidius, simulatque carmine suo in Italiam advenerit, uberrima illa caruerit materia, quam Graecorum ingenium fabularum feracissimum ei ante praebuisset: vitia a me notata eius esse generis ut sic neque explicentur neque excusentur quivis capita huc pertinentia legens facile perspiciet.

CAPUT V.

DE ULTIMAE METAMORPHOSEON PARTIS ENUNTIATIONE.

Talibus ergo aliisque disponendi, iungendi, colligendi artificiis utenti Ovidio optime procedunt omnia, placide decurrit narratio, limpidi rivuli instar leniter declivi alveo fluentis. Sed cum ad eum locum perventum est (XIII, 399), inde a quo tam multas notavimus locutiones ingratas, structuras impeditas, imagines invenustas, alia elocutionis vitia, etiam dispositio multo minus elegans fit. Aestuat poeta, haeret interdum, quomodo viam sibi struat vix invenit. Cum adversa quadam luctari videtur fortuna, nam postquam de Hecubae eiusque liberorum miserrimo fato narratum est (ergo inde a XIII, 575), non solum in reliquis annectendis admodum est infelix sed etiam vix unum profert versum, qui legentes gravius commovere atque aliquo admirationis sensu implere possit. Vix unum aio, nam qui in hac parte solus legitur par pulcherrimis illis quos prior pars tam multos praebet, XV, 233

Flet quoque, ut in speculo rugas adspexit aniles,
Tyndaris et secum cur sit bis rapta requirit,

is est e longiore illo de Pythagora loco (XV, 60—478), quem iam multo ante a poeta seorsum compositum, deinde huic Metamorphoseon libro insertum mihi quidem admodum est verisimile, colore enim orationis totus a sua abhorret vicinia. Sed iam quod de dispositione diximus exemplis illustremus et argumentis ubi opus est defendamus.

XIV 155 sqq. Aeneas Caietam venit, ibi obviam ei venit Macareus, ex Ulyssis comitibus unus, qui inter eos, quos Aeneae navis vehit, agnoscit Achaemenidem, et ipsum Ulyssis

comitem, quem a proficiscente Ulysse casu aliquo apud Polyphemum relictum Aeneas praeternavigans supplicibus eius motus precibus in suam receperat navem. Hi inter se rogant quis eos casus eo ubi nunc sunt adduxerit, et Achaemenides quid sibi fuerit animi, postquam abiisse socios, se in dira illa insula destitutum senserit, in quanto metu ibi diu vixerit, quo modo tandem sibi sit ab Aenea allata salus exponit; Macareus se longarum viarum taedio et descensus ad inferos metu remansisse apud Circen docet, sed antea de magicis Circes artibus, quibus in sues converterit Ulyssis comites narrat, seque refert, iam restitutum in integrum, illo anno, quo cum Ulysse ceterisque commilitonibus apud Circen sit deversatus, ab ancilla quadam eius et alias audiisse fabulas et illam de Pico, Circe, Canente, quae nunc versibus 320—435 legentibus offertur. Hercule non sponte se haec metamorphoseon series iuncturaque obtulit poetae; magno difficilique labore eam est commentus. Sudantem eum cognoscimus et, ad incitas redactum, omnem speciem veri negligentem. Caietam enim Aeneae navis, qua Achaemenides vehebatur, appulerat, ibi huic obviam venit Macareus, qui apud Circen substiterat. Non idem est, ut opinor, Caieta et Circei, quamquam non ita longo spatio inter se hi loci distant.

XIV, 623 sqq. Rege Proca vivebat Pomona, pulcherrima virgo, cuius amore captus Vertumnus et aliis utitur dolis et sumpta anus figura eam sollicitare studet et monendo et narrando de Iphide et Anaxarete. Sequitur narratio illa (698—765) quae nos, nil tale suspicantes, subito ex Italia Cyprum transfert! At nihilo magis misero amatori narratio anusque figura prodest quam antea variae profuerant quas induerat formae. Etenim, quemadmodum vss. 643—652 cognoscimus

habitu messoris aristas
Corbe tulit verique fuit messoris imago.
Tempora saepe gerens faeno religata recenti
Desectum poterat gramen versasse videri;
Saepe manu stimulos rigida portabat, ut illum
Iurares fessos modo disiunxisse iuvencos;
Falce data frondator erat vitisque putator;
Induerat scalas, lecturum poma putares;
Miles erat gladio, piscator arundine sumpta.

Quid ergo nunc misellus ille agit postquam fallacias admonitiones narratiunculas irritas esse vidit? Vim parat: hoc intelligimus, hoc desperantis est. Sed vi opus non est, ipsa enim Pomona sponte amare eum incipit. Gratulamur iuveni, qui hunc constantis amoris et strenuae industriae fructum ferat. At non fides laborque haec ei tulerunt praemia sed .... quid putas? Ipsa iuvenis vera forma, quam missis iam dolis omnibus resumserat ille. Talis enim

apparuit illi,
Qualis ubi oppositas nitidissima solis imago
Evicit nubes nullaque obstante reluxit.

Haud mirum ergo est quod nunc

vi non est opus inque figura
Capta dei nympha est et mutua vulnera sensit.

Verum, obsecro, si vera Vertumni facies eiusmodi est ut nulla ei puella, ne durissima quidem, possit resistere, cur omnino falsas formas induit ille? Si usquam, hic se prodit poeta: nodum, quem imprudens nexerat ipse, solvere apteque expedire non curat sed obtuso dissecat gladio.

Sed praesertim inde ab initio libri XV defunctorie noster agit et ad finem properat. Vixdum Romulum Hersiliamque in caelum eduxit et intelligit nihil se egisse nisi ad Augustum rem perduxerit. Praeterea videt utique aliquot esse inserendas fabulas ad ipsum Italiae solum pertinentes, sed iam taedet eum laboris neque plus uno libro adiicere ei lubet. Ergo in unum reliqua omnia constipentur librum, idque in eum librum cuius dimidium fere sit impleturus locus de Pythagora, quo vix quidquam promovetur negotium, quemque iam multo antea a poeta perfectum haud temere coniicimus. Operae pretium est videre qua vi et qua festinatione omnia perrumpantur obstacula ut tandem aliquando ad finem perveniatur, si non via et ratione, per salebras et saltibus miris.

1—59 Numa rex creatur. Is Crotonem se confert ut Pythagorae audiat doctrinam et praecepta. Sed in illam urbem ubi advenit prius quae sit illius origo quaerit: hac facultate poeta utitur ad inserendam narrationem de Myscelo et Hercule, quam, licet diutius nos detineat et a Pythagora seiungat, utcunque tamen aequo ferimus animo.

60—478 Pythagorae philosophia exponitur, descriptione quae, per se spectata, magna laude est digna sed iusto maius, hic certe, occupat spatium. Nam totum Numae regnum et mors eius septem versiculis (479—485) absolvitur.

486—90 Deflent Numam cives, deflet Egeria uxor, quae Ariciam redit seque ibi luctui tristitiaeque gravissimae dedit. Versibus utitur hisce poeta:

> Exstinctum Latiaeque nurus populusque patresque
> Deflevere Numam. Nam coniunx urbe relicta
> Vallis Aricinae densis latet abdita silvis.

Vide quam omnia simul poetam nostrum deficiant. Satis inepte hic coniunctio *nam* posita est: omnes homines Numam deflent, uxor vero eius in ea re modum excedit. Ipsum illud *vero,* quod in mea periphrasi legitur, hic erat ponendum et positum esset a poeta si paulo minus negligenter in hoc loco esset versatus. Ubi nunc illud *nam,* quod quantum saepe in prioribus libris (figura quae *praeteritio* dicitur) toti viciniae praeberet decus supra (p. 44 sq.) vidimus?

490—546 Flentem afflictamque Egeriam solari conantur vicinae nymphae; eodem consilio ad eam venit „Theseïus heros". Virbius is est, cui Hyppolyto antea nomen fuit. Hippolyti tristem sortem ex Euripidea fabula norunt omnes. Recentior de eo narratio hic additur: in vitam eum reduxit Aesculapius, in Italiam transtulit Diana, quae prius, ne ab aliis cognosci posset, pro iuvenili virilem ei dederat vultum. Hic ergo Virbius erigere iacentem moestamque tentat, quo modo putas? Nempe narrando quae sibi dira miraque evenerint. At quid, obsecro, Egeriae tristitia commune habet cum Hippolyti casibus variis? Illa optimum maritum amisit, in hunc Neptunus, detestanti filio Theseo, Hippolyti patri, morem gerens, monstrum marinum immisit, quo territi equi eius corpus domini, e curru excussum sed loris impeditum per saxa trahunt virgultaque, ita ut dirissimum in modum dilanietur. Apud inferos demum dii, quos pie coluit, opem ei ferunt: vitam corpusque integrum reddit Aesculapius, tutam sedem in Italia dat Diana. Quid ex tota narratione discere potest Egeria? Nihil, opinor, nisi hoc: diis faventibus in melius saepe converti res tristissimas. Aptiora huius rei adsunt exempla, Virbio nostro opus non est. Et quam

suarum rerum conversionem Egeria, a Virbio monita, exspectabit? Nempe Numam quoque in vitam reductum iri. Nihil eiusmodi, quod tamen aliquo modo ad Egeriam pertinere censendum esset, bonus Virbius dicit, monet tantummodo ne in lamentando modum excedat, alios fuisse homines illa miseriores, in quorum numero praecipuum ipse teneat locum:

> Num potes aut audes cladi componere nostrae,
> Nympha, tuam? (vs. 530 sq.)

Quaeso, num verum illud est? Nonne quivis ea conditione dilaniari et ad inferos detrudi velit, ut inde reductus et integrum nactus corpus in amoenissimo loco heros fiat quem diligant et venerentur incolae? Dixeris Virbium Egeriae ea tantummodo ante oculos ponere quae dura sit perpessus, laetiora non consolandi gratia addere sed ut rem ad finem perducat. Iterum quaero: quid dira mors Hippolyti commune habet cum Egeriae luctu, qua ratione inter se comparari possunt pia uxor quae maritum amisit et pius filius qui, patre detestante, avi iussu dirissimum invenit vitae finem? Nihil responderi potest nisi hoc: tristiora hunc expertum quam illam, et hoc esse illud quod illam solari possit debeatque. Parum, hercle, idonea haec causa est cur Hippolytus huc adducatur: poterat Egeriae quivis popularium de Oedipode, Oresta, Antigone aliis narrare, qui vel Hippolyto miseriores fuerunt. Denique ineptum in modum „capillis huc attractus est", ut nos loquimur, Hippolytus a poeta quaecunque etiam in scriniis haberet aliquam continentia metamorphosin per fas et nefas uni huic libro inferciente. Ipse hic quoque se prodit: Hippolytum enim narrationis suae sic initium facientem inducit:

> similes aliorum respice casus (vs. 494)

quo quid falsius absurdiusque cogitari potest? Non componentis disponentisque illud est sed ingratam sarcinam quocunque tandem loco deiicientis.

547—551 Nihil proficit sua narratione Virbius (minime mirandum illud!); in lacrimas liquescit Egeria et miserante Diana in fontem convertitur.

552—621 Rem novam admiratur vicinus Virbius. Sic et alii alio tempore stupuerunt homines. Libenter credimus! Tria rei, de qua nemo dubitabit, afferuntur exempla:

A. Miratus est Etruscus ille qui subito Tagen ex agro surgentem conspexit.

B. Miratus est Romulus cum hastam suam in arborem conversam cognovit.

C. Miratus est Cipus cum sua adspexit cornua.

Quid aliud est τὰ ἀσύγκλωστα συγκλώθειν nisi hoc est? Sed quid curat hoc poeta? Nihil omnino curat ille, dummodo Cipi historiae (565—621) aliquam, quamvis ineptam, inveniat sedem.

Eheu, Musa via, dic, qua procedere possum?
Ecce vadum limusque tenax nunc denique navem
Excipiunt nostram; iunci cannaeque palustres
Obsistunt prorae; remis non pellitur unda:
Pingue lutum feriunt. Quanto velocior illa
Quae quondam fatis Epidauria litora liquit,
Perque undas volitans ventis felicibus acta
Attulit huc divum, morbos cui pellere cura,
Romulidisque dedit votis precibusque colendum.

Quam rideremus poetam, si sic perrexisset atque sic sibi transitum parasset ad narrationem de Aesculapio oraculi iussu Epidauro in Insulam translato. Sed esset tamen in risu illo laudis aliquantulum. Qualecunque enim illud esset, invenisset aliquid. At nunc palam profitetur se, quocunque se vertat, nullum videre exitum. Prorsus ad incitas se redactum clamat hisce versibus:

Pandite nunc, Musae, praesentia numina vatum,
(Scitis enim, nec vos fallit spatiosa vetustas)
Unde Coroniden circumflua Thybridis alti
Insula Romuleae sacris acciverit urbis.

Praesenti, profecto, numine hic opus poetae frustra caeno evellere plantam conanti. Hoc vero auxilio a Cipo ad Aesculapium transilit, et versibus 746—850 quam ob causam in urbem accitus ille deus sit et qua ratione eo pervenerit narrat. Quo loco perfecto Caesarem Aesculapio annectit, quo vinculo putas? Audi ipsum:

Hic tamen accessit delubris advena nostris,
Caesar in urbe sua deus est. (vs. 745 sq.).

Si usquam, hic apparet quantopere sub finem carminis sui

fiat dissimilis noster. In praecedentibus enim (p. 47 sq.) vidimus quam lepide coniunctione *tamen* saepe usus esset ut *tristi* narrationi *tristiorem* adiungeret:

Ille *tamen* (Philoctetes) vivit quia non comitavit Ulyssem;
Mallet et infelix Palamedes esse relictus.

Quantam vim quantamque venustatem hic illa coniunctio habeat dicere non opus; at friget languetque in ista Caesaris cum Aesculapio comparatione.

Sic subito a pristina urbis historia ad praesentem aetatem non magno, hercle, pervenit labore. Habet quod sibi gratuletur: quantulum enim est quod restet?

746—850 De Caesare in coelum recipiendo deliberant dei, tandem vincit Venus atque

Caesaris eripuit membris neque in aera solvi
Passa recentem animam caelestibus intulit astris.

Prae nimia festinatione ne hunc quidem locum, quem ceteris omnibus praestare oportebat, venuste exornare studuit poeta, sed tanti momenti rem describens oratione inculta horridaque fuit contentus.

A Caesare ad Augustum multo facilius quam ab Aesculapio ad Caesarem transitur, atque hoc quidem negotio satis feliciter poetam functum esse non infitior, licet hic quoque (850—860) quaedam legantur minime probanda, utpote quae versum suum expleant magis quam ornent. Haec enim ibi leguntur: Caesar, in stellam conversus res humanas, quibus iam praeest Augustus, contemplatur, illiusque res gestas suis longe longeque praestare libenter agnoscit. Atque agnoscunt illud omnes mortales, excepto Augusto ipso, qui, qua est adversus patrem pietate, credi illud vetat. „O dii immortales, quotquot unquam urbi imperioque nostro favistis, talem nobis ducem incolumem servate; quem si tamen aliquando hinc abire crudelia fata iubent, hunc quoque in numerum vestrum recipite, ut sit quem praecipuis colamus precibus!" Denique notissimis illis versibus: „iamque opus exegi e. q. s." carmen clauditur, quibus non tam gloriatur poeta quam gaudio exultat quod tandem aliquando nimis gravem sarcinam abiicere humeris sibi liceat.

Ergo et dispositione et elocutione et — quod gravissimum —

ipsorum versuum structura poetam deprehendimus sub finem longi operis festinantem ideoque et alia multa peccantem et iis ipsis artificiis, quibus multo maiorem partem feliciter lepideque exornaverit, tam inepte utentem ut dedecori fiant toti carmini. Quod ubi semel nobis constat atque accurate est perspectum, parati sumus ad dirimendam quaestionem permagni momenti et saepe iam agitatam. Quid ipse de suis Metamorphosesin iudicaverit Ovidius novimus, suum ipse iudicium in fronte libri poni iubet, cuius totum fere argumentum in his inest versibus:

Quidquid in his igitur vitii rude carmen habebit,
Emendaturus, si licuisset, eram.

Quaeritur nunc quid illud sit quod Ovidius fuerit emendaturus. Respondemus: id quod omnino emendare potuit. Putemusne Ovidium, si in urbe manere ei licuisset atque illa secunda frui fortuna, quae iam propria ei videri poterat, magnopere totam operis fuisse mutaturum dispositionem? Num credibile illud de eo homine, qui „non ignoravit vitia sua sed amavit", qui „maluit ingenio suo indulgere quam imperare"? Immo vero ne cadere quidem videtur in naturam hominis. Faciat mihi periculum quicunque unquam composuerit aliquid literarum. Si semel res suam sibi formam nacta est, aliam induere iam non potest. Exemplo utar toti philologorum genti notissimo. Latine de quovis argumento, sive ad antiquas literas pertinet illud sive ad quotidiana praesentis aetatis negotia, non maiore negotio quam vernacule scribimus omnes, et sunt haud paucae res de quibus latine quam vernacule scribere malimus. Sed quantopere sudamus, quam arduo ingratoque labore nos fungi sentimus, si quid, quod semel vernacule scripsimus, aliquam ob causam *latine vertendum* nobis est. Verum faciamus poetam illum, qui quamvis eum amemus, quamvis saepe admiremur, tamen semper, etiam cum tristissimae ab eo res tractantur, ludere et iocari nobis videatur, revera adeo omnibus mortalibus industria et assiduitate praestitisse ut perficere et ad exitum perducere potuerit rem, qua neque ante neque post eum quisquam unquam feliciter sit perfunctus, quid obstabat cur vel exsul opus illud aggrederetur? Tristitiae levandae nullum, ut opinor, aptius erat. Omnino magnopere suae ei Metamorphoses placebant,

illis immortalitatem quandam se nactum haud iniuria opinabatur et verecunde quidem sed aperte tamen est professus:

carmina maior imago
Sunt mea, quae mando qualiacunque legas,
Carmina mutatas hominum dicentia formas.

Cur non emendavit — si potuit — monumentum aere perennius, quod insignem ei perpetuo in dilectissima urbe daturum erat locum? Ipse quidem causam affert hanc:

Vel quod eram Musas, ut crimina nostra, perosus

nam quae causa fuit cur in ignem libros illos coniiceret eadem ab emendando eum potuit deterrere. Sed mendax praetextum illud est, non causa vel argumentum. In exsilium cur revera missus sit Ovidius intelligere mihi videor, ipse quoties culpae partem in carmina sua confert, solam Artem accusat, de Metamorphosesin accusandis non cogitat: in illis quidquam esse quod regnantium in ipsum converterit iram, hoc ne in mentem quidem ei venit. Immo gaudet superesse eas, non eo periisse fato quod ipse iis destinaverat. „Nunc precor" ait

Nunc precor, ut vivant et non ignava legentum
Otia delectent admoneantque mei.

Quanto ergo efficacius sui admonuisset amicos ceterosque cives, si emendatas Metamorphoses in Urbem misisset, Metamorphoses, aio, *usque ad finem* lepide dispositas et venustis inter se iunctas vinculis! Si ita eas emendare felix florensque potuit Ovidius, et miser exsulque potuit. Sed neque ille potuit, neque eiusmodi aliquid quisquam potest mortalium:

Quid ergo illud

Emendaturus, si licuisset, eram

nos docet? Si quid video, confitentem hic reum habemus. Sentit Ovidius et sibi conscius est sub finem Metamorphoseon iusto magis se properasse, sarcinae abiiciendae cupidine ductum in unum constipasse librum ea, quae, si eadem qua praecedentia cura elaborata essent, sex septemve implessent libros, denique non id se perfecisse quod ab initio sibi proposuerit: ut magnum illud opus tamquam culmen et fastigium haberet imperii Romani et principis Augusti magnificum et tanta re tantoque viro dignum praeconium. Atque accidit ei quod evenire fere levioribus solet hominibus, ut totius negotii eum taedeat. Pudet eum

librorum suorum, sed ut eos denuo in manus sumat, ut limam iis adhibeat, ut vitia tollat, id vero a se impetrare non potest: Hoc est cur ne id quidem fecerit quod nunc de populo philologorum quivis facere possit: ut quos versus ultimi libri „sine causa ponderosos" haberent leviores gracilioresque redderet, ut pro contortis sententiis expeditas poneret, ut elocutionis corrigeret ineptias. Nam *singulis versibus* emendandis imparem fuisse Ovidium quis credat? Immo vero in prioribus libris unum alterumque ita traditum videmus ut perquam sit verisimile exemplaria illa „de funere domini rapta sui" nonnullos versus ita traditos habuisse ut emendationes vel emendandi certe conamina in margine vel inter lineas essent adscripta. Sed de his suo loco videbimus. Nunc manum de tabula!

CAPUT VI.

DE OVIDIO RHETORE. OVIDIUS CUR IN EXSILIUM MISSUS SIT QUAERITUR.

Ovidium autem sive laudamus sive vituperamus — et modo huius modo illius rei nobis praebet facultatem — unum est in quo semper sibi constet: in omnibus eius carminibus, quamvis diversae sint naturae, Arellii Fusci et Porcii Latronis agnoscimus discipulum. Rideat hic legentium aliquis et „o bone" dicat „num quisquam hoc etiam tibi disertis verbis monendus videtur? — Quid te docente hic opus, ubi tanto gravior nobis adest auctor Seneca pater?" Addat alius: „inepte profecto de Ovidio narras ea, quae in omnes convenire, qui latine scripserunt, non poetas solum sed etiam historicos, audum constet inter omnes, qui in hac studiorum nostrorum parte non plane sint hospites. Quid nobis tamquam peculiare Ovidii affers vitium, quo et Tibullus Propertiusque, Livius Tacitusque laborarint?" Veritatis multum in hac inesse reprehensione sentio atque concedo; quemcunque legimus scriptorem poetamve Latinum, cum rhetorum discipulo rem nobis esse tantum non semper est tenendum. Tota Romanorum poesis iisdem fere legibus paret, quae ab oratoribus observantur. Et tamen idem illud quod de omnibus poetis latinis constat, in Ovidio magis quam in ullo alio apparere meo iure mihi contendere posse videor. Si quisquam, Ovidius inter poetas rhetor est. Quod quoniam brevi disputatione in clara poni luce potest et, cum semel bene est intellectum, rem hactenus, licet multi multa de ea scripserint, obscurissimam, egregie illustrare mihi quidem posse videtur, pauca quaedam

huc pertinentia, quae neque suo semper pretio aestimari mihi videantur, et prae ceteris omnibus poetae nostrae quae fuerit indoles doceant, hocce proponam capite. Deinde in meum usum ea convertere conabor.

Atque primum hic repetam quaedam quae de Ovidio declamante tradit Seneca.

p. 154 (editionis Bipontinae): „Latronis admirator erat (Ovidius), cum diversum sequeretur dicendi genus. Habebat enim ille constans et decens et amabile ingenium. Oratio eius iam tum nihil aliud poterat videri quam solutum carmen. Adeo autem studiose Latronem audivit, ut multas eius sententias in versus suos transtulerit. In armorum iudicio dixerat Latro: „Mittamus arma in hostes, et petamus''. Naso dixit:

Arma viri fortis medios mittantur in hostes:
Inde iubete peti''.

p. 155. „Memini Latronem in praefatione quadam dicere: „non vides, uti immota fax torpeat et exagitata reddat ignes?'' ... Naso dixit:

Vidi ego iactatas mota face crescere flammas,
Et rursus, nullo concutiente, mori.''

p. 156 sq. „Declamabat autem Naso raro controversias, sed non nisi ethicas: libentius dicebat suasorias. Molesta ei erat omnis argumentatio: verbis minime licenter usus est, nisi in carminibus, in quibus *non ignoravit vitia sua sed amavit.* Manifestum potest esse, quod rogatus aliquando ab amicis suis, ut tolleret tres versus, invicem petiit, ut ipse tres exciperet, in quos nihil illis liceret. Aequa lex visa est. Scripserunt illi quos tolli vellent secreto, hic quos tutos esse vellet. In utrisque codicillis iidem versus erant: ex quibus primum fuisse narrabat Albinovanus Pedo, qui inter arbitros fuit:

Semibovemque virum, semivirumque bovem.

Secundum:

Et gelidum Boream, egelidumque Noton.

Ex quo apparet, summi ingenii viro iudicium non defuisse ad compescendam licentiam carminum suorum, sed animum''.

p. 308 sq. „Ovidius nescit, quod bene cessit, relinquere. Non multa referam ... uno contentus ero. Cum Polyxena esset abducta, ut ad tumulum Achillis immolaretur, Hecuba dixit:

cinis ipse sepulti
In genus hoc pugnat.

Poterat hoc contentus esse; adiecit:

tumulo quoque sensimus hostem.

Nec hoc contentus adiecit:

Aeacidae fecunda fui."

Quantivis pretii haec et verissima esse quis infitietur? Nonne suasoriae sunt illa colloquia, quae secum habent Medea, Scylla, Byblis, Myrrha deliberantes utrum amori suo resistant an prae illo cuncta alia nihili faciant? Unde melius accuratiusque quae fuerit controversiae in schola rhetoris habitae natura cognoscere possumus quam ex Armorum Iudicio? Paene perfectum se ibi causarum patronum praestat Ulysses. Quam apto exordio sibi iudicum atque coronae conciliat animos!

Si mea cum vestris valuissent vota Pelasgi,
Non foret ambiguus tanti certaminis heres,
Tuque tuis armis, nos te poteremur, Achille e. q. s.

Quam eleganter, quam mira varietate sua facta enumerat! Quam callide suam cum iudicum causa communicat vss. 270 sqq. (dixit Aiax se contra hostes atque deos ipsos arma tulisse):

Confiteorque tulit: neque enim benefacta maligne
Detrectare meum est. Sed ne communia solus
Occupet atque aliquem vobis quoque reddat honorem.

Sed callidius etiam suae invidiae partem in iudices reiicit vss. 308 sq.:

An falso Palameden crimine turpe est
Accusasse mihi, vobis damnasse decorum?

Et 313 sq.:

Nec Poeantiadem quod habet Vulcania Lemnos,
Esse reus merui: factum defendite vestrum,
Consensistis enim.

Quam praeclara denique totam orationem claudit peroratione 373 sqq.:

Iam labor in fine est; obstantia fata removi
Altaque posse capi faciendo Pergama, cepi.
Per spes nunc socias casuraque moenia Troum
Perque deos oro, quos hosti nuper ademi e. q. s.

Sic olim causas oraverat Cicero, sic declamaverat Ovidius et

aequales audiverat declamantes. Quod autem dicit Seneca: „Ovidius nescit quod bene cedit relinquere" hoc quoque verissimum est et egregiis ab eo illustratur exemplis, quibus innumera alia ex eodem genere nullo addere possis negotio. Sed quamvis in elocutionis ornamentis adhibendis saepe nimius sit Ovidius et modum excedat, magis tamen in alia artis oratoriae parte lascivientem eum deprehendimus. In topica arte se regnare iusto magis sibi semper et ubique conscius est poeta noster, igitur ea saepe ad legentium satietatem et, fere dixerim, taedium abutitur. Iuvat rem insigni exemplo illustrare: Propertii et Ovidii locos eiusdem argumenti inter se opponam. Primum hic versus Propertii do, sicut mihi legendi videntur. Sunt ex elegia libri I octava; certior factus est poeta Cynthiam consilium cepisse cum novo amatore longe remotas petendi regiones, exclamat ergo vss. 9—16:

O utinam hibernae duplicentur tempora brumae,
  Et sit iners tardis navita Vergiliis,
Nec tibi Tyrrhena solvatur funis *ab ora*
  Neve inimica meas elevet aura preces;
Aut ego *tum* videam *faciles* subsidere ventos,
  Cum tibi provectas auferet unda rates,
Et me defixum vacua *patiantur* in ora
  Crudelem infesta saepe vocare manu.

[Vs. 11 *ab ora* e coniectura Burmanni senioris dedi pro *arena*; vs. 13 cum „deterioribus" cdd. lego *aut* pro *atque*, cum Baehrensio *tum* pro *non* et *faciles* i. e. mihi amicos recepi ab Heinsio, quamquam alio modo versum hic sanare studet, denique vs. 15 ipse conieci *patiantur* sc. venti. Sic lenissimis correctionibus in integrum locus restitutus videtur; vehementioribus aliorum medelis, velut Scaligeri versus inter se transponentis, non utendum censeo.]

Profectionem ergo cari hominis, quem amans aliquis quatenus licet voce, gestu, oculis prosequitur, in *duas* partes dividit Propertius, legentibusque ante oculos ponit proficiscentem 1⁰ cum navis etiam in portu moratur 2⁰ cum iam aliquantulum est provecta [1]). Sufficere haec praeclaris suis versibus docet Pro-

---

1) Brevitatis studiosum et de re magis quam de arte sollicitum se et alibi praebet

pertius, qui nunc legentem vehementer commovent: quidquid addideris vim eorum fregeris. Non ita visum Ovidio, qui cum idem argumentum tractat, vel quinque se habere loculos unde sumat intempestive meminit .... atque ex omnibus sumit aliquid. XI, 460 sqq.:

(*a*) Vale dixit (Alcyone) (*b*) sustulit illa
Umentes oculos, stantemque in puppe recurva
Concussaque manu dantem sibi signa maritum
Prima videt, redditque notas. (*c*) Ubi terra recessit
Longius atque oculi nequeunt cognoscere vultus,
Dum licet, insequitur fugientem lumine pinum.
(*d*) Haec quoque ut haud poterat, spatio submota, videri,
Vela tamen spectat summo fluitantia malo.
(*e*) Ut nec vela videt e. q. s.

Poeta autem qui in carminibus suis ea sequitur praecepta quae a rhetore accepit et in declamando observavit, si bis saepiusve idem tractat argumentum, eodem fere modo tractat et totidem fere locis utitur. Quid narrationi de Ceyce proficiscente et Alcyone prospectante similius quam Laodamiae querela in memoriam sibi revocantis tristissimum illud tempus quo a marito sit relicta? (Her. XIII, 14 sqq.):

(*a*) Vix illud potui dicere triste „vale"
(*b*) Incubuit boreas abreptaque vela tetendit
Iamque meus longe Protesilaus erat.
(*c*) Dum potui spectare virum, spectare iuvabat,
Sumque tuos oculos usque secuta meis.
(*d*) Ut te non poteram, poteram tua vela videre,
Vela diu vultus detinuere meos.
(*e*) At postquam nec te nec vela fugacia vidi e. q. s.

Propertius in subsimili argumento. Cynthiae crudelitate ad desperationem adactus poeta „magnum iter" suscipere decernit: mari in Graeciam est profecturus, atque et haec et alia, dum se fortem simulat, flebili voce profert (III, 21, 11 sqq.):

Nunc agite, o socii, propellite in aequora navem,
Remorumque *pari* ducite sorte vices,
Iungiteque extremo felicia lintea malo:
Iam liquidum nautis aura secundat iter.

(Vs. 12 pro *pares* conieci *pari*, ut *remorum vices* esset idem quod *remos alternantes*, et *pari vice* i. q. aequabiliter) Hic quoque Propertius duo tantummodo profectionis cogitat tempora et, ut nos loquimur, momenta: illud quo navis remis e portu in altum propellitur, et illud quo iam velis adacta mare findit apertum.

Et certe plus decem annorum spatium post scriptam Laodamiae epistolam praeterierat, cum de Ceyce et Alcyone narrare Ovidius decrevit!

τὰ αὐτὰ λέγει περὶ τῶν αὐτῶν, neque quidquam refert utrum de rebus agat, quae ipsius animum vehementer commoverint, an in scenam producat Graecorum heroas et heroinas. Sic „cum subit illius tristissima noctis imago", quam ultimam degit in urbe carissima, et multa alia mente recolit et morandi causas, quas usque quaesierit inveneritque. Quarum vel gravissima ea est, quam hisce proponit versibus (Trist. I, 3, 61 sq.):

Denique „quid propero? Scythia est, quo mittimur" inquam:
„Roma relinquenda est: utraque iusta mora est".

Haec certe ex ipso poetae fluxisse pectore dixeris, neque hercle ego contenderim hic poetam non penitus sensisse ea quae chartae mandabat. Et tamen *locus* hic quoque est, hic quoque rhetorum discipulus se prodit, ne hic quidem topices spernit adminiculum. Conferas modo quae eadem illa Protesilea (*declamat* volui dicere) exclamat vs. 97 sq.:

De nave novissimus exi;
Non est, quo properas, terra paterna tibi!

Atque ex ipsis Tristibus vss. I, 2, 81 sq.:

Quod faciles opto ventos — quis credere possit? —
Sarmatis est tellus, quam mea vela petunt.

Et tamen, si usquam, in Tristibus Ovidius verus sincerusque est poeta, i. e. is qui quae ipse sentiat senseritque versibus exornet veritatis plenissimis.

Quod autem in initio huiusce capitis dicebam rem quae hactenus in densis lateat tenebris egregie nostra de Ovidio rhetore illustrari observatione, modo bene sit perspecta et suo aestimata pretio, huiuscemodi est. Habemus poetam qui aequalium quotquot audiverit et probaverit versus — et sunt hi innumeri — fideli teneat memoria, poetam in scholis rhetorum tam exercitatum ut *τὰ αὐτά* dicat *περὶ τῶν αὐτῶν*, sive ad ipsius vitam sive ad ficta heroum heroinarumque pertineant fata, poetam denique, cui ipsum illud versus facere usu adeo in naturam verterit, ut

cum semel canendi ceperit impetum tacere non possit priusquam omnis canendi materies, quam argumentum praebet, exhausta sit, qui hexametros et disticha fundat, non tam quia ipse sic velit quam quia versus a quibus initium fecerit suam sibi pariant progeniem — num ullum mortalium genus fingi cogitarique possit quod sit innocuum magis? Quis tali viro ex animi sententia irascatur? Quis illum laedendi nocendique consilio aliquem conscripsisse librum suspicetur? Equidem hercle, si mihi aequalis esset Ovidius isque contumeliis et maledictis in me esset invectus, quid facerem? Quid censes? Primo riderem, deinde adversarii mei admirarer facundiam, postremo stilum sumerem et in margine literulas appingerem ut quot ille usus *locis* esset appareret. Et in hunc tamen hominem internecivum exercuisse odium, in hunc ira exarsisse quae nullis placari posset precibus lamentisque dicitur quis? Imperator Augustus. Profecto haud facile a me impetro ut virum illum amem: natura eum crudelem fuisse scio, dissimulatorem callidum, hominem denique qui pensi haberet nihil, dummodo ad finem sibi propositum perveniret, et possum sic multa eius enumerare vitia, sed hoc mihi, ut opinor, unusquisque concedet neminem unquam mortalium illo fuisse prudentiorem, neminem magis sobrium sanumque, neminem magis remotum a vanis inanibusque animi perturbationibus. Et is tamen vulgo creditur ita succensuisse Ovidio, ut vix ullis eius aerumnis satiari posset. Ovidio aio. Immo carminibus eius. Atque illis non modo succensuisse eum audimus, sed periculum etiam ab iis metuisse. Imperio suo ne calamitatem afferret Ovidii carmen Augustus veritus est. Et quod carmen? Ars amatoria. Difficile est hic risum tenere.

„Ridere tu in re tam seria possis?" sic me quivis vir paulo gravior interpellet: „quin potius cum imperatore tuo prudenti sobrioque graviter irasceris poetae lascivo, qui istud amare et peccare docens carmen in lucem emittere non veritus sit?" Quia irasci me vetat non hercle nimia quaedam adversus hoc literarum genus lenitas sed unicuique innatus ille aequitatis sensus. Dico enim palamque declaro inter poetarum Romanorum opera vix ullum reperiri quod ipsa hac Arte minus sit impudicum magisve verecundum. Hodiernis hominibus tres illi libri

nimis lascivi videri possint, Ovidii aequalibus non potuerunt: aequo enim animo Catullum tulerant et ferebant Tibullum Propertiumque. Nos cum pueris nostris Artem tractare veremur, sed propter duos tantummodo locos, quibus demptis quid toto opere restat vituperandum, quod non recurrat apud omnes poetas tam latinos quam Graecos, quos pueris damus ediscendos? De amore agitur, scio, atque adeo de arte amandi — sed prorsus eodem modo quo in Terentii Plautique fabulis. Hoc Ovidii carmen si ex animi sententia veritus est Augustus ne mores civium suorum corrumperet, quidni aedilibus dedit negotium totam τὴν νέαν κωμῳδίαν cum omnibus eius versionibus contaminationibusque latinis conquirendi et in foro comburendi? Nam prorsus eandem rem tractat Ovidius in Arte atque eodem modo. Illum amorem docet, qui apud Romanos *concessus* et fuit semper et dictus est. Identidem clamat ipse:

I, 31 sqq. Este procul, vittae tenues, insigne pudoris,
Quaeque tegis medios instita longa pedes.
Nos Venerem tutam concessaque furta canemus,
Inque meo nullum carmine crimen erit.

II, 559 sq. En, iterum testor: nihil hic nisi lege remissum
Luditur; in nostris instita nulla iocis.

Et, ne ullus immeritae reprehensioni locus restet, palam monet (III, 613 sq.):

Nupta virum timeat; rata sit custodia nuptae:
Hoc decet, hoc leges iusque pudorque iubent

ut mirer nondum cuiquam virorum doctorum, qui fabellam de Ovidio propter Artem amatoriam in exsilium misso omnibus modis defendere et tutari studeant, in mentem venisse coniecturam de versibus illis postea a poeta insertis cum lascivi carminis poenam aut iam subiret aut metuere inciperet. Nam si Augustus ét toto carmine lecto ét eiusmodi cognitis poetae excusationibus, quas iustas verasque esse non posset negare, tamen tam gravi eum afficiendum poena censuit, qui potuit Horatio non ignoscere solum, cum turpissimam illam Satiram I, 2 in lucem emisisset, sed etiam inter dilectissimos eum habere amicos et carminibus eius se vehementer delectari palam proloqui? Quod, obsecro, Ovidii Ars bonis moribus minabatur periculum, quod illa satira non attulerit? Carminum lasciviam ut metueret

Augustus tantum abfuit ut ipse, si ita res ferret, versus scriberet simul et impudicissimos et spurcissimos. Et hunc credamus *post decimum annum* tam vehementer succensuisse Ovidio propter Artem Amatoriam? Profecto si culti ingenii homo fuisset Augustus, si de patria sua egregie mereri venustum poetam penitus sensissit, Arte Ovidii lecta novam aliquam excogitasset coronam, civicae non imparem, qua eum ornaret. Nam inter omnes Ovidii libros primarium Artem obtinere locum dudum sibi persuasum habent docti philologi: ut et ii sentire possint, qui negotiis districti otium suum poetis latinis legendis oblectent, nuper effecit Paulus Brandt praestantissima illa et venustissima editione. En hoc est antiquarum literarum perpetuam defendere dignitatem! [1])

Innocuum esse carmen totam Artem illam, cum legimus eam, cum poetam audimus asseverantem se concessos solum spectare amores, denique cum illius temporis mores qui fuerint consideramus, pro certo nobis constare potest. Sed nescio an magis etiam eluceat illud cum quam multa ét tota poesis erotica Ovidii ét ipsa Ars cum ceteris eius carminibus habeat communia, quam multi ibi quoque recurrant loci observamus. Non ut

---

1) Si, id quod spero augurorque, mox venustissimi libri opus erit nova editione, auctor sum Brandtio ut:

A. in annotatione ad I, 430 illustrandi causa afferat Mart. VIII, 64:

Ut poscas, Clyte, munus exigasque
Uno nasceris octies in anno

in annotatione ad I, 587 Mart. V, 61 praesertim ultimum distichon:

Res uxoris agit? res ullas crispulus iste?
Res non uxoris, res agit iste tuas

in annotatione ad III, 201 (de mulierum superciliis) etiam mentionem faciat Petronii 126.

B. L. II, 49 sq. post *renidens* virgulam ponat, post *nescius* tollat.

L. II, 108 sq. post *dabit* virgula pro semicolo posita, pro inepto isto *sit* recipiat unice veram lectionem *sis*.

L. II, 726 secum reputet sitne, quod mihi in mentem venit, pro *desine* legendum *desere*, ut *deserendi* verbum pro *relinquendi* sit positum: adhibetur enim hic imago eius qui *maioribus velis usus* adversarium praeterit. Exempla huius usus in promptu mihi non sunt, sed res ipsa admodum verisimilis.

L. III, 29 pro *discutit* aliud eiusdem verbi legat compositum, e. c. *concutit*, nam *discutere* semper vim habet *a se repellendi*.

C. Hos operarii corrigat errores: I, 75 (in textu) *praetereat* pro *praeterat* et II, 527 (item) *blandire* pro *plandire*.

Praeter paucas has minutias nihil in egregia editione desidero.

sensibus blandiatur adolescentium carmina sua amatoria scribit Ovidius neque ut iis viam ad dulce Veneris monstret ministerium — nil opus illis moribus tali magistro! — huic soli rei ibi quoque dat operam ut quaecunque de illo argumento et dicta sint olim et omnino dici possint quam elegantissime exornet et quam aptissime disponat. Sic, ut ex immensa copia unum afferam, cum dominae suae ancillam Cypassidem se sollicitare fingit, postquam multa ei est pollicitus, in fine haec minatur (Am. I, 8, 25—28):

Quod si stulta negas, index anteacta fatebor
Et veniam culpae proditor ipse meae,
Quoque loco tecum fuerim quotiesque, Cypassi,
Narrabo dominae, quotque quibusque modis.

Lepidissimum esse locum hunc libenter concedimus, sed *locum* esse et *fingi* totam illam sollicitationem pro certo scimus, cum in fine pentametri et apud alium poetam Ovidio aequalem invenimus aliquid quod ab illo *quotque quibusque modis* vix quidquam discrepet. Legitur autem apud Tibullum (II, 6, 52):

Tunc morior curis, tunc mens mihi perdita fingit
Quisve meam teneat, quot teneatve modis.

In Arte vero hoc se praesertim spectare ut nihil omittat quod in chartis atque in memoria conditum habeat, sed ut omnia quam venustissime tribus illis comprehendat voluminibus diserte testatur ipse, idque in cuiusque libri fine:

I Pars superat coepti, pars est exhausta laboris;
Hic teneat nostras ancora iacta rates.
II Ecce, rogant tenerae, sibi dem praecepta puellae:
Vos eritis chartae proxima cura meae!
III Lusus habet finem! cygnis descendere tempus,
Duxerunt collo qui iuga nostra suo.
Ut quondam iuvenes, ita nunc, mea turba, puellae
Inscribant spoliis: „Naso magister erat".

Quaeso, utrum levis lascivique poetae ista sunt an diligentis et industrii?

Ubique ei ante oculos stat non Venus sed

imparibus vecta Thalia rotis

i. e. dea illa quae in *scholis* rhetorum, vel, quod eodem redit, poetarum colitur. Ubique quaerit quomodo novo operi inserere

possit opuscula iam ante perfecta perpolitaque, et lepidissimis eum ad hanc rem uti artificiis quis neget? Sed cum incidis in fabulas amatorias, non notissimas solum qualis est illa de Pasiphaë, sed etiam in reconditiores de Myrrha et de Byblide, atque adeo in illam ex angulo doctrinae Alexandrinae protractam de Cydippe [1]), nonne sentis tibi rem esse non cum amore vero sed cum ficto doctoque? Metamorphoseon suarum scribendarum nondum ceperat consilium Ovidius, sed iam unum alterumque in scriniis habebat epyllion, quod postea illis erat inserturus. Nunc iis locum quaerit in opere, quod cum maxime manibus tenet, et facile invenit: nam est opus illud de arte amatoria et narrationum quoque illarum amor argumentum est. Invenitne autem locum narrationibus in Arte? Immo vero ex ipsis narrationibus tota Ars nata videtur: cum illas apto inter se vinculo iungere studebat, mox intelligebat communem dari omnibus titulum posse *de arte amatoria*: stabant tibicines, facile erat intervalla in iusti explere aedificii speciem. Sed restabant narrationes, in quibus amoris ne levissima quidem umbra erat: hae ergo revera *insertae* sunt. Et merito hic disponendi miramur artificem. Quid enim Daedalo Icaroque rei fuit cum amore? Tamen ne hanc quidem narrationem in libro de arte amatoria legentes ullum poetae cernimus laborem, tam facile procedunt et decurrunt omnia. Sed quid sit τὰ αὐτὰ λέγειν περὶ τῶν αὐτῶν nunquam nos magis quam hic sensisse concedendum nobis est. Comparamus enim, ut ex immensa copia pauca afferam, enumerationem locorum, qui volantibus subiacent cum illa quae est in Metamorphosesin, comparamus hos ex Arte versus II, 49 sq.:

Tractabat ceramque puer pinnasque renidens,
Nescius haec umeris arma parata suis

cum hisce e Metamorphosesin:

Puer Icarus una
Stabat et ignarus sua se tractare pericla

---

1) Ita certe nobis videtur et ita olim Romanis visum esse suspicor. Suspicor illos quoque, re non accuratius considerata, fabulam de Pasiphaë antiquam et decantatam putasse, fabulas de Myrrha et Byblide recentiores et reconditiores, illam vero de Acontio et Cydippe multo posteriore aetate a doctis poetis inventam. Haec ideo adscripsi ne quisquam putaret me de tempore, quo revera illae aliaeque fabulae primum sint prolatae, quidquam statuere. *οὐχ οὕτω τετύφωμαι.*

Ore renidenti modo quas raptaverat aura
Captabat plumas, flavam modo pollice ceram
Mollibat.

Vel hosce ex Arte (77 sq.):

Hos aliquis tremula dum captat harundine pisces
  Vidit et inceptum dextra reliquit opus

Cum hisce e Metamorphosesin:

Hos aliquis tremula dum captat harundine pisces,
Aut pastor baculo, stivaque innixus arator,
Vidit et obstipuit.

Ohe iam satis est. Satis enim, ut opinor, apparet *non potuisse* a tali poeta periculum reipublicae a se ordinatae metuere sanae mentis hominem, nedum Augustum, omnium quotquot fuerunt mortalium callidissimum.

At credidit ipse Ovidius carmina sua exstitisse causam cur tristissima illa poena afficeretur et carminum suorum solam Artem suo accusat nomine. Ut mittam rogare *reverane* illud Ovidius crediderit, i. e. ita crediderit ut, cum secum rem reputaret, meritam illam esse poenam agnosceret et idoneam illam esse tam gravis poenae causam intelligeret — haud desunt autem loci ubi de hisce rebus agens mirari se, stupere, in tenebris versari, nihil denique intelligere ostendat — hoc dico credere istud non potuisse Ovidium, nisi ei dictum fuisset ab iis, quibus fidem negare non posset, immo nisi factum illud esset, res tam mira, tam ipsa natura sua incredibilis, ne in mentem quidem ei potuit venire. Ergo, cum ad Ovidium nuntius perferebatur Tomos eum relegari, simul hoc addebatur condemnationem illam fieri propter impudicitiae praecepta in Arte tradita, non potuit autem addi illud nisi addi iussisset Augustus ..... ergo ipse imperator Augustus MENTITUS EST. Nunc hanc disquisitionis disputationisque nostrae partem paulisper relinquamus, mox ad eam redibimus.

Nam et alteram quandam exilii sui causam ipse affert Ovidius: aut de *errore* aliquo suo loquitur aut *vidisse* se aliquid quod videre sibi non liceret profitetur. Quis non novit illud

Cur aliquid vidi, cur noxia lumina feci

multaque alia in eandem sententiam? Hinc autem vulgo viri docti efficiunt aliquas partes egisse Ovidium in Iuliae minoris

Silanique adulterio et huic facinori aliquo modo favisse. Statim declaro horum me intelligere nihil. Lenam illam novimus, quam diligenter poetae Latini, Alexandrinorum ἀρὰς imitati, exsecrari solent, et quamquam constat non ex ipsa vita sed e schola sumptum illud argumentum, quadamtenus tamen veram lenam mente mihi informare possum. Quid vero illud sit quod *vir* aliquis dicatur alieno favere adulterio, vel in alieno adulterio ullas agere partes — nisi si aut ipse sit Satanas ille e Fausti fabula aut deversorii alicuius impuri dominus — prorsus me latet, neque investigare iuvat. Ne illi quidem scriptores, quorum tragoediae et fabulae Romanenses adulteriorum et divortiorum plenae sunt, quidquam praebent quod huic quaestioni lucem afferat ullam. Sed hoc concedo unam esse rem, quae alteram hanc causam aliquanto reddat probabiliorem quam prior illa sit. Etenim neptem suam „convictam adulterii Augustus damnaverat proieceratque in insulam Trimerum", ubi „viginti annis exilium toleravit" (Tac. A. IV, 71); cum autem a. 28 illa obierit, a. 8 adulterii est convicta damnataque — eodem anno quo Ovidius damnatus est; ergo, si propter adulterium illud hic quoque damnatus est, culpam poena secuta est statim, non decem anni intercesserunt. Sed sumimus nunc rem quae minime certa sit. Quis enim affirmare possit, cum Tacitus de viginti annis loquatur, nobis eum numerum sic esse accipiendum ut accurate significentur viginti anni? Paulo minus viginti unus anni „rotundo" hoc (ut nos loquimur) numero indicari possunt et semper ab unoquoque sunt indicati, et, quod in hac quaestione multo maioris est momenti, paulo plus undeviginti. Ergo e Taciti verbis haudquaquam pro certo efficere licet prius Silanum deinde Ovidium esse condemnatum. Quodsi prior est condemnatus Ovidius, prorsus ad nihilum redigitur tota illa coniectura, quae vel sic satis infirma est, de ratione quae inter Ovidii et Silani poenam intercesserit.

Sed faciamus tamen intercessisse aliquam rationem. Absurdissimam esse coniecturam de Ovidio adulterium Iuliae minoris adiuvante nunquam mihi eripietur. Quo ergo me vertam? Nil superesse video quam ut coniiciam Ovidio iam pridem aliquid de illo facinore suboluisse, poenasque eum dedisse quod non

in tempore rem ad Augustum detulerit, sed silentio presserit. Hoc in rerum natura est, factum est nonnumquam, certe fieri potuit. Iterum nunc Tacitum inspiciamus (A. III, 24): „D. Silanus, in nepti Augusti adulter, quamquam non ultra foret saevitum, quam ut amicitia Caesaris pelleretur, exilium sibi demonstrari intellexit." Ergo in ipso adultero se cohibuit Augustus, et dummodo Roma Italiaque cederet (addas etiam, per me licet, „omnibus provinciis Caesaris"), ubi vellet vivere ei permisit: Athenas se conferre poterat ille vel in amoenissimum aliquod Galliae Asiaeve oppidum; sed hunc qui nihil commiserat nisi quod rem sibi intellectam celaverat, ad Bessos Getasque relegavit. Quis hoc credat?

Credamus tamen putasse Ovidium suum exilium originem duxisse ex Iuliae adulterio: utrum ipsius ea fuerit coniectura an hic quoque mentitus sit Augustus in medio nobis est relinquendum. Alterum quoque illud Augusti mendacium in praesentia admittamus, statuamusque, cum ad Ovidium mitteretur nuntius de relegatione ab Augusto iussa, sic virum, cum tristi illo imperio missum, esse locutum: „hac tu poena plecteris, quia neque principem edocuisti de Silani Iuliaeque amoribus, qui tibi innotuerant, ét turpem illam scripsisti Artem Àmatoriam, quae ante decem annos in lucem prodiit," cum Boissierio nunc nobis res est. Boissierius [1]) enim, ut mendacii liberet suspicione Augustum, e duabus causis unam efficit, ita rem maiorem habituram veri speciem ratus, atque hanc fingit narrationem: graviter afflictus erat Augustus suae ipsius filiae sorte haud immerita, quam propter morum pravitatem, ne genti suae afferret dedecus, ab oculis hominum removerat; vehementer patrium eius pectus hoc laborabat vulnere, quod nondum coierat, ecce vix anni sunt elapsi decem et matri non praestare filiam cognoscit: neptis quoque sua adulterii crimine damnanda ei est. Quam vehementer tunc doluerit, quam parum abfuerit quin animum desponderet senex septuagenario maior facile intelligimus. In illa tristitia primum rumor, deinde certus nuntius ad eum perfertur facinoris istius fuisse conscium quendam, qui in eo perpetrando operam

1) Gaston Boissier „l'exil d'Ovide" in „Revue des deux Mondes" anni 1867 mensis Iunii.

suam praebuerit: iratus et ad ulciscendum paratus quis ille sit rogat: Ovidium esse audit. Tum vero se continere non potest, ira exardescit et: „en iterum exclamat scelus istud hominis me petit, me oppugnat; ante novem annos nefaria ista scribenda Arte effecit ut irritae essent leges mihi tam carae sanctaeque de adulterio, per totum illud tempus *laesit religionem, violavit maiestatem,* nunc in domum meam tela sua iacit, per meam gentem venena sua spargit" .... et possumus sic pergere tandemque mirari quod princeps relegatione illa in ultimam barbariem fuerit contentus et non reum attrahi iusserit ut ante ipsius oculos diris cruciatibus ad necem adigeretur.

Sed num quidquam hac causarum coniunctione proficimus? Nihil, ut opinor. Neque in Arte quidquam erat quod doceri atque adeo fieri vel lex Iulia vetabat vel vetitura erat Papia Poppaea, et si tamen credidit illo carmine civium suorum corrumpi mores Augustus, per decem fere annos legi illud, describi, spargi aequo patiebatur animo, et demum re nova, quae cum libris illis commune haberet nihil, motus non illos conquiri comburique iussit, et venales prostare legique vetuit sed poetam procul ab urbe miseram trahere vitam coëgit?

Et quod ad alteram illam causam pertinet: faciamus reticuisse Ovidium Iuliae culpam sibi cognitam, immo verum esse faciamus, quod, quoniam in rerum natura non sit, verum esse potuerit nunquam: concedamus Ovidium in illo adulterio aliquas partes egisse, cur conscium dirissima afficiebat poena, quae a morte non multum distabat, in ipsum adulterum tanto fuit clementior?

Sed accedit aliquid quod totam illam Boissierii coniecturam cunctasque, quae illi aliquo modo cognatae sunt, ita dispellit ut ne levissima quidem supersit umbra, estque illud eiusmodi ut ad veritatem inveniendam nobis monstret viam. Adulterium Augusto visum „laesam religionem" et „violatam maiestatem" Tacitus (A. III, 24) affirmat, et lubenter credimus: prae ceteris parentes amant liberos infirmos debilesque; quo quaeque lex minus est efficax eo magis in deliciis est ei qui tulit. Verum num Tiberio eadem erat amoris causa? Neque verisimile hoc est et disertis a Tacito negatur verbis .... ubi? In ipsis primis illius capitis verbis, quod illud excipit, ubi de Augusto tra-

duntur nota ista: „culpam inter viros ac feminas vulgatam gravi nomine laesarum religionum ac violatae maiestatis appellando clementiam maiorum suasque ipse leges egrediebatur." In ipso, aio, capitis 25 initio haec de Tiberio traduntur: *„relatum inde de moderanda Papia Poppaea"*. Quidni ergo Tiberius Ovidio reditum in urbem concessit?

Nam — ut statim hinc ad alteram, quae affertur, exilii causam transeamus — ipsi Iuliae adultero in urbem redire permisit. Et fuit quidem haec venia cum contumelia aliqua iuncta, etenim (Tac. Ann. III, 24): „Tiberius gratias agenti Silano (fratri adulteri) patribus coram respondit .... adversus eum integras parentis sui offensiones, neque reditu Silani dissoluta quae Augustus voluisset" sed miserum tamen Ovidium haec quoque „benignitas satis superque ditasset".

Denique cur Tomos esset relegatus quamdiu vixit ignoravit Ovidius, sed credidit (mitto enim nunc alteram causam, quam ipse *errorem* nominat, quo vocabulo quid sibi voluerit semper, ut opinor, in tenebris latebit) se propter Artem hac affectum poena. Credere autem non potuit nisi ab idoneo auctore ei dictum esset: iussu ergo Augusti hoc ei dictum est. At ipse Augustus est mentitus: scire enim poterat absurdum esse innocui carminis, quod ante decem annos in lucem prodiisset, poetam gravi pessumdare sententia. Scire poterat, aio, sed obliviscebatur, aliis instigantibus, iisdem qui falsum istud crimen sunt commenti.

Et quis senem principem regebat ita ut tam absurdam rem ei suggerere posset? Neminem invenio praeter Liviam. Haec ergo causam cur poetam nostrum odisset habebat gravem, sed simul eiusmodi ut de ea celandus esset Augustus, et omnes praeterea mortales uno excepto Tiberio. Atqui si Liviae victima cecidit Ovidius, simul intelligimus nunquam eum erigere voluisse Tiberium; melius etiam hoc intelligimus, si ipse quoque Tiberius propriam habuit odii causam. Et habuit .... eandem quam Livia. Legerant enim versus quosdam quos, illo ipso anno 8 primum sibi cognitos (admodum enim verisimile illud est), vix poterant non „in offensas suas vertere" (ut loquitur Propertius). De ferrei saeculi vitiis qui cantat, de *sua* cogitat aetate; si illius scelera insignia quaedam profert, facile putari potest principum

hominum ipsi aequalium notasse scelera vel vera vel vulgo credita. Quid ergo mirum est si Tiberius de se dictum suspicatus est illud:

Filius ante diem patrios inquirit in annos

et Liviae idem in mentem venit versum illum legenti magis etiam suspicioni obnoxium

Lurida terribiles miscent aconita novercae [1]).

Cetera vide apud Ge. Schoemannum in praestantissima illa commentatione quae legitur in Philologo 1882 p. 171 sqq. Mihi quidem semper ille rem acu tetigisse visus est et ex animi sententia spero fore ut aliquando inventi sui merita fruatur laude, nam hucusque iusto magis siletur vel ignoratur illud. Mihi sat erit, si posthac constabit nullam inter exsilium Ovidii intercedere rationem et Artem Poeticam, lepidissimum illud rhetoris atque poetae nostri opus, quod nullos unquam corrumpere mores potuit nisi eorum qui se corrumpi cuperent.

---

1) Quicunque in Lafayii libro locum illum legerit (p. 110 sqq.), ubi demonstratur Ovidium, non frequenter quidem, sed tamen identidem, cum de remotis temporibus regionibusque narret, de sua cogitare aetate et de sua Urbe, illi quam maxime verisimile videbitur Liviam cum:

Lurida terribiles miscent aconita noverae

et Tiberium cum:

Filius ante diem patrios inquirit in annos

legeret, de se agi putasse.

CAPUT VII.

AD VARIOS METAMORPHOSEON LOCOS ANNOTATIONES VARIAE.

Quod in hisce annotationibus conscribendis non ultra „Iudicium Armorum'' progressus sum probabit qui ét plerasque earum critici generis esse cognoverit ét in memoriam redierit eorum quae capitibus primo, tertio, quinto scripta sunt. Ceterum nemo hic magnifici quidquam exspectet: non novos indagavi codices, non novum codicum excogitavi stemma, ne notum quidem aliquem codicem denuo excussi. Variae sunt observatiunculae mihi per longam annorum seriem natae, quae neque ad certam normam redigi possint et vix ullo inter se cohaereant vinculo. Ex quo enim Kornii editio in lucem prodiit — sunt anni viginti tres — quae fideliter in calce paginae parvo spatio quid ubique sit in codicibus, quid ubique viri docti coniecerint, refert, dicere non possum quoties totum librum ab initio ad finem percucurrerim, nam unius alicuius loci vel cum discipulis vel in phrontisterii mei recessu accuratius examinandi quisque fere dies praebebat facultatem. Hic quotiescunque mihi vel versum vel annotationem consideranti in mentem veniebat aliquid, quod nondum ab aliis esset observatum et tamen ad poetam nostrum vel rectius intelligendum vel accuratius edendum conferre posse videretur aliquid, in margine signum aliquod appingebam, quo facilius commenta mea interdum novo possem submittere examini. Tandem aliquando omnia tam bene perpensa videbantur, et cum sat multa reiecissem, tanta tamen restare copia rerum publica luce non prorsus indignarum, ut omnia in

unum colligere decernerem libellum, quem iam disquisitionibus meis de Ovidio poeta annecto.

Quem ut in medium proferre auderem res exoptatissima effecit: tandem aliquando manibus tenemus Metamorphoseon editionem ab Ehwaldo curatam et egregiis annotationibus instructam. Nam antea multos quidem multorum de Ovidio legeram commentarios, sed magnum tamen restabat periculum ne ineptum in modum tamquam nova proponerem quae dudum ab aliis essent perspecta. Ehwaldum vero communi doctorum sententia constat omnia quae ad Ovidium pertineant legisse vel legere; editionis illius, quae quam vera illa doctorum sit sententia luculenter docet, altera pars anno 1898 in lucem prodiit, altera anno 1903: vides fere ad nihilum redactum illud de quo dicebam periculum. Nam praestantissimum illum librum tam diligenter excussi ut nullam cuiusquam viri docti sententiam, quae in rem praesentem faceret, me fugisse affirmare audeam.

Sunt autem, ut iam dicebam, observationes meae varii diversique generis: modo antiqua tuebor, modo emendationem commendabo, modo — quamquam rarius hoc fiet — ipse aliquam meam proponam coniecturam. Hic illic quaedam ad textus historiam pertinentia observabo et locos indicabo e quibus appareat in Ovidii amicorum manus pervenisse exemplaria quibus ipse poeta iam manum emendatricem adhibere coeperit, ita tamen ut plerumque ad veram lectionem constituendam non perveniret sed inter duas haereret dubius, denique, si qui versus novum mihi afferre videbitur argumentum rei in prioribus capitibus dictae, ne id quidem silebo.

Non tamen rudis indigestaque moles haec est. Naturali quodam vinculo omnia inter se cohaerent. Omnia enim eo tendunt ut alios docere coner — atque utinam ne propter illud *docendi* verbum graviter a nonnullis increper — id quod mihi semper persuasissimum fuit et hisce lucubrationibus ad finem perductis magis etiam, si fieri potest, constat:

Quisque locus suam sibi requirit emendandi interpretandique normam. Non est una lex quae ad omnes pertineat quaestiones criticas nisi haec — si *lex* vocari haec potest — caute semper et circumspecte esse agendum et in quovis loco hoc solum rogandum quid, non propter testimonia sed propter rem et locum

ipsum, maximam habeat speciem veri. Hoc autem nemo melius docet quam ipse, quem tractamus, poeta scriptorve et sua quemque mens longo illius usu exercitata atque limata. Denique nescio an nihil melius quae artis criticae vera ratio sit doceat quam decantatum illud Francogallorum dictum:

INVENIAS QUOCUMQUE LOCO, REM, QUAE BONA, SUME!

Liber I.

1 In nova fert animus mutatas dicere formas
Corpora: di coeptis (nam vos mutastis et illas)
Aspirate meis.

Finem vs. 2 tentarunt multi. Quod in mea editione posui: „coeptis (nam vos mutastis) et ausis" desperantis erat coniectura, non digna quam inter virorum doctorum conamina Ehwaldus referret. Boni enim nihil in ea est nisi quod non, ut lectio vulgata, aliquid praebet quod *plane* sit sensu cassum. Sed est hiberna nive frigidior: „de mutatis corporibus canto: vos, o dii immortales, huic consilio favere aequum est, quoniam illius mutationis auctores estis". Nullum est argumentum in quod non conveniat illud: „de rerum natura cantabo; vos o dii coeptis aspirate meis, nam vos res creastis", vel: „de diro facinore cantabo, vos o dii me adiuvate, nam vos illud fieri permisistis" vel quid non? Ovidium tamen equidem credo (et quis non credat?) Metamorphosesin suis praemisisse aliquid quod illarum sit proprium — et quod paululum certe habeat acuminis. Merkelii *illac* suum sibi requirit Oedipodem. Neque quidquam proficimus Ehwaldi annotatione: „denn wie alle anderen so sind auch diese Verwandlungen euer werk": neque operae pretium duco hic Stobaei Eclogas inspicere ut a Posidonio docear quae sint illae *aliae omnes* mutationes: „cosmicas et physicas" esse cogitandas etiam sine Posidonio quivis intelligeret, si revera hic duo genera mutationum inter se opposuisset Ovidius. Sed non opposuit neque potuit opponere. Denique quid multa? Unice verum est quod recepit P. Lejay e cod. ε *illa*.

Utrum autem cod. ε illud habeat a manu secunda, an idem librarius qui totum codicem scripsit tamquam variam lectionem adscripserit (Kornius enim annotat: „illas: illa ε", Ehwaldus lectionem esse dicit codicis ε^2) neque scio neque curo magnopere. Veram enim lectionem hanc esse constat. Veramne? Immo plane necessariam. An putemus Ovidium, cum ad novum carminum genus accederet, ne uno quidam verbo monuisse se eundem illum esse poetam, qui antea longe alia cecinerit? Sic notus Ulysses? Nullus fere eius liber est in cuius initio non legatur aliquid quod in mentem nobis revocet priora eius de poesi merita. „Coeptis meis o dii aspirate, nam vos, qui corpora mutastis, de quibus narraturus sum, etiam mutastis coepta illa". Hoc acuminis sat multum habet, hoc in solas Metamorphoses convenit, hic ipsum agnoscimus Ovidium. An non sentis eiusdem esse hoc

In nova fert animus mutatas dicere formas
Corpora, di coeptis (nam vos mutastis et illa)
Aspirate meis,

et illud in Tristium I, 1, 117 sqq.:

Sunt quoque mutatae, ter quinque volumina, formae,
  Nuper ab exsequiis carmina rapta meis.
His mando dicas, inter mutata referri
  Fortunae vultum corpora posse meae.

Qui olim magno de mutationibus operi aliquid de sua mutatione praemiserat quod grandi illo conamine dignum esset, postea idem illud opus commemorans de sua mutatione ita iocatur ut iocari solent quos ridiculos facit ipsa miseria: sed utrobique eundem illarum inter se oppositarum mutationum agnoscimus auctorem.

8 sq. Nec quicquam nisi pondus iners congestaque eodem
Non bene iunctarum discordia semina rerum.

Ne hic quidem codex ε spernendus mihi videtur, qui pro *congestaque* habet *coniectaque*. Nam temere res *coniiciuntur*, sed qui *congerit* consulto agit et de industria. Quae sunt *congesta* vix dici possunt non esse *iuncta*.

26 Ignea convexi vis et sine pondere caeli
Emicuit summaque locum sibi fecit in arce.

Hic pro *fecit* non codex ε solus sed etiam summae auctoritatis liber N dat *legit*, quod non, ut Ehwaldus censet, e coniectura natum videtur eius qui memor esset versus XII, 43:

Fama tenet summaque locum sibi legit in arce

(Ehwaldi est sic omnia semper in promptu habere, non τοῦ τυχόντος librarii), sed ab ipso Ovidio profectum. Etenim Ovidius τὰ αὐτὰ λέγει περὶ τῶν αὐτῶν semper, quidni et hic? Quod *evolantis* Famae est, idem et *emicantis* aetheris. Uterque locum legit, capit, occupat, denique *possidit*, quod verbum vs. 30 sq. rectissime adhibetur:

Circumfluus umor
Ultima possedit.

Contra *locum sibi facere* eius est qui obstantia removet, non qui vacuum et inane occupat spatium.

151—162 Quanto melius totum hunc locum omisisset Ovidius! Nam nunc quae de *hominibus* narrantur ingrata ista *Gigantum* commemoratione divelluntur. Negligenter ab ipso, ut opinor, Ovidio hi versus sunt inserti, ne quidquam quod in scriniis haberet huc pertinens omitteret. Non possum Ehwaldo assentiri *de industria* ab Ovidio interpositos ut aptum sibi pararet transitum ad narrationem de Lycaone, atque eodem consilio de Gigantum progenie, e sanguine eorum orta, satis audacter ab eo dici:

Sed *et illa* propago
Contemptrix superum (fuit)

„*et illa*: item ut ferreae aetatis homines, quorum tamen adversus deos impietas nulla est commemorata, sed huius quoque impietatis nunc mentionem facere debet poeta quia annectere vult Lycaonis adversus summum deum facinus dirum" hoc sibi vult Ehwaldi ad h. l. annotatio. Ego secus censeo: apte disposita *erant* omnia et paratus transitus. Postquam multa ferreae aetatis sunt enumerata scelera quae iam non potuerit ultra aspicere Virgo Astraea, egregie sequitur:

Quae pater ut summa vidit Saturnius arce
ingemit

et sponte in memoriam redit impietatis horrendae qua adversus

ipsum unus ex illo numero usus iam sit. Nonne nunc *sponte* se narratio de Lycaone offert? Sed corrupit omnia nimio doctrinae studio ipse poeta. Ut alia omnia taceam: quam egregie illa

Quae pater ut summa vidit Saturnius arce

statim post longam enumerationem scelerum, quibus ferrea aetas ipsam fugarit Astraeam, ponuntur, quam parum apte illud *quae* refertur ad versus qui nunc proxime praecedunt:

Sed et illa propago
Contemtrix superum saevaeque avidissima caedis
Et violenta fuit: scires e sanguine natos.

Nihil hic dicitur quod vel summus deorum oculis suis contemplari possit, nulla hic est enumeratio, quae pronominis relativi pluralem provocet numerum.

165 Foeda Lycaoniae referens convivia mensae.

Referens rectissime Ovidio iam Hauptius vindicavit allato Fast. IV, 667:

Numa visa revolvit
Et secum ambages caecaque iussa refert.

Neque tamen mirum fuisse qui nostro versu *repetens* legendum esse coniiceret, nam *referendi* verbum sat raro sic adhiberi videtur ut sit: sibi in mentem revocare. Quapropter operam me non perditurum existimo si unum etiam exemplum adscripsero, idque disertissimum. Legitur apud Propertium I, 1, 34 sq.:

Quod si quis monitis tardas adverterit aures,
Heu *referet* quanto verba dolore mea.

170 sqq.

Hac (sc. via lactea) iter est superis ad magni tecta To-[nantis
Regalemque domum. Dextra laevaque deorum
Atria nobilium valvis celebrantur apertis.
Plebs habitat diversa locis; a fronte potentes
Caelicolae clarique suos posuere penates.

Tandem aliquando exstitit Ehwaldus qui sentiret haec sic ab Ovidio scribi non potuisse. Quid enim? *a fronte* non omnes dii maiores habitant sed unus Iupiter, ceteri dei nobiles dextra laevaque viae lacteae, ad caeleste illud Capitolium tendentis, domos suas habent. Recepit ergo Ehwaldus fragmenti Bernensis

lectionem *hac parte* pro *a fronte*, quo facto non ipse sibi Ovidius obloquitur. Remanet tamen vel sic scrupulus quidam. Non observasse Ehwaldus videtur quam ingrate illis:

hac parte potentes
Caelicolae clarique suos posuere penates

haec annecterentur:

Hic locus est e. q. s.

Clavum ergo clavo expulisse vir praestantissimus videtur. Equidem totam illam minorum deorum commemorationem non ab Ovidio, qui hic facile eam omittere potuit, profectam censeo, sed a putido magistello, qui lacunam, quam sibi deprehendisse videretur, utcunque versiculis expleverit; hunc autem Ovidii mente parum intellecta *a fronte* scripsisse suspicor et lectionem Bernensem esse emendandi conamen. Eiectis autem versibus *Plebs* — *penates* omnia egregie procedunt: adverbio *hic* Capitolium caeleste ipsum cum suo clivo comprehenditur, cuius loci totius una pars (summa nimirum) Palatium caeli dici possit. Magistelli autem illius cum mihi informo imaginem, eiusdem esse incipio credere versus 87 sq.:

Sic, modo quae fuerat rudis et sine imagine, tellus
Induit ignotas hominum conversa figuras

quos proscripsit Bentleius. Statim iterum eius audiemus vocem.

199 sqq. Postquam de Lycaonis impietate narravit Iupiter:

Confremuere omnes studiisque ardentibus ausum
Talia deposcunt. Sic cum manus impia saevit
Sanguine Caesareo Romanum exstinguere nomen,
Attonitum tanto subitae terrore ruinae
Humanum genus est totusque perhorruit orbis.
Nec tibi grata minus pietas, Auguste, tuorum est,
Quam fuit illa Iovi. Qui postquam voce manuque
Murmura compressit, tenuere silentia cuncti.
Substitit ut clamor pressus gravitate regentis,
Iuppiter hoc iterum sermone silentia rupit.

Ad versus 207 sq. Kornius annotat: „proscripsit Merk.", errore ut opinor, nam vs. 208 certe carere non possumus quin omnia concidant. Sed suboluisse aliquid Merkelio (et cui non?) hic libenter credo. Ut mittam *tenuere silentia* vix latine dici posse

pro *siluere*, quis puer unquam sic locutus est: „postquam murmura compressit, tenuere silentia cuncti''? quod prorsus idem est ac si quis diceret: „postquam cuncti siluerunt, cuncti siluerunt''. Vix minus ingratum: „murmura *compressit* — substitit ut clamor *pressus*'', vel duobus versibus post istud „tenuere *silentia*'' iterum „*silentia* rupit''. Et quam ridiculum istud: grata fuit illa Iovi pietas, ergo ..... statim murmura illam pietatem testantia compressit. Et inter Augustum Iovemque quod est illud, quod aiunt, tertium comparationis? Etiamne Augustus, simulatque senatorum pias exclamationes audit, tacere eos iubet? Nam quod Ehwaldus pro *tuorum est* edidit *tuorum* (unde autem habeat istud e nulla apparet annotatione critica) annotatque „supple *fuit*'', augetur sic molestia. Nam quando, vel ubi, Augustus prae ceteris illam ob Caesaris necem indignationem oculis suis vidit et auribus audivit? In senatune? Nam senatu utique opus est, si Iovem in suo sedentem concilio comparare vis cum Augusto in suo concilio sedente. Sed quam intempestive, ubi de caede Caesaris agitur, tamquam exemplum pietatis commemoratur senatus, cuius bona pars se Caesaris cruentaverat sanguine. Ne multa: dele versus 204—206 (Nec tibi grata — silentia cuncti), pro loco, quem scripsisse puerum pudeat, habebis locum Ovidio dignum. Solito me audaciorem hic esse sentio: videant ergo cautiores quo modo haec in integrum restituant; aliquid certe tentandum esse mihi constat et constitit Merkelio.

202 Attonitum tanto subitae terrore ruinae

nescioquid habet languidi; cum cod. λ multo malim legere:

Attonitum tantae subito terrore ruinae

nam improvisus fuit *terror*, et ingens *ruina*.

233 sqq. Lupus, in quem Lycaon convertitur, sic describitur:

Exululat frustraque loqui conatur: ab ipso
Colligit os rabiem, solitaeque cupidine caedis
Vertitur in pecudes et nunc quoque sanguine gaudet.
In villos abeunt vestes, in crura lacerti,
Canities eadem est eadem violentia vultus
Idem oculi lucent, eadem feritatis imago.

Praeclara descriptio, nihil deest, et de *lupo* agi, si non ex ceteris omnibus, ex uno illo *vertitur in pecudes* lucide apparet. Quis ergo *in media hac singularum rerum enumeratione* inseri ferat versum, qui totam conversionem complectitur:

Fit lupus et veteris servat vestigia formae?

Vestigia: nonne omnia quae praecedunt quaeque sequuntur *vestigia* veteris formae sunt?

264 Claudit Iupiter ventos pluviam fugantes
Emittitque Notum. Madidis Notus evolat alis.

Minime spernenda lectio codicis ε *advolat*, nam istud *e*mittit ... *e*volat ét ingratum est ét languidum: emitti et evolare fere idem est. Contra *advolat* (sc. ad opus sibi mandatum peragendum) mirum quantum habet vigoris.

288 sqq.

Siqua domus mansit potuitque resistere tanto
Indeiecta malo, culmen tamen altior huius
Unda tegit pressaeque latent sub gurgite turres.

Si *turres* sub gurgite latent, minime mirum latere domos; non possunt haec simplici coniunctione *que* inter se iungi: opus est vinculo quale est *quin etiam*. Veram lectionem a Seneca servatam recte Heinsius statuisse videtur *labant*: turres, tanto quam domus altiores, emicant quidem sed in breve tempus: gurges earum inferiorem partem quatit, mox concident neque ullum praebebunt hominibus animalibusque perfugium. Non opus nunc cum Ehwaldo eo confugere ut vocabulo q. e. *turres* hic omnia significari aedificia altiora dicamus. Quem vero Lycophronis locum Ehwaldus hic affert, si Ovidio lectum Lycophronem crederem, haud spernendum illo nostrae sententiae auxilium ferri dicerem. Lycophronis enim haec sunt hemistichia:

οἱ δὲ πρὸς πέδῳ
πύργοι κατηρείπουτο.

388 sq.

Interea repetunt caecis obscura latebris
Verba datae sortis secum inter seque volutant.

Vitium quo modo tollatur non video, sed video vitium hic latere; deest vocula quae *repetunt* et *volutant* inter se iungat, nullus enim hic asyndeto locus. Fortasse lectio cod. M *verba deae sortes* viam monstrat. Nolim enim sic iungere et distribuere: *repetunt secum, inter seque volutant.*

425 sqq. In limo, quem Nilus reliquit, cum sole calefactus est:

Plurima cultores versis animalia glaebis
Inveniunt, et in his quaedam modo coepta sub ipsum
Nascendi spatium, quaedam imperfecta suisque
Trunca vident numeris.

Hic iure vs. 426 omnes editores Naugerii *sub* pro *per* recipiunt, de ceteris desperare videntur. Quo magis laetor quod mihi contingat ut possim loci corruptissimi tandem aliquando proferre emendationem, quam palmarem et certissimam dicere non vereor, quoniam non mea est sed optimi collegae van Leeuwen. Is enim lenissima transpositione legendum esse me monuit:

Inveniunt, et in his quaedam perfecta, sub ipsum
Nascendi spatium, quaedam modo coepta suisque
Trunca vident numeris.

Quin sic ipsa Ovidii restituatur manus neminem iam dubitaturum opinor. Cum *perfecta* a sua sede aberrasset eo ubi prius *modo coepta* legebatur, non poterat non accedere praefixum negativum.

434 sq. Ergo ubi diluvio tellus lutulenta recenti
Solibus aetheriis *altoque* recanduit aestu.

Cur hic Burmanni lectio *almoque* spernatur frustra quaero, neque video quomodo *altoque* defendi possit. Certe nihili est Gierigii argumentum *aetheriis solibus* melius convenire *altum aestum.* Mihi satis absurde *altus* dici videtur aestus, quem sol facit.

464 sq. quantoque animalia cedunt
Cuncta deo, tanto minor est tua gloria nostra.

Communem, ut videtur, codicum lectionem *deo* sollicitavit Heinsius *tibi* legendo, quae speciosa quidem est lectio sed tamen falsissima. Sic enim Amor ratiocinatur: „tua, Phoebe, praeda animalia sunt, mea praeda tu es, ergo tanto mea gloria tuae

praestat quanto deus quivis animalibus". Nunc praeda cum praeda, venator cum venatore comparatur, rectissime; in Heinsiana bis venator cum praeda, quod satis absurdum. Haec ideo scripsi, ne quis posthac in eundem incidat errorem in quo olim versabar ego.

471 sq.
(telum) quod facit (amorem) auratum est et cuspide fulget acuta,
Quod fugat obtusum est et habet sub harundine plumbum.
Elegantissimum chiasmum Merkelius suo *hamatum* (pro *auratum*) corrupit: altera sagitta auream eamque acutam habet cuspidem, altera plumbeam eamque obtusam. Sic equidem vulgatam accipiendam censeo, non ut accipit Ehwaldus.

474 sqq.
Protinus alter amat, fugit altera nomen amantis,
Silvarum tenebris captivarumque ferarum
Exuviis gaudens innuptaeque aemula Phoebes.
Multi illam petiere, illa aversata petentes e. q. s.
Egregia haec et optime cohaerentia, sed disturbat omnia et corrumpit versus qui post illum *exuviis* e. q. s. nobis obtruditur:
Vitta coercebat positos sine lege capillos.
Non intercederem, si totus hic venatricis cultus ornatusque describeretur, sed nimis exilis unus ille de capillis versus est, qui nunc legentes ingrate moratur. Quin sit delendus eo minus dubito quod codex M eum *in margine a secunda manu* habet.

500 sqq. Laudat digitosque manusque
Bracchiaque et nudos media plus parte lacertos:
Siqua latent meliora putat.
Sic omnes codices, at Quintilianus *quaeque*, quod unice verum arbitror, non enim video quomodo *siqua*, quo fit ut dubitetur de re minime dubia, defendi possit.

530 auctaque forma fuga est.
Mihi multo venustior videtur codicis ε lectio *aucta fuga forma est* quam et λ suo *aucta via forma est* sustentat; particula *que*

post *obviaque — et levis* languet; omissa illa exclamationem quandam habemus huic loco aptissimam.

544 *Victa labore viae* e. q. s. Nolo hic longas Kornii et Ehwaldi describere annotationes criticas (non potest autem brevis esse qui accurate de variis horum versuum lectionibus refert) sed breviter dicam quid ego hic evenisse suspicer. Ovidius primum scripserat:

Victa labore fugae „tellus" ait „hisce vel istam
Qua nimium placui mutando perde figuram"

(haec est codicis M lectio, qui verba *tellus — istam* supra rasuram posita habet). Postea Ovidio in mentem venit *quae facit ut laedar*, quod inter lineas asscripsit. Mox tamen intellexit ne sic quidem probari versus posse et novum conamen

Victa labore fugae spectans Peneidos undas
„Fer pater" inquit „opem, si flumina numen habetis"

in margine posuit, neque tamen decernere quidquam voluit priusquam exemplar describendum traderet librariis. Novi conaminis margo codicis M (a manu saec. XV) alteram partem (fer — habetis) servat, codices λ et ε cuncta inter se permiscent. Quin haec *fere* sit loci varie tentati historia non dubito: habemus ergo hic insigne exemplum rei, de qua p. 63 egi. Edendum autem censeo novum ipsius Ovidii conamen, nihilque praeterea addendum. Feliciter enim Ovidius se ipsum correxit: consentaneum est Daphnem tantummodo patris opem implorare, non ipsam ei subiicere opis ferendae rationem.

568 sq. Neque qui possit *silva* claudere *nemus* neque quid sit *silva praerupta* video. Corruptum ergo puto:

Est nemus Haemoniae, praerupta quod undique claudit
Silva

sed nil in mentem venit.

585 sq. Inachus filiam

Luget ut amissam, nescit vitane fruatur
An sit apud Manes, sed quam non invenit usquam
Esse putat nusquam, atque animo peiora veretur.

Haec olim improbavi, neque nunc probare possum. Licet enim feramus triplicem repetitionem (nam „luget ut amissam" et „esse putat nusquam" et „peiora veretur" eodem redeunt), satis obscure tamen dictum esse *peiora veretur* hoc sensu: veretur quod ex duabus hisce rebus gravius est, et misere languere istud *animo* concedendum est. Etiamnunc suspicor Ovidium aliquid dedisse in hanc sententiam:

Esse putat nusquam: vero leviora veretur

Confero enim quod X, 8 legitur: „exitus auspicio gravior".

590 Iupiter ad Io, redeuntem a flumine patrio
‚pete' dixerat ‚umbras
Altorum nemorum' et nemorum monstraverat umbras.

Sic nunc editur et olim edebatur. Mihi tamen Ovidii manus servata videtur in lectionibus codicis λ:

aut horum nemorum aut horum et m. umbras

et codicis ε:

aut horum aut horum nemorum (et monstraverat ambas).

Nam neque intelligo qui illae lectiones nasci potuerint, cum traditum esset *altorum nemorum e. n. m. u.*, et illud *aut horum aut horum* blande est invitantis ideoque egregie sollicitantem decet amatorem.

639 sq. (Io fugiens)

Venit et ad ripas, ubi ludere saepe solebat
Inachidas ripas; novaque ut conspexit in unda
Cornua, pertimuit.

Quin egregie emendarit vs. 640 Merkelius legendo

Inachidas; *rictus* novaque ut conspexit in unda

non dubito. Vox quae est *rictus* hic tantum non necessaria, cf. vs. 741 *contrahitur rictus.* Verborum quidem dispositionem Merkelius praebet paulo minus usitatam, subsimilis tamen est II, 406:

Arcadiae tamen est impensior illi
Cura suae; fontesque et nondum audentia labi
Flumina restituit.

676 sq. Mercurius Argum decepturus, ceteris omnibus rebus, quibus agnosci possit, depositis tantummodo virgam retinet:

Hac agit, ut pastor, per devia rura capellas,
Dum venit, *adductas*.

Sic codices. Heinsius *abductas*, quam certissimam emendationem si qui etiam sunt qui in textum recipere dubitent, hoc velim reputent: *adduco* Graece est ἔρχομαι ἄγων vel ἔχων, ergo *dum venit adductas* non est minus absurdum quam si Graece diceres: ἃς ὅτε ἦλθεν ἦλθεν ἄγων. Contra lepidissimum est *abductas*: in ipso itinere suo furandi munere functus est.

682 sq. Ab Argo invitatus

Sedit Atlantiades et euntem multa loquendo
Detinuit sermone diem, iunctisque canendo
Vincere harundinibus servantia lumina temptat.

Corrupta haec esse etiamnunc mihi constat; notum illud *diem detinere* non est huius loci, neque, si esset, addi *euntem* poterat. Haud dubie ad ipsum Argum illud participium est referendum: cum abire Argus volebat, eum Mercurius multa loquendo detinuit, deinde canendo sopire eum conatur. Quid eo loco scripserit Ovidius, ubi nunc est *sermone diem*, in medio relinquo. Nam, quod gravissimum, simul ferri *sermone* et *multa loquendo* prorsus nequeunt.

710 sqq. Narrat Mercurius Pana audito cannarum palustrium sono:

„Hoc mihi concilium tecum" dixisse „manebit!"
Atque ita disparibus calamis compagine cerae
Inter se iunctis nomen tenuisse puellae.

Haec olim corrupta dixi haud hercle ignarus annotationis Hauptianae: „Pan behielt in der vielröhrigen Hirtenflöte den Namen und *nur* den Namen der Syrinx". Sed hic *tenuisse* positum esse pro *retinuisse* quominus credam obstat versus proxime praecedens (705)

Corpore pro nymphae calamos tenuisse palustres

ubi *tenuisse* est *amplexum esse*; et omnino utrobique tam parvo spatio positum *tenuisse* Ovidio indignum est.

742 Ovidio abiudicandum censeo et hunc versum:

Ungulaque in quinos dilapsa absumitur ungues

Est enim versus admodum ingratus et absurde *absumi* ungula dicitur. Codex M a manu secunda eum habet in margine; si omittitur, septem restant versus iique venustissimi quibus quomodo humanum corpus resumserit Io describitur: sufficiunt hi, ut opinor.

Liber II.

20 Venit et intravit dubitati tecta parentis.
Annotat Kornius „dubitati λ", quod quid sibi velit prorsus me latet. Opinor et in aliis codicibus illud legi [1]).

36 si das usum mihi nominis huius.
Nimis puerilis haec vocabulorum dispositio, neque dubium quin Heinsius legendo *si das huius mihi nominis usum* rem acu tetigerit. Utile est observare quam saepe in Metamorphosesin Ovidius vocabulum q. e. *usus* in versus fine scripserit: in deliciis hoc ei fuisse videtur.

116 In M est: Tuem (T i. r. ex Q) patere ut terras mundumque rubescere vidit. Editur nunc plerumque:

Quem petere ut terras mundumque rubescere vidit

e coniectura Merkelii (in λ sic versus incipit: Tum pater). Sed quid hoc sit quod Lucifer dicatur *terras petere* me latet. Unice verum videtur quod Heinsius coniecit:

Ut pariter terras mundumque rubescere vidit,

nisi quod e λ pro *mundum* recipiendum est *caelum*.

---

1) Haud raro mihi, Kornii apparatum criticum inspicienti, eiusmodi aliquid rogare in mentem venit. Sed semel vel bis tantummodo dubitationem meam chartae mandavi; sufficere hoc putabam neque plane inutile esse. Fieri enim potest ut, si apparatus ille, ceteroquin tam utilis, novo fuerit submissus examini, editor a me monitus eum paulo reddat vel accuratiorem vel perspicuum magis.

126 Si potes his saltem monitis parere parentis.
Hic quoque Heinsium sequendum esse arbitror, qui pro *parentis* dedit *paternis*. Quis ab Ovidio ingratum sonum *parere parentis* profectum credat?

147 In margine a m. b codex M habet hunc versum:

Dum potes et solidis etiam nunc sedibus adstas

quem equidem Ovidio vindicare non ausim. Omnia enim hic sunt ingrata, praesertim vero istud *solidis sedibus* displicet, et totum versum a magistello fictum, qui putaverit *dumque*, a quibus vocibus versus 148 incipit, in praecedenti suum sibi *dum* requirere, admodum est verisimile.

200 sqq. (Phaethon) .... lora remisit.

Quae postquam summo tetigere iacentia tergo,
Exspatiantur equi.

Corrupta haec esse fere constat, vulgoque recipitur Heinsii coniectura: *summum — tergum*. Sed ingrate nunc istud *iacentia* abundare, immo vitiosi esse sermonis *postquam* (i. e. *simulatque*) *iacentia tetigere* non observare videntur vv. dd. Quapropter ego propono:

Quae postquam summo *sensere* iacentia tergo.

Sic omnia quam venustissima fieri videntur et est emendandi quoque ratio haec multo quam Heinsiana probabilior. Ipsae Latini sermonis leges ullum eo loco verbum legi, cuius non *equi* sint subiectum, vetant [1]).

215 sq.

Cumque suis totas populis incendia gentes
In cinerem vertunt.

Equidem *gentes cum populis suis* non concoquo, ambabusque manibus arripio codicis λ lectionem *terras*. Vide quam apte nunc *suis* addatur (quod in vulgata lectione non fit, licet cum Ehwaldo *populos* esse partem *gentis* statuas): terrae (regiones)

---

1) Atque haec causa est cur IV, 346 sq. recte edidisse censendus sit Ehwaldus:

Tum vero *stupuit*, nudaeque cupidine formae
Salmacis exarsit

spreta „meliorum" codicum lectione *placuit*.

cum suis populis i. e. cum suis incolis. Eodem modo dicitur: navis cum suis nautis, arx cum suis militibus. Etiam quod praecedenti versu legitur:

magnae pereunt cum moenibus *urbes*

hic suas sibi *terras* flagitat.

275 Phaethonte omnia comburente
Alma Venus
Sustulit oppressos collo tenus arida vultus.

Sustulit oppressos vultus satis mire dictum et omnino qua re opprimatur tellus haud facile dictu; participium illud ita accipere ut fere sit idem quod *vexatos* desperantis est. An ergo Hauptii probemus interpretationem: „bekümmert, von Angst bedrückt"? Mihi certe nullus locus notus est ubi vox *oppressus* ita sit posita, neque facile u. o. illo sensu hic eam positurus erat Ovidius, quia magnum erat periculum ne legentes eam solito acciperent sensu ergoque nihil hic intelligerent. Nullus esse hic locus videtur nisi epitheto ornanti, et arripienda lectio codicum *ε* et *λ* *omniferos*, quam e docti alicuius viri coniectura natam quis credat? Ob eandem autem causam cur hic *omniferos* probem, vs. 288 recte mihi Ehwaldus restituisse videtur lectionem traditam *sacraque ita voce locuta est*, ubi pro *sacra* Bentleius coniecit *sicca,* alii alia *praesentem* Terrae conditionem significantia.

288 sq. „Haeccine merces mea" Tellus Iovem rogat
Quod pecori frondes alimentaque mitia, fruges
Humano generi, vobis quoque tura ministro?

Istud *quoque,* licet omnium codicum consensu nitatur, praesertim propter locum ubi legitur, ferendum non est. Unice verum est quod olim edebatur *quod.* Hoc sensus requirit, hoc suam sibi habet emphasin, hoc denique bono poeta dignum. At *quoque* balbutientis est et nugantis.

326 Iterum in proxima vicinia *quoque* prave ponitur. Nymphae Phaethontis

Corpora dant tumulo, signant quoque carmine saxum:
„Hic situs est Phaethon e. q. s."

Ubi poetae manum codex Berolinensis utrum servaverit an

restituerit non interest, sed habet quod solum probandum *signantque hoc.*

340 Ehwaldus edens

Nec minus Heliades fletus et inania morti
Munera dant, lacrimas

(*fletus* est in cod. ε) non reputasse videtur *fletus et lacrimas* tautologiam esse vix ferendam. Multo praestat quod ante Heinsium edebatur:

Nec minus Heliades *lugent* e. q. s.

412 Callisto spernebat muliebres artes et muliebrem cultum:

ubi fibula vestem,
Vitta coercuerat neglectos alba capillos;
Et modo leve manu iaculum, modo sumpserat arcum,
Miles erat Phoebes.

Recte sic edidit Ehwaldus spretis coniecturis virorum doctorum et variis codicum lectionibus. Sed post *capillos* virgula erat ponenda.

431 Iupiter Dianae forma sumpta ad Callistonem venit

et oscula iungit
Nec moderata satis *nec sic a virgine danda.*

In codice ε est: *nec enim moderata fuere* suprascripto *l nec sic a virgine danda.* Videtur codex ille ipsius Ovidii hic servare emendationem.

468 Callistonem sibi paelicem factam olim senserat Iuno sed poenas distulerat:

Causa morae nulla est, et iam puer Arcas (id ipsum
Indoluit Iuno) fuerat de paelice natus.

Sanum esse non potest *et iam*; cogitabam de *nam iam,* sed hoc auribus (nostris certe) [1]) ingratum. Ecquid *cum iam* vel *ubi iam*?

---

1) At in his rebus nostris diffidendum esse auribus luculentum mihi Ehwaldus praebet exemplum. Vss. enim 722 sqq. plerumque sic editur:

Quanto splendidior quam cetera sidera fulget
Lucifer, et quanto te, Lucifer, aurea Phoebe,
Tanto virginibus praestantior omnibus Herse,

487 Qualescunque manus ad caelum et sidera tollit;
Ingratumque Iovem, nequeat cum dicere, sentit.

Vitium latere suspicor in isto *ad caelum et sidera*, quod nimis verbosum est. Etiam Kornio et Ehwaldo hic suboluisse aliquid videtur, cum post *tollit* ne virgulam quidem ponant. Sed sic certe locum non emendant.

512 sq. Ad Oceanum Tethynque se confert Iuno eosque sic alloquitur:

Quaeritis, aetheriis quare regina deorum
Sedibus huc adsim.

Annotant editores recte Latine dici *huc adesse*, quod nemo negabit. Sed ablativi *aetheriis sedibus* rationem explicare negligunt. Mihi vehementer arridet lectio codicis M *absim*, ut sit: huc venerim a sedibus aetheriis.

600 De perfidia Coronidis sibi amatae edocetur Apollo
Laurea delapsa est audito crimine amantis.

Sic codices, sed plane necessaria est Heinsii emendatio *amanti*.

610 Coronis telo Apollinis percussa pauca lamentatur:
Hactenus, et pariter vitam cum sanguine fudit.

Hic est aptissimus finis narrationis de puellae morte. Sed additur etiam versus ineptissimus, quem delere non dubitaverim:

Corpus inane animae frigus letale secutum est [1]).

Nihilo praestat hic versus illi quem paulo ante omnes editores omittunt. Post versum enim 555 (Pallas Erichthonium)

Clauserat Actaeo texta de vimine cista
555 Virginibusque tribus gemino de Cecrope natis
Et legem dederat, sua ne secreta viderent.

in margine codicum M et λ legitur etiam:

---

e coniectura Heinsii, quae quamquam primo aspectu venustissima est, tamen est falsissima: Luna enim dici potest *splendidior* quam Lucifer, non omnino *praestantior* (i. e. pulchrior). Rectissime ergo Ehwaldus revocavit ab exilio traditam lectionem: „quanto quam Lucifer aurea Phoebe", sonum ingratum *quanto quam* non vitans.

1) Eiusdem esse suspicor cui debemus versum, quem merito damnant omnes VI, 294:
Oraque compressit, nisi postquam spiritus ibat
aut certe ex eadem schola poetae.

Servandum dederat sic inconfessa quid esset.

Scilicet haud tulerat sciolus elegantem verborum structuram: *hunc virginibus et legem dederat* pro quotidiana: *virginibus dederat hunc et* (*simul*) *legem.*

644 sqq. Nondum inventa videtur probabilis emendatio loci, quem corruptum esse ne tenacissimus quidem traditarum lectionum negare potest:

Animas tibi reddere ademptas
Fas erit; *idque* semel dis indignantibus ausus
Posse dare *hoc* iterum flamma prohibebere avita.

Nihil enim Ehwaldus annotat.

673 sq. utque vagi crines per colla iacebant
In dextras abiere iubas.

Pro *dextras* coniecit *densas* Riesius rectissime ut ego opinor. Sed negat Ehwaldus affertque locum e Varrone de r. r. (III, 7, 5), ubi legimus signum esse boni equi si iuba eius sit *crebra*, *fusca*, *subcrispa*, *subtenuibus saetis*, *implicata* (ecquid *inclinata*?) *in dexteriorem partem cervicis.* Verum num Ovidius quoque sciebat illud et scire eos qui Metamorphoses lecturi erant putare poterat? Accedit hoc quod gravius est etiam: Metamorphoses omnes hoc habent: „ut quo quidque loco deprensum est perstet in illo". Sic longa Ocyrrhoes palla cauda fit. Crines ergo eius in iubas mutantur densas, sed ut fuerant *vagi per colla* sic nunc quoque ab *utraque* parte pendent colli. Absurdum videtur esse totum illud quod de *dextris iubis* Varro docet, sed sit verum, qui Varronem non legit neque rei equestri dedit operam putare debet *arte*, non natura, fieri ut iuba dextrorsum dependeat. Et sic Prop. IV, 4, 37 sq.:

Ille equus ......
Cui Tatius dextras collocat ipse iubas.

773 sq. Iuno irata ad Invidiam venit.

Utque deam vidit (Invidia) formaque armisque decoram
Ingemuit vultumque deae ad suspiria duxit.

Traditam lectionem *deae ad* restituit Ehwaldus, locumque sic interpretatur: „Sie stöhnte und verzog (verächtlich) ihr Gesicht,

als sie die Göttin stöhnen hörte". Hactenus certe recte quod *Iunonis* suspiria hic quoque sunt commemoranda, cf. 753 sqq.:

Et tanto penitus traxit suspiria motu
Ut pariter pectus positamque in pectore forti
Aegida concuteret

unde admodum fit verisimile postea quoque Iunonem suspirasse. Sed contemptui hic nullus locus. Suspicor autem (nam neminidum successisse videtur emendatio) Ovidium aliquid dedisse in hanc sententiam: „conspecta dea tam pulchra tamque splendide ornata, Invidia ingemuit; at ubi eiusdem audivit suspiria, paululo tamen facta est hilarior". Eiusmodine flosculum, qui se mihi (et cui non?) sponte offert, ab Ovidio neglectum putemus?

Liber III.

42 (Martius anguis ille)

.... immensos saltu sinuatur in arcus.

Quid hic legendum sit nescio, sed *saltu* sanum esse non potest.

52 Rectissime Ehwaldus edidit „*d*erepta leon*i* pellis", sed miror eundem vs. 58 aequo animo ferre „fidissima *corpora*" spreta lenissima elegantissimaque Heinsii coniectura *pectora*. Quod II, 644 legitur:

„Cresce puer" dixit „tibi se mortalia saepe
Corpora debebunt"

afferri non oportuit ad vulgatam defendendam lectionem: ibi enim refertur vaticinium de Aesculapio *mortalia corpora* sanaturo, sed cum sua pernicie etiam *animas* revocaturo.

90 Donec Agenorides coniectum in gutture vulnus
Usque sequens pressit.

Utique hic recipienda lectio *guttura*, quam Bentleyus proposuit. Etiamsi cum Ehwaldo illud *in* cum verbo *pressit* iungendum esset, tamen accusativo opus esset; sed cum illo iungi vetat vocabulorum dispositio.

99 Ille diu pavidus pariter cum *mente* colorem
Perdiderat, gelidoque comae terrore rigebant.

Quin deteriores codices hic Ovidii ipsius exhibeant mentem „cum *voce* colorem" praebentes non dubito. Ingratissimae verbositatis est „pavidus mentem perdiderat". Et vocis hic mentio omitti non potest. Cf. decantatum illud:

Obstupui, steteruntque comae, *vox* faucibus haesit.

135 Legendum cum scholiis Lucani:
ultima semper
Expectanda dies hominis.

Quoniam sententia est: „priusquam beatum dicas aliquem hominem, *eius* mors tibi est expectanda", sive: „ea est inconstantia *humanae* sortis, ut neminem e. q. s." Et rectissime sequitur:

dicique beatus
Ante obitum nemo supremaque funera debet.

Nunc enim utrobique monemur ne iusto citius *iudicium* pronunciemus. Longe aliud quid vulgata lectio *homini* menti nostrae offert: „homo semper putare debet se hoc ipso die mori posse; homini semper mors debet esse ante oculos".

152 Comites ut quietem capiant Actaeon monet hoc argumento:
Nunc Phoebus utraque
Distat idem terra.

Pro *terra* Bentleyus coniecit *meta*; praeterea Ehwaldus annotat „*meta* L 4 vulg. (nach vs. 145)". Et verum est vs. 145 legi:

Et sol ex aequo meta distabat utraque

ideoque facile alicui vs. 152 *terra* legenti suspicionem nasci potuisse hic quoque *meta* requiri. Verum num ea causa est cur Bentleyi coniectura *non* recipiatur? Immo cum constet nullum unquam sanum sensum e lectione *terra* extractum iri, semper unicuique illa nascetur suspicio. Atque id quod inter omnes verum esse constat, tandem aliquando tamquam verum est agnoscendum.

205 In cervum conversus est Actaeon:
Quid faciat, repetatne domum et regalia tecta
An lateat silvis? pudor hoc, timor impedit illud.

Unde nata sit veterum editionum lectio: „timor hoc, pudor impedit illud" nescio; fortasse e coniectura alicuius viri docti. Sed saepe coniectura inventum est quod unice verum esset. Quae enim causa cogitari potest cur Ovidius hic a communi usu recesserit et de industria obscure locutus sit, cum posset eodem labore clare loqui?

251 sq. Ehwaldus restituit versus ab Heinsio proscriptos:

Nec nisi finita per plurima vulnera vita
Ira pharetratae fertur satiata Dianae.

Ego eos utique abiiciendos censeo. Cui argumenta Hauptii non persuadent, is etiam secum reputet quae horum sit versuum sententia: intelliget nullum iis locum hic esse. *Ira Dianae satiata est*: ergone ab eo tempore Cadmi progeniem persequi desiit? At in Dianam ceteri Cadmi nepotes neptesque commiserant nihil, uni Actaeoni succensebat illa.

261 (Iuno cognito novo Iovis furto) *tum* linguam ad iurgia solvit,
„Profeci quid enim toties per iurgia" dixit.

Rectissime Ehwaldus hic pulcherrimam Bothii recepit emendationem *dum*. Qui traditam lectionem retinent, dicant quid sibi in illa velint coniunctiones *quid enim*.

290 sq. Iovis ad Semelen verba sunt:

Quoque magis credas, Stygii quoque conscia sunto
Numina torrentis: timor et deus ille deorum est.

Coniecit hic Hellmuthius: „timor *et meus* ille deorum est", ingeniosissime sed ut recte vereor: „hunc, quem alii dei metuunt, ego quoque metuo", sic *deos* alloqui potest Iupiter. Sed cum ad *mortalem* verba facit, multo rectius est: „hoc numen etiam dei metuunt", et ad Semelen movendam hoc aptissimum. Ceterum cum Heinsio post *deorum* omissum malim *est*.

341 sq.

Prima fide vocisque ratae temptamina sumpsit
Caerula Liriope. (de Tiresia agitur)

Rectissime Ehwaldus Prisciani lectionem *ratae* (pro *datae*) recepit. Ne dubites cf. IV, 387 sq.:

Motus uterque parens nati rata verba biformis
Fecit.

Nam nostro loco praecedit: „scire futura dedit" (Tiresiae), quod prorsus eodem redit ac si poeta dixisset: „*rata* fecit eius verba".

348 De Narcisso consultus essetne
Tempora maturae visurus longa senectae
Fatidicus vates „si se non *noverit*" inquit.

Quis primus coniecerit id quod est in vetustis editionibus *viderit* nescio, sed persuasum mihi est illud solum verum esse posse. Illud ipsum quod se *non* novit Narcissus perniciem ei affert; salvus fuisset si se nunquam vidisset.

362 Sed rectissime Ehwaldus in his (quae narrantur de Echo, tantum ultima verba referente):

Fecerat hoc Iuno, *quia cum* deprendere posset
Sub Iove saepe suo nymphas in monte iacentes,
Illa deam longo prudens sermone tenebat
Dum fugerent nymphae,

sprevit Bentleyi coniecturam *quae ne,* quam vel una vox *saepe,* quae in vulgata lectione lepidissime ponitur, refutat.

365 Sequitur:

Postquam hoc Saturnia sensit
„Huius" ait „linguae, qua sum delusa, potestas
Parva tibi dabitur, vocisque brevissimus usus"
Reque minas firmat: tamen haec in fine loquendi
Ingeminat voces auditaque verba reportat.

Primum vs. 365 importunum istud *hoc* delendum censeo. De vs. 368 videamus. Nullus hic locus coniunctioni *tamen,* nam quae eam sequuntur minime opponuntur praecedentibus sed egregie cum iis congruunt. Quod autem coniecit Bothius *tantum* languidissimum est, nam quae Echus fuerit loquendi imminuta potestas dudum novimus. Lenissima emendatione restituere mihi videor flosculum 'Οβιδιανότατον. Suspicor in antiquo codice non fuisse: tn̄ hc̄ (tamen haec) sed iā n̄c (iam nunc):

Reque minas firmat

i. e. statim Iuno effecit ut minae suae ratae essent:

iam nunc in fine loquendi
Ingeminat voces auditaque verba reportat

i. e. ubi Iuno loquendi finem fecit, „usus" repetiit Echo.

400 sq. Ab exilio revocasse Ehwaldum versus:

Inde latet silvis nulloque in monte videtur,
Omnibus auditur: sonus est qui vivit in illa

ab Heinsio proscriptos miror doleoque. Quid enim? *Inde latet silvis!* At vs. 393 dictum iam est: *spreta latet silvis*. Et quorsum istud *nullo in monte videtur*? Tum *omnibus auditur*: immo vero iis tantum qui ipsi locuti sunt, vel prope fuerunt cum loquebatur alius. Qui solus per silvas ambulat, vel qui una euntes silent, iis surda illa est.

434 sq. Narcissum sic poeta alloquitur:

Ista repercussae, quam cernis, imaginis umbra est:
Nil habet ista sui.

Immo: „nil habet *ipsa* sui". Cf. VIII, 513 ubi Bentleyus *ipse* pro *ille* reposuit, certissima coniectura quam iam probant editores.

482 Pectora traxerunt *roseum* percussa ruborem.

Satis ridicule *rosas* nunc statim excipiunt *poma*:

Non aliter quam poma solent.

Quapropter non dubito quin altera lectio *tenuem* sit recipienda. Quod adscribunt vv. dd. versum ex Amoribus:

Candida candorem roseo suffusa rubore

rem non conficit: quin rubor recte *roseus* dicatur nemo dubitabit unquam. Sed singuli loci per se spectandi sunt.

503 Lumina *mors* clausit domini mirantia formam.

Codices variant inter *mors* et *mox*, quod admodum verisimilem reddit coniecturam Heinsii *nox*. Sed difficilis optio, nam in *ultimis* vocabulis est omne versus acumen.

575 Tradunt manibus post terga ligatis
Sacra dei *quondam* Tyrrhena gente secutum.

Reduviem morituri curasse videtur I. Ch. Iahnius *quendam* con-

iiciendo. Totum versum eiiciendum esse recte statuit Heinsius. Nam absurdum est hic poetam partem narrationis, quae secutura est, praeripere. Satis homo ille descriptus iam est praecedentibus:

„Hunc" dixere „tamen comitem famulumque sacrorum
Cepimus".

Et continuo post „comitem famulumque sacrorum" addere *sacra secutum* puerile est. Contra: „hunc comitem famulumque sacrorum cepimus *inquiunt et tradunt* manibus post terga ligatis", eodem manente obiecto disertissimum venustissimumque videtur.

641 sqq. De variis huius loci lectionibus conferatur Ehwaldus. Equidem persto in sententia legendum esse:

„Quis te furor" inquit „Acoeta"
Pro se quisque „tenet". „Laevam pete" maxima nutu
Pars mihi significat, pars quid velit ore susurrat.

Quae maximam partem Heinsii est lectio. Verbi quale est *inquit* a suo subiecto, quod sequitur, separati disertum praebet exemplum IV, 770:

„Nunc o fortissime" dixit
„Fare precor" Cepheus [1]).

692 sq.

„Praebuimus longis" Pentheus „ambagibus aures"
Inquit *„ut ira mora vires absumere posset"*.

Ultima quomodo accipi soleant scio. Sed mihi suspecta fuerunt semper et nunc etiam sunt. Non enim Ovidiano more adiuncta praecedentibus videntur, et illud *ira vires absumit mora* mire dictum videtur.

707 Cur ad h. v. Kornius annotet: „sic A" me fugit. Quis ergo dubitat quin vera ea sit lectio?

715 Ruit omnis in unum (Actaeonem)
Turba furens. Cunctae coeunt trepidumque sequuntur.

Sic plerique nunc edunt atque etiam Ehwaldus, spreta varia

---

1) Plane enim necessariam duco hanc Hauptii emendationem: *Cepheus* pro *Perseu.*

lectione *cunctaeque* (pro *trepidumque*) quam neque ego defenderim. Sed sequitur:

Iam trepidum, iam verba minus violenta loquentem
Iam se damnantem, iam se peccasse fatentem.

Ipsam per se repetitionem *trepidum* — *iam trepidum* non improbo, sed quam misere vis iterati *iam* perit, nisi a primo *iam* incipit aliquid quod *plane novum* sit! Ergo nondum dubito quin cum Scheppero legendum sit *fremituque* aliudve in eandem sententiam.

Liber IV.

53 Hoc placet, *hanc*, quoniam vulgaris fabula non est,
Talibus orsa modis, lana sua fila sequente.

Sic Heinsius, me iudice recte, certe ferri neutra traditorum lectionum potest: *hoc* anaphoram praebet, quae non est huius loci, nisi forte fingimus sic referri Minyeïdum acclamationes, quod absurdum est; si *haec* legimus, post *est* sententia est incidenda, sed tum sequens versus aliqua coniunctione (igitur, ergo) praecedenti est annectendus.

89 Semper haesi in isto *ibi arbŏr morus erat*, atque ingrata videtur repetitio *arboris, arbor*. Fortasse locum in integrum restituit Ehwaldus sic interpungendo: (constituunt Pyramus et Thisbe ut)

Conveniant ad busta Nini lateantque sub umbra
Arboris: arbor ibi niveis uberrima pomis
(Ardua morus erat) gelido contermina fonti.

Certe admodum lepidum illud, malim tamen post *morus* parenthesin claudere.

122 sqq. vitiato fistula plumbo
Scinditur et tenui stridente foramine longas
Eiaculatur aquas.

Unde nata sit antiquarum editionum lectio:

tenues stridente foramine longe
Eiaculatur aquas

nescio, sed quin sic scripserit Ovidius non dubito: neque *longas aquas* neque duplex adiectivum substantivo *foramine* additum ferendum videtur.

131 sq. Non sunt distinguendi ut nunc fit:

Utque locum et visa cognoscit in arbore formam,
Sic facit incertam pomi color: haeret an haec sit.

Sed ut olim:

Utque locum et visa cognoscit in arbore formam,
(Sic facit incertam pomi color) haeret an haec sit.

Nam neque iunctura *ut . . . sic* (hoc sensu: *simulac* cognoscit, facit) huius est loci, et ultima pars vs. 132 non potest sic *ἀσυνδέτως* proferri. Deinde in codd. „deterioribus" non *visa* est sed *visam*. Equidem neutrum legendum censeo sed *ūsam* i. e. *versam*. Quod *versa forma* dicitur arboris, cuius pomorum *color* mutatus est, eiusdem est qui vs. 125 haec habet: *in atram vertuntur faciem*.

259 sq. Clytie, insano Solis amore tacta, ab illo spernitur:

Tabuit ex illo dementer amoribus usa
Nympharum impatiens, et sub Iove nocte dieque
Sedit humo nuda.

Hanc codicum (levis enim est inter eos discrepantia) lectionem retinet Ehwaldus et verba: *nympharum impatiens* sic interpretatur: „unvermögend, die Gesellschaft der Nymphen (ihrer Schwestern) zu ertragen", neque ullam aliam interpretationem locus admittere videtur. Sed quaero quorsum illa nympharum commemoratio pertineat: neque cum praecedentibus neque cum sequentibus bene iungi potest. Gravius hic vulnus latere opinor, quod ego sanare non possum. Nam neque hoc aequo fero animo quod *substantive* hic participium *usa* positum est. In *nympharum* latere suspicor nominativum *nympha*:

Tabuit ex illo dementer amoribus usa
Nympha, ... et sub Iove nocte dieque e. q. s.

Quid scripserit Ovidius eo loco ubi nunc *rum impatiens* legitur non definio.

340 Quamvis centum iubeant Lachmanni *flexuque genu submisit* legere, nunquam credam ab Ovidio eiusmodi profectam tautologiam; *genu flectere* et *genu submittere* prorsus idem est. Quid tamen poeta dederit incertum: gravi morbo hunc quoque laborare versum arbitror.

340 sq. At ille
Scilicet ut vacuis et inobservatus in herbis.

In hac codicis M lectione coniunctio *et* sermoni Latino vim facit. Quapropter legerim aut

Scilicet ut vacuis *non* observatus in herbis

aut, usus verbis *ut puer*, quae praebet codex λ, quaeque e coniectura nata credibile non est:

At ille
Ut puer, ut vacuïs non observatus in herbis.

Hoc demum Ovidio dignum videtur.

356 „Vicimus et meus est'' exclamat nais.
Nimis friget istud *et*. Vera lectio quin sit „vicimus, en meus est'' non dubito.

388 — incerto fontem medicamine tinxit.
Sic legendum cum „deterioribus'', ut *incertum medicamen* sit m. quod *incertum* (i. e. *semivirum*) reddit eum qui in illum fontem descendit. „Meliores'' habent *incesto*, quod hinc alienum.

429 sq.
Quidque furor valeat Penthea caede satisque
Ac super ostendit.

Sanum esse istud *satisque ac super* credere non possum.

473 sqq. Sic haec Iunone locuta
Tisiphone canos ut erat turbata capillos
Movit.

Admodum ingrate in *sic haec* alterutrum abundat. Satis elegans et aptum huic loco foret: *vix haec*. Neque audax coniectura.

556 Illa manus ut forte tetenderat in maris undas.
Heinsii annotationem: „non sunt Nasoniani numeri" minime spernendam ratus coniicio:

Illa ut forte manus *porrexerat* in maris undas.

Sic simul verborum ordo magis fit Nasonianus.

631 sq. Nondum mihi persuaserunt adversarii sanum esse:

Hic hominum cunctos ingenti corpore praestans.

Neque vs. 636:

Errabant et humum vicinia nulla premebant.

Quomodo explicari illa soleant novi neque puer ignoravi.

Liber V.

2 sq. Fremida regalia turba
Atria complentur.

Me quod adiectivum *fremidus* nusquam alibi apud Ovidium legitur, quodque adeo sermonis latini leges violat magis movet quam quod a manu prima in melioribus legitur codicibus. Absurdam eam vocem esse iam ante multos annos Madvigius ille pronuntiavit, sed quod reposuit *trepida* vereor ut rectum sit. Turba illa quae ira et indignatione mota advolat, cruentum bellum illatura convivantibus, non, ut opinor, *trepida* dici potest, quod adiectivum, licet non prorsus idem significet quod *timidus, anxius,* tamen cum timore plerumque iunctum animi statum corporisve motum indicat. Me ergo ne hoc quidem quod ‚deteriores' codices et ‚meliorum' altera manus *fremitu — turbae* habent, deterret quominus sic ipsum scripsisse Ovidium credam. Verba *implendi* cum substantivis sonum aliquem significantibus iungere in deliciis ei fuisse videtur. Conferas modo:

V, 153 ululatuque atria complent.
II, 155 hinnitibus auras
Flammiferis implent.
III, 180 ululatibus omne
Implevere nemus.

VII, 114 locum mugitibus impleverunt.
VIII, 447 clamoribus urbem
Implent.
IX, 166 Implevitque suis nemorosum vocibus Oeten
οὐδ' ἅπαντας ἐκφέρω.

23 In Phineum indignantem quod sponsa sibi Andromeda potitus sit Perseus sic invehitur frater Cepheus, sponsae pater:

Scilicet haud satis est quod te spectante revincta est,
Et nullam quod opem patruus sponsusve tulisti?

At Phineus ille Andromedae ét patruus est ét sponsus fuit. Utique ergo legendum *sponsusque.*

80 sqq. Tollit Perseus cratera
. . . . altis
Exstantem signis *multaeque in pondere massae.*

Ultima corrupta censeo, necdum vera emendatio inventa videtur.

85 *Polydaemona.* Veram esse Riesii emendationem *Polydegmona,* et hoc esse nomen regi vel regulo alicui aptum ét res ipsa docet et testatur vs. 242:

Te tamen, o parvae rector, Polydecta Seriphi.

97 Tum quoque Cephenum post regem primus Hodites
Ense iacet Clymeni.

Sic codices, nisi quod pro *tum* etiam *tunc* et *hic* traditur. Confusa sententiae vocabula: licet enim Ehwaldus exempla afferat quaedam, ubi *quoque* a suo loco aberravit, *tum quoque* divelli non posse videtur. Equidem auctor sum legamus: *dux quoque*: Hodites ille copiis Cephenum praeerat tantis ut post ipsum Cephea summo esset imperio.

111 Tu quoque, Lampetide, non hos adhibendus ad usus,
Sed qui, pacis opus, citharam cum voce moveres.

Rectissime Ehwaldus annotat *tu quoque* sic esse mente supplendum ut fiat *tu quoque cecidisti.* Atque tum aptissime sequens versus annectitur, nam *sed qui ... moveres* est: ‚sed ita adhibendus ut ... moveres'. Sed sequenti versu:

Iussus eras celebrare dapes festumque canendo

omnia perturbantur. Nunc enim *sed qui — moveres* hunc sensum nanciscitur: „sed *quoniam* citharoedus et cantor eras", ita ut gerundivum *adhibendus* ingratissimum in modum cum verbo finito iungatur: „non adhibendus, sed iussus eras". Accedit quod totum istud „iussus — canendo" admodum ieiunum est et tantum non ridicule praecedentibus additur: qui enim dictus iam est et citharam tractare et ad citharam canere posse, nunc tantummodo *canere* iubetur. Delendum ergo vs. 113 censeo.

154 sqq. Andromeda ipsa cum patre et matre pacem suadent lamentantes:

Sed sonus armorum superat gemitusque cadentum
Pollutosque simul multo Bellona penates
Sanguine perfundit renovataque proelia miscet.

Vs. 155 spernit Heinsii emendationem *semel* Ehwaldus. Certissima tamen illa mihi videtur. *Sonus armorum* et nomen *Bellonae* non possunt vocabulo *simul* inter se iungi, quoniam non sunt diversae naturae, et *pollutos penates sanguine perfundit* ne sanum quidem praebet sensum, nisi participio *pollutos* adverbium *semel* accedit. Atque, illo accedente, apte demum *renovata* commemorantur proelia.

180 Perseus Medusae proferens caput exclamat:

Vultus avertite vestros
Si quis amicus adest!

Immo *quisquis* cum cod. λ. Nam quin pars pugnantium ipsi amica sit dubitare Perseus non potest.

195 sq. Optimo iure hic Ehwaldus „deterioris" codicis ε recepit lectionem:

Increpat hos „vitio"que „animi *non* viribus" inquit
„Gorgoneis torpetis" Eryx.

Nam in „optimo" M est *cum* (suprascripto *cur*).

232 Editur fere cum M:

Tum quoque conanti sua vertere lumina cervix
Deriguit.

Non ergo observare videntur vv. dd. quam ingratum sit istud *vertere,* praecedente hoc versu:

Ad quam se trepido Phineus *obverterat* ore.

Equidem Ovidii esse puto quod est in ε et quod in M suprascribitur: *flectere.* Accedit quod *lumina vertere* locutio est dubitationi alicui obnoxia, non vero *lumina flectere.*

384 Latine dici posse:

Inque cor hamata percussit harundine Ditem

non credo. Sed quid agam nescio.

390 Frigora dant rami, tyrios humus umida flores.

Vix apta hic *tyriorum* florum mentio, neque multum proficimus Ehwaldi annotatione *tyrios = purpureos.* Sequitur enim vs. 392:

violas aut *candida* lilia carpit

unde fere certum est poetam voluisse quod est in „deterioribus" *varios.*

445 Assentiri Ehwaldo non possum in hisce:

Solis ab occasu solis quaerebat ad ortum

caeli significari regiones. *Tempora* noctis et diei in praecedentibus significantur:

Perque pruinosas tulit irrequieta tenebras

sc. accensas pinus. Deinde

Rursus ubi alma dies hebetarat sidera.

Ergo recipere Heinsii lectionem:

Solis ad occasum solis quaerebat ab ortu

tantum non cogimur. Per noctis tenebras faces illas ingentes circumferebat, ubi alluxit usque ad novas tenebras filiam quaerebat (ad solis lumen scilicet).

460. Repetam hic quae dixi in Albo gratulatorio, quod Herwerdeno amici obtulimus; in paucorum enim manus eiusmodi collectiones pervenire solent. Puer, qui Cererem ante anus cuiusdam fores bibentem deriserat, quomodo dederit poenas sic narrat Ovidius:

Offensa est neque adhuc epota parte loquentem
Cum liquido mixta perfudit diva polenta.

Combibit os maculas, et quae modo bracchia gessit
Crura gerit; cauda est mutatis addita membris,
Inque brevem formam, ne sit vis magna nocendi,
Contrahitur, parvaque minor mensura lacerta est.
Mirantem flentemque et tangere monstra parantem
Fugit anum latebramque petit; aptumque pudori
Nomen habet, variis stellatus corpora guttis.

Versu 460 *pudori* est in optimo codice M, eamque lectionem nunc fere viri docti Ovidio vindicant. At ego, cui ineptissima videretur illa, frustra saepe quaesivi, quae ergo illis vocabulorum *aptum pudori nomen habet* vis esse videretur, donec tandem aliquando me docuit illud vir praestantissimus, qui nuper suavissimo libello quae essent vulgi de linguae ratione opiniones demonstravit: Fridericum Pollium dico. Is enim ad quotidianum quoddam provocat loquendi vitium, quod in familiari sermone saepe committatur. Quod quale sit sic me optime enarraturum arbitror: Iudas nomen nunc male apud omnes mortales audit: sic appellamus eum, qui „absentem rodit amicum, qui non defendit alio culpante", eum denique, qui nihili faciat omnia caritatis vincula, dummodo suo consulat commodo. Quondam autem virum quendam de plebe sic audivi sanctae historiae partem amicis suis enarrantem: „Erat inter Iesu discipulos Iudas quidam: nomen ei Iudas erat, et revera ipse Iudas erat purus putus." Ridiculus profecto error hic est, quem tamen in homine indocto facile feras. At unquam a poeta elegantissimo sic esse peccatum quis credat? Non ego. At credit Pollius, et lectionem codicis M sic defendit: „Nomen Stellio *Ovidii tempore* pervulgatum fuit convicium hominis impudentis et maledici; nunc autem poeta, quo magis commoveat legentium animos, iam aetate fabulosa eam fuisse illius vocabuli vim fingit." Obsecro te, vir praestantissime, num ergo *aptum pudori* posthac significabit *aptum convicio*? Et quomodo illud *variis stcllatus corpora guttis* cum praecedentibus cohaerebit? An quidquam illa verba significare poterunt, nisi *ratio* iis dabitur *nominis* modo dicti? Denique iam mittamus inutiles disputationes; certum enim est et luce clarius, unice verum esse quod est in altera lectione: *aptumque colori*.

Haec etiamnunc vera esse arbitror. Quin autem „maculositas"

(ut novo et subridiculo utar vocabulo) *coloribus* adnumerari possit neque ego dubito neque dubitavit Bentleyus (Ter. Eun. IV, 4, 22).

520 sqq. Verba sunt Cereris de filia rapta querentis Iovi:

Quod rapta, feremus,
Dummodo reddat eam: neque enim raptore marito
Filia digna tua est, si iam mea filia non est.

Ultima in codicibus omnibus, nisi quod in ε *sed iam,* quod nihili est, legitur pro *si iam,* sic habent. Atque sic nunc eduntur. Duplicem autem admittunt interpretationem. Significare enim possunt aut: „si Proserpina iam desiit esse filia mea", quod parum aptum loquenti, aut, id quod editores velle suspicor: „si mea filia iam non est digna praedone marito (quanto minus tua)". Verum ne id quidem Cererem decet, quae hic nobis a poeta depingitur. Contumeliam, qua affecta est, graviter ferens demissum simulat animum; contemni despicique se clamat, sed simul se eam esse fingit, quae impune laedi possit; alia ergo affert argumenta cur reddere praedam suam raptor sit cogendus:

Si nulla est gratia matris,
Nata patrem moveat, neu sit tibi cura, precamur,
Vilior illius, quod nostro est edita partu.

Praeclara haec sunt egregieque mentem referunt humanam, ad quam cognoscendam etiam Porcii Latronis praeceptis adduci poeta noster potuit. Nimis ergo arrogantis est si Ceres nunc tamquam rem certissimam hoc sumit, quod sua filia raptore marito digna non est atque hoc argumento usa demonstrat multo minus Iovis filiam dignam esse. Accedit hoc quod vix significare posse coniunctiones *si iam* videntur aliquid quod a *quoniam* et *quandoquidem* non longe distat; at certo certius est eas non solum significare posse sed etiam tantum non semper significare: „ut concedam". Ergo non dubito quin Ovidius scripserit:

Si iam mea filia digna est.

Quis primus hanc coniecturam protulerit nescio, sed praestantissimam eam esse mihi pro certo constat.

540 sq. Orphne, nympha Avernalis puerum Ascalaphum dicitur

Ex Acheronte suo *furvis* peperisse sub *antris.*

Sic „deteriores" habent codices, sed meliores *silvis* — *atris.* Utris credamus non est difficile dictu.

570 sq. Laeta deae frons est, ut sol, qui tectus aquosis
Nubibus ante fuit, victis e nubibus exit.

Sic „meliores", dure et vereor ne soloece; codex λ pro *e* habet *ubi,* quod venustam nobis structuram reddit. Fortasse tamen praestat *cum* legere, quae coniunctio facile potuit excidere.

Liber VI.

26 sq. Pallas anum simulat: falsoque in tempora canos
Addit et infirmos baculo quoque sustinet artus.

Sic Ehwaldus; sed neque quid illud *falso* (ubi omnes dant *falsos*) sibi velit video et *quoque* non suo positum loco videtur. Equidem inter vs. 26 et sequentem *excidisse* unum versum suspicor.

45 sqq. Sola est non territa virgo.
Sed tamen *erubuit* subitusque invita notavit
Ora *rubor.*

Haeccine in bono poeta feramus? Merk. coniecit *exiluit,* fortasse recte, modo sit huius verbi subiectum *rubor.* Nam si ipsa virgo exsiluit, territa est.

70 sq. Cecropia Pallas scopulum Mavortis in arce
Pingit.

Commemorare hic volo lectionem variam, non quod hic ullius sit momenti, sed quia egregie illustrat emendationem, qua nullam equidem vidi praestantiorem. Apud Lucretium II, 1173 sq. haec praebent codices:

Nec tenet omnia paulatim tabescere et ire
Ad scopulum, spatio aetatis defessa vetusto.

Emendavit *ad capulum* (= ad feretrum, ad sepulcrum) Havercampius. Poterat, ut opinor, una haec emendatio Havercampium

vindicare a conviciis de trivio sumptis, quibus eum laceravit Lachmannus, immo adduci ea Lachmannum oportebat ut criticum illum suspiceret. Si tamen eius in Havercampium cognoscere cupis maledicta: similia sunt huic Lachmanni in Wakefieldium convicio: „Wakefieldus cum grege suo ad glandes rediit". Hoccine effici literarum *humaniorum* studio! Et miramur etiam a Lachmanni fere tempore coepisse illum nostrarum literarum contemptum communem, quo nunc tam vehementer laborant? Nam suos sibi successores in hac certe re Lachmannus habuit. Sed ut ad rem redeam: noster Ovidii versus in codice ε supra *scopulum* scriptum habet *ł ca.* Vides quam facile *scopulus* pro *capulus* et *capulus* pro *scopulus* legi potuerit.

215 Legendum opinor cum Heinsio:

„Desine!" Phoebus ait: „poenae mora longa, querellas".

Moră longa i. e. omnis mora longa cf. 501:

Omnis erit nobis mora longa.

314 sq. cultuque impensius omnes

Magna gemelliparae venerantur numina divae.

Neque olim credidi neque nunc credo Ovidii esse posse *cultu venerantur*. Ecquid *multoque*?

Neque mutavi sententiam de

317 sq. Lyciae quoque fertilis agris

Non impune deam veteres sprevere coloni.

Non tamen hercle me unquam latuit *agris* tamquam locativum accipi posse ut genitivus *Lyciae* non a *coloni* pendeat sed ab *agris*. Sed quam sit languidum istud neminem fugere potest.

468 Ad mandata Prognes et agit sua vota sub illa.

Non fero hic *Prŏgnes* cum semper alibi *Prōgnes* iusta legatur mensura. Nonne:

Ad Prognes mandata et agit sua vota sub illa.

Certe multo minus ingrata elisio in *mandata et.*

513 sqq.

„Vicimus" exclamat, „mecum mea vota feruntur"

Exultatque et vix animo sua gaudia differt
Barbarus.

Versus II 863:

Vix iam, vix cetera differt

et IV 350:

Vixque moram patitur, vix iam sua gaudia differt

satis demonstrant, id quod iam res ipsa docet, *differendi* verbum non admittere iunctum sibi ablativum *animo*. Dubium ergo non est quin sit revocanda lectio e coniectura nata:

Exultatque animo, vix et sua gaudia differt.

537 sq. Cognito Terei facinore Philomela et alia exclamat et haec:

Omnia turbasti, pelex ego facta sororis,
Tu geminus coniunx, hostis mihi debita *poena*.

Iure hic editores egregiam recipiunt Withofii emendationem *Progne*. Vellem simul intellexissent sententiae partem, in qua *nomen* illud *proprium* legatur, non posse referri ad illud *omnia turbasti*, sed per se stare solam et novam cogitationem continere. Et profecto illa:

pelex ego facta sororis,
Tu geminus coniunx'

sufficiunt ad *omnia turbasti* explicandum. Quae ubi protulit, cum singultu addit etiam: *non haec mihi debita Progne*.

Sic enim legendum; sententia est: „non hanc tu mihi Prognen te adducturum pollicitus es".

ł candida
576 Stamina barbarica suspendit pallida tela

sic codices. Ego quidni illud *candida* recipiamus non video, cf. vs. sq.

Purpureasque notas filis intexuit *albis*.

Neque tamen improbo Heinsii *callida*. Merkelii vero

Stamina barbarica suspendit Pallade telae

ne commemorandum quidem erat. Nam texendi ars, qua Progne, regis Attici filia, utitur, nunquam *barbarica* dici potest.

579 Perfectaque (sc. stamina) tradidit uni,
Utque ferat dominae gestu rogat illa. Rogata

Pertulit ad Prognen, nec scit quid tradat in illis.

Soloecum est: „stamina tradit et rogat ut *illa* perferat" pro „stamina tradit et rogat ut perferat". Contra subiectum verbi *pertulit*, quoniam differt a sententiae praecedentis subiecto, non potest in verbo latere. Quoniam autem tam captivae quam captivi a *viris* custodiuntur, certe — nam de his hic cogitandum — ante carcerem excubias agunt viri, haud dubium est quin sit legendum:

Utque ferat dominae gestu rogat. Ille rogata ...

(*ille* est in cod. λ).

629 Sed simul eximia mentem pietate labare

sic codices. Bentleyus

Sed simulac nimia mentem pietate labare.

Veram emendationem nondum inventam opinor. Agitur de Progne, quae sua prole necanda poenas sumere a marito vult, sed pueris aspectis labascit. Requiritur ergo aliquid quod significet: pietas (erga sororem) labascit pietate (erga liberos)". Cf. „rexque patrem vicit", „facto pius et sceleratus eodem" aliaque ex hoc genere quod Ovidio fuit in deliciis.

660 Nec tempore maluit ullo

Posse loqui et meritis testari gaudia dictis.

Agitur de Philomela, quae Tereo Ityos caput „in ora misit". Nunquam adducar ut credam *meritis* sanum esse, non enim *merita dicta* significare potest id, de quo cogitare videntur editores: „verba digna (tanto gaudio)". Neque eiusmodi aliquid hic requiritur; sufficiat: „nihil Philomela mavult quam verbis gaudia testari". Optimum factu erit codicis Gothani lectionem *mentis* in textum recipere.

674 Rectissime Riesius hunc versum

Nomen epops volucri, facies armata videtur

delevit. Nimis enim absurdus est. Ex eadem prodiit officina e qua II, 611 et VI, 294.

701 Se ipsum Boreas et aliis verbis adhortatur ut Orithyiam rapiat et hisce:

Hac ope (sc. vi) debueram thalamos petiisse, socerque
Non orandus erat mihi sed faciendus Erechtheus.

Pro *erat mihi* Heinsius *sed vi,* Bothius *vi sed* coniecerunt. Speciosius, ut opinor, quam verius. Nudum *faciendi* verbum optime hic *orandi* verbo opponitur, et nimis saepe substantivum quod est *vis* nobis obtrudi non ferimus. Nam paulo ante 690 sq. iam ex egregiis Heinsii emendationibus et utique recipiendis legitur:

Apta mihi vis est: ví tristia nubila pello,
Vi freta concutio e. q. s.

Liber VII.

55 sqq. Medea secum deliberat faveatne Iasoni et cum eo fugiat, an illum sorti suae relinquat et in sua maneat patria:

Non magna relinquam,
Magna sequar: titulum servatae pubis Achivae
Notitiamque loci melioris et oppida, quorum
Hic quoque fama viget, cultusque artesque *locorum.*

Dubium non est quin pro *locorum* recipienda sit altera lectio *virorum.* Nimis enim dura est repetitio: *loci* — *locorum.* Qui autem hanc vitantes pro *loci* legunt *soli,* Medeae deliberationem praebent non amore incensae virginis sed cauti diligentisque agricolae.

144 sqq.

Tu quoque victorem complecti, barbara, velles:
Obstitit incepto pudor. Át complexa fuisses,
Sed te, ne faceres, tenuit reverentia famae.

Nimiam verbositatem vulgo editores vitant resecando vs. 145. Aliquanto verisimilior simulque venustior mihi videtur haec versuum 145 sq. emendatio:

Obstitit incepto pudor et reverentia famae.

168 Deme meis annis et demptos adde parenti.

Unice verum mihi videtur:

Deme meis annos et demptos adde paternis.

194 sq. Tuque triceps Hecate, quae coeptis conscia nostris
Adiutrixque venis, cantusque artesque magorum.

Quo consilio editores hic relictis codicibus legant *artisque* me fugit: certe non possunt a *conscia adiutrixque* pendere et dativus et genitivus. Quod Medea simul cum diis etiam artes cantusque magicas alloquitur nihil habet insoliti.

222 sq. Thessala Tempe
Despicit *et cretes* regionibus adplicat angues.

Et certis non est Madvigii coniectura sed lectio iam Burmanno probata. Mihi unice verum visum est semper: *Oetaeis*. Quid enim aptius quam cum Ossa Pelio Othry Pindo Olympo etiam *Oetam* commemorare? Non potuit hic de eo sileri.

225 sq. Et quas Ossa tulit, quas altum Pelion herbas
Othrysque et Pindus, quas Pindo maior Olympus,
Perspicit.

Utinam loci vexatissimi diu perstet elegantissima haec lectio, quam primus Ehwaldus proposuit!

276 His et mille aliis postquam sine nomine rebus
Propositum instruxit mortali barbara maius.

Etiamnunc alter versus corruptus videtur. An quod VIII, 573 (quem locum Ehwaldus affert) legitur: *mensas epulis instruxit*, continuo inde sequitur etiam *propositum instruere rebus* recte dici? Et illud *mortali maius* nimis languidum est nimisque contortum.

308 Suspenditque animos ficta gravitate rogantes.

Quoniam *animos rogantes* nihili est, recipienda altera lectio *rogantum*.

464 Florentemque tyron cyprum planamque Seriphon

sic codices. Inde Birtius effecit:

Florentemque tyro Cythnum plantaque Seriphon

atque hoc *emendare* vocat Kornius. Aliquanto melius Ehwaldus edidit:

Florentemque thymo Syron planamque Seriphon.

502 Cecropidae Cephalus peragit mandata.
Legendum cum Heinsio *Cecropidum*, si quidquam in nostra arte certum, certum fit collato vs. 492 sq.

Attica puppis adest
Quae Cephalum *patriaeque* simul mandata ferebat.

532 Letiferis calidi spirarunt *aestibus* austri.
Donec me docuerit aliquis quid sit *aestibus spirare*, cum Heinsio legam *flatibus*.

554 sqq.

Viscera torrentur primo, flammaeque latentis
Indicium rubor est et ductus anhelitus *igne*.

Sic (vel *igni*) est in codd. Quid sit *anhelitum ducere igne* dicat qui novit. Ignorare se Ehwaldus fatetur edens

Indicium rubor est et ductus anhelitus; igne
Aspera lingua tumet.

Sed neque *ductus anhelitus*, si nullum accedit adverbium, morbi est indicium, et *lingua igne tumens* est lingua bubula quae in patina assatur. Verum vidit Heinsius: „ductus anhelitus aegre”.

574 sqq. Fugiuntque penates
Quisque suos, sua cuique domus funesta videtur,
Et quia causa latet, locus est in crimine parvus.

Sic est in codicibus, lectionem *locus — parvus* defendit Ehwaldus monendo Thucydide auctore revera angustias loci, quo contracti erant cives, pestilentiae fuisse causam. Quasi vero de Thucydide hic cogitet Ovidius et homo non barbarus putare potuerit *στενοχωρίαν* latine esse *locum parvum*. Sed hoc gravissimum quod, si *veram* aliquam causam hic Ovidius attulisset, suum ipse perturbasset consilium. Notat homines qui, sicut semper et hic, putent locorum mutationibus vitari posse miserias. Quid ergo praestantius quam altera lectio

Et quia causa latet, locus est in crimine notus.

Quam egregie hic *latet* et *notus* inter se opponuntur. Quam pulchre totus versus concinit cum praecedentibus.

580 sq. Hos versus Heinsius et Schraderus proscripserunt,

sed utique sunt retinendi. Narrationem de aegrotantium doloribus egregie claudunt et more illo Ovidiano de quo supra (p. 44) diximus, dummodo certissimam recipiamus Riesii emendationem:

Membraque *perdentis* tendunt ad sidera caeli
Hic illic, ubi mors deprenderat, exhalantes

pro *pendentis*. Cf. initium narrationis vss. 528 sq.

Principio *caelum* spissa caligine terras
Pressit.

612 Cum Heinsio legendum:

Natarum matrumque animae iuvenumque senumque.

Eodem redit quod Ehwaldus Pollium secutus edidit:

Matrumque nuruumque animae iuvenumque senumque

sed displicet illa voculae *que* in *priore* parte versus productio.

635 sqq. Non magnopere obsto quominus cum Ehwaldo legamus:

Ante oculos eadem mihi quercus adesse
Et ramis totidem totidemque animalia ramis
Ferre suis visa est.

Tamen ille ablativus qualitatis *ramis totidem* obscuritatis habet aliquid quae suum requirat grammaticum. Ipsum Ovidium nobis exhibet codex ε:

Et *ramos* totidem e. q. s.

741 Madvigium secutus Ehwaldus edidit

Exclamo male victor: „adest, mala, fictus adulter".

Sed neque nunc *male victor* suam sibi in sententia obtinet sedem, et ingratissimum est *male — mala*. Quid sit legendum incertissimum, vide Ehwaldi Appendicem criticam.

763 Male ab exilio retractus est ab Ehwaldo versus

Scilicet alma Themis nec talia linquit inulta

qui est in cod. M a m. 3.

769 Copula detrahitur canibus, quas illa sequentes
Effugit et centum non segnior alite ludit.

Sic Ehwaldus edit. Quid istud *centum* sibi velit rogas? Adest idem et: „trotz ihrer Menge" annotat. Non, opinor, tam obscure loquitur Ovidius. Rectius Merkelius *et celeri*.

826 sq. „Procrin meam" sic Cephalus narrat „adiit aliquis, qui verba quaedam mea, e quibus effecerat Nympham aliquam a me amari, ei renuntiavit". Tunc sic narrare pergit:

Credula res amor est: subito collapsa dolore,
Ut mihi narratur, cecidit longoque refecta
Tempore se miseram, se fati dixit iniqui.

Sic est in codicibus et sic editur ab Ehwaldo. At istud *ut mihi narratur* quo referamus nescimus. Quis id Cephalo narravit? Ipsane moribunda? At parum hoc credibile. An postea servorum aliquis? At opusne erat eiusmodi rei nuntio? Nonne id facile sibi potuit ante oculos ponere Cephalus ipse? Quod proposuit Heinsius „ut *sibi* narratur" soloecum videtur, et, nisi est, tamen plane est supervacuum. Sed — nam hoc gravissimum — „collapsa cecidit": quis unquam sic est locutus? Quo magis locum contemplor, eo mihi fit certius Ovidium dedisse:

Credula res amor est: cecidit longoque refecta
Tempore e. q. s.

Quod cum alicui nimis exile videretur, priorem versum sic explevit *subito collapsa dolore*, et secundo assuit pannum *ut mihi narratur*, quem putabat sine ullo detrimento assui posse.

836 Egredior silvamque peto, victorque per herbas
„Aura veni" dixi.

Vidit Merkelius nihil esse *per herbas* nisi aliquod participium accederet ergoque *pererrans* proposuit, admodum infeliciter, nam nullus venator *victor* dici iam potest cum *prima luce* (v. vs. 835 „Postera depulerant Aurorae lumina noctem") silvas *pererrat*, non, hercle praedam reportans sed praedam quaerens vestigansque. Suspicor quaedam hic excidisse et sic fere scripsisse Ovidium:

Egredior silvamque peto, praedaque potitus,
Dum stratus frigus capto requiemque per herbas.

Liber VIII.

8 sqq. Nisus .... cui splendidus ostro
Inter honoratos medioque in vertice canos
Crinis inhaerebat, magni fiducia regni.

Plura hic displicent: repetita praepositio in hisce: *in vertice inhaerebat*, ipsum *inhaerendi* verbum, coniunctio *que*, quae totam orationem facit soloecam: „erat huic inter canos in medio capite crinis purpureus" hoc latinum est, non vero „inter canos in *medioque* capite". Huic certe incommodo, quod omnino ferri nequit, „deteriores" medentur codices praebendo *medio de vertice* sed simul monet praepositio *de* in horum codicum exemplo *inhaerendi* verbum non fuisse. Scripsisse Ovidium suspicor:

Pendebat crinis, magni fiducia regni.

Pulcherrimus hic erit versus „contemplativus", quem sui quatuor spondei egregie deceant.

60 sqq. Et puto, vincemur; qui si manet exitus urbem,
Cur suus haec illi reseret mea moenia Mavors
Et non noster amor?

Sic nunc hunc locum exhibet Ehwaldus, multo certe melius quam qui pro *qui si manet* edunt *quis enim* et *cum* pro *cur*. Unus tamen remanet scrupulus: „*haec mea* moenia" languidum neque huius loci est. Tollit hunc Heinsius legendo *reserabit* pro *reseret mea*. Sed coniunctivo hic utique opus. Alio verbo Ovidium usum esse arbitror.

62 sqq. Melius sine caede moraque
Impensaque sui poterit superare cruoris.
Non metuam certe, ne quis tua pectora, Minos,
Vulneret imprudens.

Si ne periculum quidem est ne quis imprudens Minoem vulneret, ineptientis est illud *sui cruoris* praemittere. Neque sani hominis est Scyllam sic pergentem inducere:

Quis enim tam durus ut in te
Dirigere immitem non inscius audeat hastam?

Dubium esse non potest quin sic Scylla ratiocinetur: „imprudens

te vulnerare aliquis potest, sed quis tam durus [1]) ut consulto faciat illud?" Ergo tam certum est legendum hic esse *nam metuam certe*, ut operarii culpa in Ehwaldi editione perstitisse *non* suspicer. Etiam *certe* cum *nam* recte iungitur, non vero cum *non*.

78 sqq. Opus est mihi crine paterno.
Illa mihi est auro pretiosior, illa beatam
Purpura me votique mei factura potentem.

Aliquanto mihi elegantior videtur codicis λ lectio *ille*. Praestat eodem pronomine primum respicere praecedentia, deinde sequentia.

116 sqq. Cives odere merentem,
Finitimi exemplum metuunt, *exponimur orbe*
Terrarum nobis ut Crete sola pateret.

Sic cod. M a prima habet manu. Pro insano isto *exponimur orbe* multi multa tentarunt. Quid requiratur certum est: aliquid quod *patendi* verbo oppositum est. Opponuntur autem inter se *patet* et ... *clausum est*, vel *obstructum est* [2]). Quis ergo non hic coniiciat *obstruximus orbem*? Quod cum sit in codice λ, quidni ambabus arripiamus manibus? An aptas, sinceras, ab omni parte probabiles lectiones hanc unam ob causam respuamus quod in „deterioribus" legantur codicibus? Mihi iusta ea causa videtur quaerendi iurene „deteriores" illi dicantur.

122 sqq.
Nec Iove tu natus, nec mater imagine tauri
Ducta tua est genitrix, falsa est ea fabula, verum
Et ferus et captus nullius amore iuvenci
Qui te progenuit taurus fuit.

Sic est in cod. M, supra *genitrix* scripto per compendium *generis*. Leviores discrepantias mittere possum: utrum *dúcta* an *lusa* legamus parum refert et ex hoc genere sunt omnes. Quod ple-

---

1) *Durus* legendum i. e. sine sensu et omnis humanitatis expers, non *dirus*. Ehwaldus quid voluerit typothetae error dubium facit: in eius enim editione est *duris*.

2) Cf. vs. 186: „Terras licet" inquit „et undas
Obstruat, at caelum certe *patet*".

rumque editur: *generis falsa est ea fabula,* me iudice ferri nequit: „falsa est *ea* fabula" nullum admittit vocabulum quod praeterea illud *fabula* exornet. Neque longa utar disputatione, sed recepta praeclara Merkelii emendatione *verus* (pro *verum*) hanc, quae sola Ovidio digna videtur, propono lectionem:

Nec Iove tu natus, falsi nec imagine tauri
Ducta tua est genitrix — falsa est ea fabula — verus
Et ferus e. q. s.

Cum *falsi imagine tauri* cf. III, 1: „fallacis imagine tauri".

138. Abeuntem cernens Minoem et alia lamentatur Scylla et haec:

Me miseram, properare *iubet*, divulsaque remis
Unda sonat.

Non sollicitanda haec codicis M lectio, pro qua Kornius *iuvat* quod supra scriptum est, recipit. Requiritur enim aliquid quod suis adspicere oculis possit Scylla. Videt autem Minois iussu iam vela expandi. Cf. XIII, 419:

iubet uti navita ventis

ubi in ipso codice legitur *iuvat.* Vides quam facile haec inter se permutentur.

157 Destinat hunc thalami Minos removere pudorem

De Minotauro agitur, qui rectissime dicitur pudor *thalami* i. e. Minois connubii sive Pasiphaes pudor. Non ergo *thalami* tentandum, licet in codice M litera *i* sit in rasura.

162 Non secus ac liquidis Phrygius Maeandros in undis
Ludit.

Nihil hic mutandum monet Ehwaldus propter Senecam, sed neque apud Senecam est *liquidis undis,* neque quisquam sanus homo sic unquam est locutus. Unice mihi placet *liquidos* .... *in arcus* quod et Heinsio placuit.

279. Iratae Dianae haec verba sunt:

At non impune feremus,
Quaeque inhonoratae non et dicemur inultae.

Impune fert qui deliquit, non is qui iniuriam accepit, et est

locutio in Ovidio admodum frequens. Quem hic errasse non est verisimile, at facile librarius sequente *dicemur* in errorem potuit induci. Lege ergo *impune feretis.*

284 sqq.

Sanguine et igne micant oculi, riget horrida cervix,
Et setae similes rigidis hastilibus horrent,
Stantque velut vallum, velut alta hastilia setae.

Ferri non posse ét 285 ét 286, sed aut ambos esse eiiciendos aut certe alterutrum, nunc omnes consentiunt. Equidem 286 retinendum censeo, in quo offensionis nihil est, quique apte — id quod non facit 285 — versum 284 excipit. Quominus ambos damnem hoc prohibeor argumento quod non credam hunc poetam, cui tanti semper fuerit ars topica, cum de *apro* ageretur, a se impetrare potuisse ut *setarum* nullam faceret mentionem.

539. Mortuo Meleagro sorores eius primum lamentantur, et

Post cinerem cineres haustos ad pectora pressant.

Etiam atque etiam deliberandum sitne credibile haec sic ab Ovidio scripta. Egregii sunt prae hisce ineptiis versus illi, quos Albinovanus cum amicis optimo iure in Ovidio reprehenderunt. Quod illustrandi causa e L. XIII affert Ehwaldus: „videoque tuum mea vulnera vulnus" (vs. 495) vereor ut satis afferat praesidii, nam in illo loco acuminis aliquid inest, in hoc vero nihil. Hoc quoque accedit quod post ista (537 sq.):

Dumque manet corpus, corpus refoventque foventque,
Oscula dant ipsi, posito dant oscula lecto

aliquas exspectamus coniunctiones, quibus significetur multo maiorem exstitisse luctum cum corpus flammis esset absumptum (e. c. *ut vero* crematum est corpus), non languidum hoc et exile asyndeton. Omnia denique eo ducunt ut suspicer aliquem versum cum secundi versus initio excidisse, et sic fere scripsisse Ovidium:

Ut vero caros artus absumpserat ignis,
Attonitae cineres haustos ad pectora pressant.

596—609. Delendos hic esse versus duodecim iam constat inter viros doctos, neque ego obloquar. Quod tamen annotat

Kornius ista diversis temporibus a diversis haud ita bene disposita esse, minus mihi accurate dictum videtur. Nihil enim in hisce:

In quo desinimus, quo sacri currimus amnes,
Huc ades atque audi placidus, Neptune, precantem.
Huic ego quam porto nocui, si mitis et aequus,
Si pater Hippodamas aut si minus impius esset,
Debuit illius misereri, ignoscere nobis,

vel in his:

Cui quondam tellus clausa est feritate paterna,
Hanc quoque complectar. Movit caput aequoreus rex
Concussitque suis omnes assensibus undas.
Extimuit nymphe: nabat tamen. Ipse natantis
Pectora tangebam trepido salientia motu
Dumque ea contrecto, totum durescere sensi
Corpus et inductis condi praecordia terris,

video quod Ovidio plane sit indignum, sed multa quae ab alio scribi potuisse non credam. Hic quoque evenisse aliquid non diversum ab ea re suspicor, de qua ad I, 544 egimus. Versus sat multos huic loco aptos raptim, labore egregie procedente, in chartam poeta coniecerat, sed nondum secum statuerat quos illorum retineret, quos abiiceret: aliquos esse abiiciendos constabat tamen. Exemplar autem nondum expurgatum in manus amicorum pervenerat. In editionibus nostris omnia ista ferri non possunt, nam, quod rectissime observat Ehwaldus, versus qui a *dum loquor* incipit statim ipsam orationem directam debet excipere, recteque statuisse illos censeo qui sic ediderint:

Excepi nantemque ferens „o proxima mundi
Regna vagae" dixi „sortite tridentifer undae,
Affer opem, mersaeque, precor, feritate paterna
Da, Neptune, locum; vel sit locus ipsa licebit."
Dum loquor e. q. s.

Si quis tamen mea spreta sententia de interpolatore hic cogitare mavult, huic ego adversario ultro affero argumentum, fortasse non leve. Simillimus est hic locus illi e libro I de quo modo dicebam: utrobique undarum numen imploratur. Non ergo sine veri specie quadam contendere possit aliquis eundem utrobique teneri falsarium, quem eiusmodi praesertim exornare locos iuvaret. At mihi contra opem fert conditio versuum 651—656, sicut in

quibusdam sunt traditi codicibus. Hic quoque ipsum potius poetam agnosco dubitantem, quam interpolatorem sua commenta temere inserentem.

679 sqq. Hiat aliquid in hisce:

Interea totiens haustum cratera repleri
Sponte sua per seque vident succrescere vina:
Attoniti novitate pavent.

Neque tamen probaverim editionis Aldinae lectionem *quotiens.* Videant doctiores!

693—7. Hic quoque perturbatio quaedam deprehenditur, quam interpolatoris culpa natam nunc viri docti censent. Equidem facilius mihi fingo ipsum poetam certo aliquo die in pangendis versibus eidem obnoxium vitio, quam falsarium, qui prae ceteris certam certi libri partem elegerit cui, nulla re coactus, suos versiculos vel assueret vel insereret.

713 Ante gradus templi cum starent forte locique
Narrarent casus.

Quid aptius, quidve venustius quam τὴν καταστροφήν fabulae fieri dum eius personae res ante actas sibi in memoriam revocant? Communis hic omnium poetarum locus, sed prae ceteris dilectus Ovidio. Ut ex ingenti exemplorum copia unum afferam: XI, 712 sq.:

Dumque moratur ibi dumque ...
Dumque notata locis reminiscitur acta, fretumque
Prospicit, in liquida, spatio distante, tuetur
Nescioquid quasi corpus aqua.

Sed quominus hic flosculo illo Ovidiano tuti laetaremur obstitit Merkelius et nobis *locoque navarent curas* obtrusit. Quasi vero a stantibus aedium sordes pulvisque removeantur. Alia omnia paulo ante experti sumus (ineunte mense Iunio haec scribo). Et illud *casus,* quod quam egregium sit nemo non sentit, in codicibus est omnibus, *curas* e coniectura natum est: quid ergo posthac tutum iam erit a praepostera doctorum sapientia? Sed adest Ehwaldus, vir sani iudicii, qui omnia ista respuat et *narrarent casus* ab exilio revocet. Nam quod Kornius edidit

narrarent curas, id quidem plane nihili est. *Casus* locus est expertus, *curas* non sensit, nam puncto temporis palude est mersus. Quod autem ad verbum attinet: in M est *narrarent*, in λ *narrassent*, quod minus aptum. Sed videndum an non utrique lectioni praestet id quod est in N *inciperent*: huic verbo explicandi causa adscriptum esse *narrarent* admodum est verisimile. Contrarium non item.

721 sqq. Narrationem suam de Philemone et Baucide sic concludit Lelex:

Haec mihi non vani, neque erat cur fallere vellent,
Narravere senes. Equidem pendentia vidi
Serta super ramos, ponensque recentia dixi:
„Cura deum di sint, et qui coluere colantur".

Quis ultimo versui non adstupeat, quis non ea sibi legere videatur quae mortalium nemo unquam sit intellecturus? Non audet tamen dubitare quin sic scripserit Ovidius, nam videt Heinsii lectionem hac editorum annotatione reiici: „Sed cf. Lachmann ad Lucret. p. 253", atque ne hiscere quidem audet. At quid illud est quod sacro illo ore edatur? Audi: „*cura deum di sint*, id est: sint nobis deorum loco quos ipsi dei sua cura dignati sunt, *et qui coluere colantur*". Ergone novum cultum atque adeo novam theologiam Lelex instituit? Non opinor. Omnis eius sapientia redit ad notum illud prudensque:

Discite iustitiam moniti et non temnere divos

et hoc est quod praeclara sua emendatione Ovidio reddidit Heinsius:

Cura pii dis sunt et qui coluere coluntur.

805. Sic Fames describitur:

Ventris erat pro ventre locus, pendere putares
Pectus et a spinae tantummodo crate teneri.
Auxerat articulos macies genuumque tumebat
Orbis, et immodico prodibant tubere tali.

In cod. M vs. 805 verba *pendere putares* sunt in rasura, „in qua olim fuisse constat" (Kornius ait) „genuumque tumebat". In margine a m. 2 haec sunt (omitto autem vitia leviora et dudum sublata):

Pectus et a spinae tantummodo crate teneri.
Auxerat articulos macies genuumque tumebat.

Ne quis autem hinc efficiat non esse Ovidii duos hos versus, rem sic se habere palam est: librarius cod. M a *locus* aberravit ad *genuumque tumebat* et sic totum vs. 806 cum maiore parte vs. 807 omisit. Postea aliquis corrigendo fine versus 805 et adscribendis versibus 806 et 807 vitium sanavit.

875 sq.

Vis tamen illa mali postquam consumpserat omnem
Materiam, dederatque gravi nova pabula morbo.

Quin recte Burmannus pro *dederatque* coniecerit *deerantque* dubium esse non potest. Consideret modo aliquis quam necessarium sit, si tradita retineatur lectio, sententiam supplere aliquo vocabulo qualia sunt *usque, semper, tantummodo,* quae quis cogitando suppleat? Et quam egregie *consumpserat* et *deerant* inter se iunguntur.

Liber IX.

57 sq. Vix tamen inserui sudore fluentia multo
Brachia, vix solvi duros a corpore nexus.

Quoniam hic Achelous narrat quomodo removere conatus sit Herculem, cum in certamine ille tergo suo inhaesisset, etiam atque etiam videndum est sitne recipienda codicis *ε* lectio *pectore*. Quid enim magis huic loco aptum, quid magis egregium pictorem decet? Contra *corpore* languidissimum est. Et si quis metamorphoseon annotationes criticas pervolverit, videbit tam frequentem esse confusionem formarum *corpore* et *pectore* ut nostri videri possit arbitrii esse utrum horum singulis legendum locis sit.

70 sq. nec ullum
De centum numero caput est impune recisum
Quin gemino cervix herede valentior esset.

Estne hoc latinum *nullum de centum numero caput?* Veram lec-

tionem equidem servatam censeo in „deterioribus" et in codicis M manu altera: *comitum*, quod quam facile sede sua pelli potuerit annotatione *centum* (ad *numero*) quivis videt. Capita hydrae inter se comites appellare flosculus videtur vere Ovidianus.

110 sqq.

„Officio"que „meo ripa sistetur (Deianira) in illa"
„Haec" ait (Nessus) „Alcide, tu viribus utere nando",
Pallentemque metu fluviumque ipsumque timentem
Tradidit Aonius pavidam Calidonida Nesso.

Si in his subiectum maneret idem (si e. c. vs. 113 legeretur: „imposuit tergo pavidam Calidonida Nessus") egregius esset hic versuum ordo. Sed quoniam mutatur subiectum et poeta post Nessi orationem sic narrare pergit: „decipi se passus est Hercules", dubium esse non potest quin recte in cod. λ vss. 112 sq. inverso legantur ordine.

115—119. Ne quis putet eam esse codicis M praestantiam ut quos ille omittit versus semper sint alicui obnoxii dubitationi, observet hos versus, quibus carere non possumus quin omnia dilabantur, in cod. M legi in margine et 115 quidem a prima, 116—119 ab altera manu.

124 Si te nulla mei movit reverentia, at orbes.
Ingratam synizesin vitant „deteriores" *reverentia movit* legendo.

153 In cursus animus varios abit.
Donec alia mirae huiusce locutionis afferantur exempla, cum D. Heinsio recipiamus codicis Palatini lectionem: „incursus animus varios habet". Nulla est in codicibus frequentior confusio quam ista inter *habet* et *abit*.

176 *tollens* ad sidera palmas.
Rectissime Ehwaldus hic Heinsii coniecturam *tendens* recepit.

179 sq. Vel si miserandus et hosti,
Hoc est, si tibi sum, diris cruciatibus aegram
Invisamque animam natamque laboribus aufer.

Hanc codicum lectionem retinuit Ehwaldus: vellem docuisset usquam alibi apud Ovidium quidquam legi quod tam pedestre esset et sic humi reperet. Pulcherrimum est quod antea vulgo edebatur:

v. s. m. et hostis,
(Hostis enim tibi sum) e. q. s.

Hostis est in cod. *ε*, cetera omnia facile librarii errore abire potuerunt in ea quae codices praebent.

318. Galanthis Alcmenae ancilla deceperat Iunonem:

Ridentem prensamque ipsis dea saeva capillis
Traxit et e terra corpus relevare volentem
Arcuit.

Ipsis nihili esse etiam post Ehwaldi observationem: „*ipsis* weil vorher (vs. 307) auf ihr Haar hingewiesen war" contendere pergo. Si illo versu 307 Galanthis inducta esset glorians et superbiens suis capillis, praesidium inde peti posset, nunc non potest, nam nihil aliud ibi legitur quam:

Una ministrarum, media de plebe, Galanthis,
Flava comas, aderat, faciendis strenua iussis.

Iure ergo Iuno si eam *manibus* arripuisset, *ipsis manibus* eam arripuisse dici poterat, sed *ipsis capillis* nil habet quo referatur. Deinde pro *e terra* utique legendum *a terra*.

327. Optimo iure hic Ehwaldus codicis λ lectionem recepit *vestro* (non *nostro*). „Ego" ait Deianira, meam sororem in arborem conversam lugeo, te

alienae sanguine vestro
Rapta movet facies.

Recte sic duae res inter se opponuntur. Quid sibi velint editores, qui *nostro* exhibent, in tenebris latet.

506 sq. Quoniam tota Byblidis suasoria sic est disposita ut inter se excipiant argumenta cur amori indulgeat et argumenta cur amorem fuget, videndum annon hi versus:

Et tamen arbitrium quaerit res ista duorum.
Finge placere mihi, scelus esse videbitur illi

quibus amori suo resistit, a sua aberrarint sede. Proxime enim praecedunt haec:

Aut nostro vetitus de corde fugabitur ardor,
Aut hoc si nequeo, peream precor,

quae sunt in eandem sententiam disputantis, et itidem amori cedere nolentis.

529 sq.

Scripta „soror" fuerat: visum est delere „sororem"
Verbaque correctis incidere talia ceris.

Non antea *corriguntur* cerae, deinde pro vitiosis ea iis inscribuntur verba, quibus opus est, sed ipsum hoc vera pro falsis scribere est corrigere. Pro *correctis* hic requiritur participium id indicans quod fit cum vocabula quaedam sunt deleta: tum cera denuo *plana* est facienda. Ipsum vocabulum non praesto.

557 sqq.

Nec nos aut durus pater aut reverentia famae
Aut timor impediet: tamen ut sit causa timendi,
Dulcia fraterno sub nomine furta tegemus.

Minime inepta haec lectio *tamen ut*, e coniectura nata. Nescio tamen an praestet codicum lectionem *tantum* retinere, utpote quae eandem sententiam eo sermone referat qui vel maxime Byblidem deceat; *tamen ut* languidius est. *Utinam modo sit causa timendi*: „utinam modo fiant ea quae latere malimus": hoc virginis est insano amore abreptae. Neque quidquam interest inter *tantum sit* et *utinam modo sit.*

570. Scriptis literis Byblis famulum vocat et
„fer has, fidissime, nostro"

ait. Praestantissimam lectionem *fer has* debemus „deterioribus" codicibus, nam in „optimo" M est *feras*, quod falsissimum est, sed ut tam egregie corrigatur, aut Bentleyum aliquem requirit aut exemplum minus corruptum. Sive autem hoc sumimus sive illud, sequitur ut „deteriores" illi permagnam habeant auctoritatem.

652 sq. Bybli, iaces frondesque tuo premis ore caducas.
Saepe etiam nymphae teneris Lelegeides ulnis
Tollere conantur e. q. s.

Et ipsa grammatica (carere enim suo obiecto *tollendi* verbum non potest) et usus Ovidii (cf. III 564: hunc avus, hunc Athamas, hunc cetera turba suorum corripiunt), nos cogunt pro *etiam* probare „deteriorum" lectionem *illam*.

654 sq. Continuo sequitur:
Saepe ut *moderetur* amori
Praecipiunt.

Sic habet cod. h, in λ et ε est *mederetur*, M habet *medeatur*. In promptu est „historiam morbi" (ut aiunt medici) exponere. Scripserat Ovidius *moderetur* (cf. IV, 234 *moderatus amor*). Calami lapsu id abiit in *mederetur*, quod, ut constaret ét metrum ét consecutio temporum, παραδιορθώσει in *medeatur* est correctum scilicet. *Moderari* amori femina solito fortior potest, *mederi amori* ille solus qui cum amatur redamat, vel etiam saga aliqua.

688. Isis hic dicitur venisse „pompa comitata *sacrorum*". Immo cum Heinsio *suorum*. Hominum non rerum nomen requirit tam substantivum q. e. *pompa* quam *comitandi* verbum.

724 Quamque virum putat esse, suum fore credit Ianthe.
Lepidissime sic editiones veteres; *suum* sc. *virum*, quod primum adscriptum, deinde in textum receptum, ridiculum istud
Quamque *virum* putat *esse virum fore* credit Ianthe
peperit, quod nunc edi solet.

729. En iterum versum, a codicis M librario errore (sic enim censeo) omissum:
Parcere debuerant, si non et perdere vellent
quem ab Ehwaldo iure postliminii revocatum vehementer gaudeo.

751 sq. Ipsam Iphidem sic poeta alloquitur:
Non te custodia caro
Arcet ab amplexu, non cauti cura mariti.

Absurdum videtur, cum id aetatis puellam alloqueris, *mariti* mentionem facere; contra aptissimum est quod probavit Burmannus *magistri.*

Liber X.

38 Quod si fata negant veniam pro coniuge.
Rariorem loquendi rationem egregie illustrat XI, 400 sq.

Thetis hanc pro coniuge supplex
Accepit veniam.

50 Hanc simul et legem Rhodopeius accipit *Orpheus.*
Languidissimum istud, sed solum Ovidio dignum quod coniecit Heinsius *heros.*

114 sqq. Bulla super frontem parvis argentea loris
Vincta movebatur, parilique aetate nitebant
Auribus e geminis circum cava tempora bacae.

Ut istud *parilique aetate* tueantur viri docti sententiam incidunt post *aetate* et provocant ad morem Romanum bullas dandi infantibus modo natis. Sed quid istud nostro loco affert decoris? Ut taceam minime e verbis nunc apparere eadem *cum puero* aetate bullam istam fuisse. Et quam ingrata dispositio verborum: „vincta movebatur parilique aetate"! Balbutientis istud est. Mihi pro certo stat totum istud *parilique aetate* inde natum esse quod librarius intempestive recordaretur versus

Sed pia Baucis anus parilique aetate Philemon

quo nullum totis Metamorphosesin notiorem fuisse opinor, et cum Heinsio legendum:

Vincta movebatur, parilique ex aere nitebant
Auribus e geminis e. q. s.

Argenteas etiam bacas fuisse, hoc addere debebat Ovidius neque quidquam erat quod mallet.

132 sqq. Quae non solatia Phoebus
Dixit *ad hunc* leviter pro materiaque doleret
Admonuit.

Corrupta haec; quomodo emendentur non tam curo quam laetor quod importunum istud Merkelii commentum „dixit *ut utiliter* p. m. q. d." iam nusquam comparet. Nulla autem lectio probanda est in qua pronomen *hunc* servetur. Cumque necessario verba *dixit* et *admonuit* aliquo inter se iungenda sint vinculo, nihil verius esse apparet lectione codicis λ: „dixit et ut leviter". Neque tamen prorsus improbo Ehwaldi lectionem:

Quae non solacia Phoebus
Dixit! ut hunc, leviter pro materiaque doleret
Admonuit.

In qua *ut* est exclamantis. Nisi quod duplex illa exclamatio mihi quidem parum venusta videtur.

157 sq. Nulla tamen alite verti
Dignatur, nisi quae posset sua fulmina ferre.

Posset, quidni *possit*? An altius haeret vitium, et hic quoque „deteriores" verum servant: „n. q. portet sua fulmina terrae"?

174 Iamque fere medius Titan venientis et actae
Noctis erat.

Recte dictum hoc foret si de noctis numine, non de sole hic sermo esset. At nunc cum cod. ε legendum *lucis*.

177 Latique ineunt certamina disci.

Ut concedam discum fuisse *latum*, vel certe dici potuisse, quid ornamenti istud adiectivum huic loco affert? Quidni *laetique*? quod ét. ad *discum* aut, idque melius, ad *ludentes* potest referri.

202 sq. Atque utinam merito vitam tecumque liceret
Reddere.

Si sic legimus, quid isto *que* faciamus frustra quaerimus. Idem usu venit in *ve*, quod M habet; sed *ve* illud monet nihil probari, immo ferri posse, nisi quod pro *merito* habent „deteriores": *pro te*. Hoc est poetae nihil omittentis quod apte illustrandi causa possit afferre: „pro te vel tecum mori vellem".

295 sqq. Volens volenti virgo, ex eburna vera virgo facta, nubit Pygmalioni;

iamque coactis
Cornibus in plenum noviens lunaribus orbem
Illa Paphon genuit, de qua tenet insula nomen.
Editus hac ille est, qui, si sine prole fuisset,
Inter felices Cinyras potuisset haberi.

Primo aspectu vehementer arridet Suchierii opinio versum 297 esse delendum. Nam humi repit istud: *illa — nomen,* et si quis sciolus hanc suam sapientiam addere voluit, sponte fere existebat hexameter. Sed, ut mittam quae viri docti hic annotant de Callimacho et Philostephano deque Alexandrinorum μετονομασίαις (cognitu enim utilissimae eiusmodi res sunt, sed in re critica πειθανάγκην non habent), minime Ovidianus sic nascitur ad novam fabulam transitus. Ipsum vero Ovidium agnoscimus in versu priorem fabulam claudente gravique exordio novae de re abominanda narrationis.

305 sqq.
Gentibus Ismariis et nostro gratulor orbi,
Gratulor huic terrae, quod abest regionibus illis,
Quae tantum genuere nefas.

Lubenter Ehwaldo assentior librarii errore versum 305 in codice M esse omissum. Nam licet, quod ad loci sententiam attinet, supervacuus sit, egregie illa anaphora: „gratulor—gratulor" cantorem decet totam hanc narrationem ita proponentem ut iam a primo exordio stuporem terroremque audientibus incutiat. Et quoniam semel in hoc argumento versor, lubet ex ipsa vicinia insigne afferre exemplum ad demonstrandum quam stupidum se saepe idem ille librarius praestiterit. Vs. 314 egregie sic declamat Orpheus:

Scelus est odisse parentem,
Hic amor est odio maius scelus.

Quid pro hoc versu est in M? Scilicet:

Hic mos est odioque minus scelus.

Quid faceremus, si hic nobis solus ille codex „melior" praesto esset?

345 Ultra autem sperare aliquid potes impia virgo?
Sic legendum cum „deteriore" cod. λ. Vide egregiam Ehwaldi

ad h. v. annotationem de adverbio *autem* in sermone quotidiano et comoedia. Addi possunt et alia exempla et hoc e Terentio: „sed quid pertimui autem belua?" (Phorm. 601).

Continuo sequitur:

Et quot confundas et iura et nomina sentis?

Mirum est sperni antiquam coniecturam *nec*, qua sola restituitur id quod huius est loci, neque ulla emendatio lenior esse potest: librarium cui *nec — et — et* scribendum esset, ter *et* posuisse quid mirum?

351 sqq. At tu, dum corpore non es
Passa nefas, animo ne concipe, neve potentis
Concubitu vetito naturae pollue foedus.

Vehementer mihi hic istud *potentis* displicet et ab Ovidio profectum vix credo. Nam quod hic affert Ehwaldus vs. 758 l. IX:

Quodque ego, vult genitor, vult ipsa socerque futurus,
At non vult natura, potentior omnibus istis

ibi *potentior* tam egregie positum est quam inepte nostro loco *potentis*, et fere crediderim veram lectionem isto *potentis* sede sua pulsam eius culpa qui intempestive versus illius e libro IX memor esset.

408 sq.

„Sensimus" inquit (nutrix) „amas et, *hunc*, mea, pone
Sedulitas erit apta tibi." [timorem,

Pro inepta hac „meliorum" codicũm lectione „deteriores" egregiam *in hoc* praebent.

500 sq. Flet tamen et tepidae manant ex arbore guttae.
Est honor *et* lacrimis.

Pro egregia hac *omnium* codicum lectione Merkelius (ex uno) dedit *e*, et hoc *emendare* vocat Kornius. Ehwaldi iudicium *et* restituit.

515 sqq. Qualia namque
Corpora nudorum tabula pinguntur Amorum,
Talis erat, sed, ne faciat discrimina cultus,
Aut huic adde leves, aut *illi* deme pharetras.

Unice verum est quod ed. Aldina habet *illis* (sc. Amoribus).

536 Fine genu vestem ritu succincta Dianae.
Priscum cascumque istud *fine genu* vereor ut Ovidio vindicetur noto illo Lucretiano:

Deinde voluptas est e suco fine palati.

Nam certe nihil insoliti hic Ovidius quaesivit.

588 sqq.

Quae (Atalante) quamquam Scythica non setius ire sagitta
Aonio visa est iuveni, tamen ille decorem
Miratur magis; et cursus facit *ille* decorem.

Vulgo *ipse* editur, quod certe elegantius est, sed verisimilius tamen mihi videtur totum istud *ille colorem* e praecedenti versu ab oscitante librario esse repetitum et Ovidium aliud quid dedisse.

591 Aura refert ablata citis talaria plantis.
Egregie istud *refert ablata* motum talarium depingit: modo auferuntur, modo referuntur. Kornius oracula loquitur cum edit:

Aura replet vibrata citis talaria plantis.

595 sq. Haud aliter, quam cum super atria velum
Candida purpureum simulatas inficit umbras.

Simulatae umbrae nullae sunt nisi quas artifex in tabula pingit; quae velo fiunt sunt verissimae. Sed elegantissimum quod antea vulgo edebatur:

Simul et dat et inficit umbras

et hoc quin ab Ovidio sit scriptum non dubito.

Liber XI.

16 *Infracto* Berecynthia tibia cornu.
Sic M, nisi quod supra *r* manu altera *l* scriptum est, et litera *c* suppuncta, ut fiat id quod est in deterioribus *inflato*. Mihi dubium non est quin hic poeta dederit

Inflexo Berecynthia tibia cornu

ut Fast. IV, 181: Protinus inflexo Berecynthia tibia cornu.

Cf. et: Non tuba directi, non aeris cornua *flexi*.

Ovidii est τὰ αὐτὰ περὶ τῶν αὐτῶν λέγειν.

21 sq. Innumeras volucres anguesque agmenque ferarum
Maenades Orphei titulum rapuere theatri.

Egregiam me iudice Merkelii coniecturam *triumphi* docte refutat Ehwaldus, sed docere omisit quid esset *theatri titulus.* At vocem *titulus* sponte quivis cum *triumpho* iungat, contra *theatri* facile se librario e sequentibus offerre poterat.

83 Robora sunt umeri, *longos quoque* bracchia veros
Esse putes ramos, et non fallare putando.

Sic codices. Alii alia; Ehwaldus

longos quoque bracchia versa
Esse putes ramos, et non fallare putando.

Quae coniectura lenis quidem est, sed me quidem iudice non praebet aliquid quod ferri possit. Aperte enim vis fieri videtur sermoni latino, qui suo iure istud *longos quoque — ramos* subiectum esse iubet, praedicatum esse vetat. Nihil mihi praestare videtur editionum veterum lectioni: *porrectaque bracchia.*

134 sq. Mite deum numen: Bacchus peccasse fatentem
Restituit pactique fide data munera solvit.

Sic edidit Ehwaldus et sic auctore Magno interpunxit. Sed verumne est illud numen deorum mite esse, id est *omnes deos* mites esse? Saepius Ovidius ipse deos implacabiles legentibus ante oculos ponit. Totum versum graviter corruptum censeo; ab Ovidio ipse Bacchus mitis dictus est, quod verissimum. Pro certo vero mihi constat *pacti fide* d. m. s. corruptum esse. Quod annotat Ehwaldus: „er befreite das verliehene Geschenk von der Erfüllung des Vertrags" parum prodest. Si quid hic legeretur quod Germanice sic verti posset: „er befreite des Midas Wünsche von der bei Vertrag zugesagten Erfüllung" libenter probarem. Et quod idem sic pergit: „Ovid hat absichtlich denselben Ausdruck wie vs. 104, aber in verändertem Sinn gewählt", equidem crediderim potius versum 104 causam fuisse cur librarii manus et mens in versu 135 scribendo aberraret. Quid scripserit Ovidius nemo facile dixerit.

138 sq. Perque iugum *vitae* labentibus obvius undis
Carpe viam.

Sic M absurde, neque sunt meliores aliorum codicum lectiones. Quod Ehwaldus coniecit *Lydum* nimis est κακόφωνον, elegantior sed nimis audax est Kornii coniectura *Phrygiae* sed nullo *nomine* iugi hic opus: vel sic apparet Tmolum significari. Nescio an et hic Heinsii codices verum servarint: *montis.*

144 sq. Nunc quoque *iam* veteris percepto semine venae
Arva rigent.

Ecquid *tam*? Ut hoc dicat: ex illo Midae miraculo, quod *tam* longo tempore ante evenit, nunc quoque restat aliquid.

153 sq. Pan ibi dum teneris iactat sua carmina nymphis
Et leve cerata modulatur harundine carmen.

Hoccine feramus: *carmina* — *carmen,* an Ovidio prorsus indignam istam censeamus repetitionem? Equidem cum Bentleyo legam *munera,* quod, si Ovidius scripsit, non potuit non librariorum et sciolorum culpa in *carmina* abire.

167 Instrictamque lyram gemmis et dentibus Indis.

Sic codicem M secutus edidit Ehwaldus et ebur illud ad iugum, gemmas ad τοὺς κόλλοπας refert. Mihi illa tantummodo *decoris causa* lyrae addi potuisse videntur. Et quis praeterea pulchro isto *instringendi* verbo usus est? Gemmis et ebore lyra exornatur vel instruitur. Verum est ergo aut quod λ et M a secunda manu habent *instructam*, aut quod est in ς: *distinctam.* Sed hoc verisimilius: est enim istud *distinctam* aptissimum et elegantissimum et totum istud *instrictam* natum esse ex *distinctam* cum supra scripto *instructam* admodum est verisimile.

180 sq. Ille quidem celare cupit *turpique pudore*
Tempora purpureis temptat velare tiaris.

Haec semper visa sunt corrupta. Ehwaldus e Magni coniectura edidit *turpisque pudore*, ut *pudor* esset: „die Entstellung". Ergone *turpis pudore*, „hässlich durch die Entstellung"? Inepta, hercle, loquacitas. Aut cum Heinsio legendum est:

Ille quidem celat, turpique onerata pudore

aut aliquid huic lectioni quam simillimum. Nihil enim aliud huc quadrat.

222 sq. Mater eris iuvenis qui fortibus *annis*
Acta patris vincet maiorque vocabitur illo.

Sic Ehwaldus edidit e codicibus (tantummodo M a manu secunda supra scriptum habet *armis*). Probandum hoc foret consilium si praecederet: „mater eris *pueri* vel *infantis*", nam tum recte pergeretur: qui, ubi adoleverit (hoc enim est *fortibus annis*) acta patris vincet. Sed: „iuvenis qui, ubi adoleverit e. q. s. absurdum est. Lege *actis* cum Heinsio.

247 Territus Aeacides a corpore bracchia solvit.
Isque deos pelagi vino super aequore fuso — adorat.

Pro absurdo *isque* Ehwaldus e Merkelii coniectura *usque*. Sed non satis est coniecturam lenem esse: accedere oportet ut aptum sensum praebeat. Sed nunc desideramus etiam vinculum quo nova sententia priori annectatur. Omne tulit punctum Heinsius legendo *inde*. Suprascriptum *is*, quod saepe a sciolis supra scribitur, originem dedit traditae lectioni.

270 Hic regnum sine vi sine caede *regebat*.

Abhorret ab usu Ovidiano ista figura etymologica. Verum invenit Heinsius: *tenebat*.

293 sq. Miror Ehwaldum „*tantum* acer erat" tamquam pro „*tam* acer erat" dictum defendere allatis quibusdam ex Horatio exemplis. Et fac potuisse Ovidium hic *tantum* ponere pro *tam*, quorsum illud referamus? Tam acer quam ... quis? Lege cum Fussio *iam tum*, nihil desiderabis.

298 Eu iterum versum librarii errore in M omissum, quo reciso omnia collabuntur. Idem dicendum de vss. 315 sq. Equidem autem cum „deterioribus" legere malim:

Qui facere assuerat, patriae non degener artis,
Candida de nigris et de cadentibus atra

quam cum „melioribus" inverso versuum ordine, qui minime Ovidianum refert sermonem.

328 sq. Narravit Ceyx de Chione fratris sui filia, sibique dilectissima, quae ab irata Diana sagitta est percussa. Tum haec addit:

Quam miseram amplexans ego tum patrisque dolorem
Corde tuli.

Sic est in codicibus, nisi quod deteriores praebent *quam miser o pietas* quod nihili est, et pro *patrisque* vel *patruique* vel *patruoque*. Unde ego profectus hanc propono lectionem

Quam miser amplexans patris patruique dolorem
Corde tuli

collato XII, 592: animo pariter patruique suoque indulgens. „Duplex" ait Ceyx „dolor meus fuit: ét tamquam pater ét tamquam patruus eam lugebam".

358 Nant alii celsoque instant super aequora collo.
Nantes dici possunt *aequori instare*, sed *super aequora instare* congeries est vocabulorum adversa inter se fronte pugnantium. Utique revocanda vetusta lectio *exstant*. Aliter scribere mihi Ovidius ne potuisse quidem videtur.

359 sqq. Et alia narrat Phoceus Onetor et haec:

Templa mari subsunt . . .
Nereides Nereusque tenent (hos navita *ponti*
Edidit esse deos dum retia littore siccat).

Ergone pastorem nostrum navita ille, in suo labore occupatus, mythologiam Graecam docuit? Immo restitue quod olim legebatur: *templi*. „Cuius templum esset ego rogabam nautam qui forte ibi adderat, et ille respondit: Nerei et Nereidum". Hoc ex ipsa vita sumptum.

422 Ubi est quae cura mei *prior* esse solebat?
Soloece; lege cum deterioribus *prius*. Aut simpliciter *cura prior* dicendum est aut periphrastice: „cura quae prius esse solebat".

437 sq. Pulcherrimos hosce versus omittit M.

451 sq. Sed tibi iuro
Per patrios ignes, si me modo fata remittent,
Ante reversurum quam luna bis impleat orbem.

Et grammaticae et multo maior elegantiae cura me movet ut hic legam: „me, si modo fata remittent". Haec est parenthesis eleganti poeta digna: „si modo fata remittent".

507 Saepe dat ingentem fluctu *gravis* icta fragorem.
Sic est in M sine sensu. Recipitur ab editoribus vera lectio *latus* e „deterioribus", quo certe non a critico aliquo est illata sed recepta e codice multo meliore quam M est.

543 sq. Subeunt illi fraterque paterque,
Huic cum pignoribus domus et *quodcunque* relictum est.
Hic ego codicis M lectionem retinendam censeo: *quod cuique*: cuique subit quod reliquit. Hoc mihi huius loci esse videtur. Contra si *quodcunque* legimus, illud „quodcunque relictum est" iungendum est cum „cum pignoribus domus", quod parum gratum est: „domus cum pignoribus et quodcunque relictum est". Et deest hic vel *ibi* vel *praeterea*. Neque me movet quod ait Ehwaldus sic tertium membrum adnecti praecedentibus coniunctione *et*: nam duo praecedentia membra quodammodo unum efficiunt: qui de certis hominibus cogitant opponuntur ceteris omnibus. Haud spernendum firmamentum lectioni a me defensae praebet Livius XXI, 21, 6: „domos vestras et *quae cuique* ibi cara sunt".

608 sq. Ianua *nec* verso stridores cardine *reddit*:
Nulla domo tota.
Sic edidit Kornius partim ex M qui *reddit*, partim ex ε qui *nec* habet. Sed hoc eius est qui legentes ludribrio habet, non poetae gravem rem graviter tractantis. Paulo melior est altera lectio quae alio modo partim e melioribus partim e deterioribus componitur: *ne ... reddat*. Sed hoc quoque λεπτολογοῦντος videtur: ne ianua strideat, nulla ibi ianua est. Equidem sic Ovidium scripsisse opinor:

Ianua, *quae* verso stridores cardine *reddat*,
Nulla domo tota.

630 Iris abit: neque enim ulterius tolerare *soporis*
Vim poterat.
Iure Ehwaldus sprevit lectionem *vaporem vim*, unde alii effecerunt *vaporis vim*. Sed non solum verissimum est quod ait Ehwaldus istud *vaporem* natum esse e II, 301 sq.:

Dixerat haec tellus, neque enim tolerare vaporem
Ulterius potuit

verum etiam nostro loco omnis *vaporis* mentio erat vitanda, quia libro II, quod plerumque fit, vox „vapor" significat *calorem*.

635 Morphea: non *illic quisquam* sollertior alter
Exprimit incessus vultumque sonumque loquendi.

Sic est in M. Cui lectioni ut quam simillimam exhiberet, Kornius *illi* coniecit, unde merae nascuntur tenebrae. Multo melius Ehwaldus a „deterioribus" accepit „*illo*". Credo, nisi metuisset ne „deterioribus" blandiri videretur, integram eorum lectionem exhibuisset: *illo iussos,* quae elegantissima est lectio, neque unquam nata esset, nisi legitimus eam pater procreasset.

694 sqq.
Hoc erat, hoc, animo quod divinante timebam,
Et ne, me fugiens, ventos sequerere rogabam.
At certe vellem, quoniam moriturus abibas,
Me quoque duxisses.

Quemadmodum Graece *μάλιστα μέν* in votis proponendis suum sibi *εἰ δὲ μή* secum trahit, sic hic Alcyone re, quam maxime cupierat, commemorata, alteram, minus sibi exoptatam, qua tamen contenta fuisset, annectere debet coniunctionibus *aut certe,* non *at certe.* Cf. XIII, 152:

Nec sanguinis ordo,
Sed virtutis honor spoliis quaeratur in istis.
Aut si proximitas primusque requiritur heres,
Est genitor Peleus, est Pyrrhus filius illi,
Quis locus Aiaci?

697 sqq. Lamentari sic Alcyone pergit:
Multum fuit utile tecum
Ire mihi: neque enim de vitae tempore quidquam
Non simul egissem, nec mors discreta fuisset.

Difficilis est optio utrum cum λ legas „tecum fuit utile tecum", an cum ε „fuit hoc fuit utile tecum", an denique cum Riesio: „tum tum fuit utile tecum", in omnibus enim his lectionibus est id quod tam egregie lamentantem deceat: unius vocabuli repetitio. Nescio tamen an omnium maxime probem lectionem codicis ε, nam quid potius repetatur quam verbum *fuit* ubi res incredibilis proponitur: *utile* fuisse cum eo ire qui naufragium fecit? Sed et alteras repetitiones aequi bonique consulo, dummodo Marciano suum sibi *multum* relinquatur.

700 sq. Nunc absens perii, iactor quoque fluctibus absens
Et sine me te pontus habet.

Hic neutiquam ego Heinsium sequar *sine me me* coniicientem. Quemadmodum enim e praecedentibus:

Neque enim de vitae tempore quicquam
Non simul egissem, nec mors *discreta* fuisset

apparet, *absens* est: „a te seiuncta". Sed unice verum videtur quod proposuit Merkelius: „et sine te me pontus habet".

712 sqq.

Dumque moratur ibi, dumque „hic retinacula solvit,
Hoc mihi discedens dedit oscula litore" dicit,
Quae dum tota locis reminiscitur acta fretumque
Prospicit, in liquida, spatio distante, tuetur
Nescio quid quasi corpus aqua

sic in M est, in deterioribus: *dumque notata oculis*. Optimum factu videtur e duabus lectionibus unam facere: „dumque *notata locis* e. q. s." i. e. dum quae quoque loco gesta essent reminiscitur. Merae temeritatis est cum Heinsio totum versum 714 delere, quo facto durissime statim post *dicit* additur *prospicit* et perit id quo vel maxime hic opus est: mira καταστροφή longiore praefatione est praeparanda, quam egregie illa anaphora; „dumque — dumque — dumque" decet.

723 Hoc minus et minus est mentis suae; iamque propinquae
Admotum terrae e. q. s.

Sic est in M. Emendatio incerta; si, quod multi faciunt, *suae* omittimus, *est* suo sibi dativo (*ei*) caret. Ehwaldum bellam suam coniecturam: „hoc minus et minus est mentis, vae!" dudum respuisse pro certo mihi constat.

749 Hos aliquis senior *iunctim* freta lata volantes
Spectat.

Sic est in M. Quod receptum Ehwaldus ita interpretatur ut „freta volare" paulo audacius a poeta dictum sit secundum illud: „ire, navigare cursum". Verum possumusne, dum otiose adstamus sedemusve, spectare aliquem *longum* iter facientem? Vel aves cursum suum *transmarinum* perficientes? Si non pos-

sumus, „deteriorum" lectionem *circum* probemus, licet inusitate ea praepositio nunc sit posita. Sed ferri hoc potest de vario avium volatu, nunc abeuntium, nunc redeuntium, nunc gyrum facientium. Quodsi quis contendat *iunctim* utique requiri, quoniam alioquin sine iusta causa addatur:

et ad finem servatos laudat amores,

is reputet laudes illas avibus hisce tribui non potuisse nisi ab eo qui illas olim Ceycem Alcyonemque fuisse novisset; quod qui semel novit, illi opus non est eas *una* volantes adspicere.

780 Vulnus ab angue,
A me causa data est. Ego *sum* sceleratior illo:
Qui tibi morte mea mortis solatia mittam.

Egregia antiqui critici emendatio, Heinsio probata: *sim — ni* nunc ne commemoratur quidem. Possumus et *sum* retinere et pro *qui*, quod certe nullo modo ferri potest, ponere: *sed*. „Quod feci infectum reddere non possum, leniam tamen malum cuius causa fui."

Liber XII.

17 Corripuit serpens *udo quas condidit ore*.

Sic M, de discrepantiis, quae multae magnaeque sunt, conferatur Kornius. Unice probandam hanc Merkelii censeo lectionem: „avidaque abscondidit alvo": *condendi* (rec. *absc.*) verbum suum sibi *locum* quo condatur postulat; *ore condere* absurdissimum est, neque *oris* ulla facienda mentio, quia *os* iam satis verbo *corripuit* significatur: „corripuit ore, abscondidit alvo".

21. Miraculum avium novem a serpente correptarum Tiresias ad bellum refert:

Atque novem volucres in belli digerit annos.

Pueri est rogare quid serpente illo factum sit. Credere ergo non possum Ovidium addidisse:

Ille, ut erat, virides amplexus in arbore ramos
Fit lapis et servat serpentis imagine saxum.

Iam alios eiusdem farinae versus a falsario fictos et Metamorphosesin adiectos cognovimus.

83 sqq. Gravem hastam suam Achilles in Cygnum coniicit:

Sed quamquam certa nullus fuit error in hasta,
Nil tamen emissi profecit acumine ferri,
Utque hebeti pectus tantummodo contudit ictu.
„Nate dea, nam te fama praenovimus" inquit
Ille e. q. s.

Tantummodo contudit, non etiam vulneravit pectus, erat ergo revera *hebes* ictus, neque cum hebeti ictu comparari potest, quod coniunctione *ut* fit. Deinde iusto durius est novum verbum (*inquit*) nullo vinculo adnectere praecedentibus. Utrique incommodo medeberis sic distinguendo:

Nil tamen emissi profecit acumine ferri.
Utque hebeti pectus tantummodo contudit ictu,
„Nate dea" e. q. s.

118 Quo plangente gravem moribundo *vertice* terram.

Recte Ehwaldus Heinsii hanc emendationem recepit pro *pectore*, quod propter proxime praecedens *pectora* nullo modo ferri potest. Sed quid adiectivo *gravem* faciamus? Nam hoc quoque corruptum esse mihi constat.

132 Haud tulit ulterius, clipeoque adversa *retecti*
Ter quater ora viri, capulo cava tempora pulsat.

Egregia haec est Merkelii emendatio pro codicum *reducto, retecto, reiecto, recepto*. Recte idem cum cod. M post *viri* coniunctionem *et* omisit: τὸ ἀσύνδετον egregie depingit motuum celeritatem.

175 Monstri novitate feruntur.

Sic est in M; Kornius *tenentur* coniecit, credo, ne quidquam sumeret a codice „deteriore", nam in λ est, quod solum hic probari potest, *moventur* (ε *movetur*).

273 *Tempora* recte dici posse „fulvo *protecta* capillo" vix credo.

316 sq. In tanto fremitu cunctis sine fine iacebat
Sopitus venis et inexperrectus Aphidas.

Insanam hanc esse lectionem et veram emendationem dudum prolatam tantum non geometrice demonstrari posse videtur. Ovidius excellit arte Graecis nominibus utendi: probus servus ei est *Onetor*, rex multa a civibus suis accipiens munera *Polydegmon* vel *Polydectes*. Denique, ne longus sim, inspiciat mihi aliquis locum ubi Actaeonis enumerantur canes. Aphidas ergo est *ὁ μὴ φειδόμενος*. Cui autem rei non pepercit? Scilicet *vino* vel *vinis*, quod in absurdo isto *venis* latet: nam absurdum esse *cunctis venis sopitus* quivis homo non pertinax mihi concedet. Sed accedit gravius argumentum, quod vulgo negligi miror, nam unum illud luce clarius demonstrat corruptum hunc locum esse. *Sine fine* Belgice est: „onophoudelijk", Germanice „unaufhörlich", Gallice „sans cesse" vel potius „sans relâche". Potesne autem Germanice dicere: „er lag unaufhörlich", vel Gallice: „il dormait sans relâche"? Non opinor. Requiritur verbum *actum* aliquem significans. Nemo hoc melius docet quam ipse Ovidius:

II, 387 Actorum sine fine mihi sine honore laborum.
II, 502 Immotosque oculos in se sine fine tenentem.
IV, 334 Poscenti nymphae sine fine.
XI, 792 Letique viam sine fine retemptat.
XIII, 330 Devoveas sine fine caput.

Leviter tantummodo discrepat VII, 306:

Pretiumque iubent sine fine pacisci.

Et sunt hi omnes loci ubi in Metamorphosesin istud *sine fine* legatur. Unde autem eiusmodi verbum nostro loco petamus? Dicent ii loci ubi cum *participio* iungatur *sine fine*, atque quem primum citavi „*actorum* sine fine — laborum" in clarissima rem ponet luce. *Cunctis venis* nihili esse iam constat; in *venis* latet *vinis*, quid in *cunctis*? Nil dubitantes respondemus: participium aliquod perfecti passivi. Et praesto est illud. Ductibus enim literarum *cunctis* vix quidquam differt a ... *ductis*. Et quid magis decet immodicum potorem quam *vinum ducere* (*οἶνον σπᾶν* vel *ἕλκειν*)? Desinamus ergo tandem aliquando dubitare quin Heinsius praeclara sua emendatione

ductis sine fine iacebat

Sopitus vinis et inexperrectus Aphidas
ipsam Ovidii manum restituerit.

328. Pro vera lectione „conantem *evellere* terra glandiferam quercum" iam rediit absurda codicis M *tollere.*

369 Fraxineam misit *contentis* viribus hastam.
Spernitur iam egregia haec Heinsii emendatio et redit absurda lectio *mentis quoque.* Loci ab Ehwaldo allati certe istud *quoque* non defendunt. Sed omnino quis unquam sic latine locutus est: „mentis quoque viribus hastam misit"?

434—8. Spurios hos esse quis iam Merkelio concedat? Sunt versus quos *μιαιφόνους* dicere possis et in „deterioribus" tantummodo leguntur codicibus. Sanae ut opinor fuerit rationis hinc efficere eos in „meliorum" codicum archetypo ideo esse omissos quod rem taetram nimis graphice depingerent.

452. Centaurus a Mopso percussus *occubuit* (sic ed. vett.), vel *procubuit* (Merk.), sed quid sibi vult istud *accubuit* quod nunc editur?

494. Pro nomine *Monychus* codex M *monachus* praebendo risum movet, seque hac certe re cognatum prodit codici Hauniensi, qui XV, 836 ubi Augustus laudatur quod adoptaverit „prolem sancta de coniuge natam" exhibet: „p. *sancta de virgine* natam".

513 (Caeneus) deficit interdum, modo *se super aera* frustra
Tollere conatur.

Quoniam neque *super aera* dici potest pro *in aera* et Caeneo prius removendus est cumulus quo premitur quam se ipsum erigat, grato animo recipere debemus Riesii emendationem *se superantia.*

538. Pro „obductos *annis rescindere* luctus" melior ille M habet: *oculis restinguere*!

546 sq. Inque meos ferrum flammasque penates
Impulit.

Immo vero *intulit.*

564 sqq. Decidit in terram Periclymenus qui in avem mutatus Herculis sagitta fuerat vulneratus:

et *quae* levis haeserat alae
Corporis affixi pressa est gravitate sagitta.

Quidni certam hanc Merkelii emendationem receperit Ehwaldus sed *qua* retinuerit, quod nullam admittit interpretationem, me fugit.

621 sq. Vide apud Kornium quam turpiter hic omnia M perturbet. Etiam XIII, 26 sq. Intelliges quam infirmo utatur argumento, qui versus et alios et XIII, 57 omittit quoniam in M non legantur.

Liber XIII.

19 Iste tulit pretium iam nunc *certaminis* huius.

Sic legendum non *temptaminis*, quod legitur quidem bis in Metam. III, 341 et VII, 734 sed tam diverso sensu ut hic ferri nequeat.

82. Versus hic, quo prorsus non possumus carere, abest a M.

94 Date *pro tot navibus* arma.

Nemo unquam demonstrabit sed semper sentient omnes unice verum esse Heinsii illud *tot pro navibus*.

122 ... referentem ornate *relatis*.

„Melior" ille M habet *lacertis*!

133 Quis magno melius succedat Achilli
Quam per quem magnus Danais successit Achilles?

Nihili istud est et lusus verborum absurdissimus. Quod relegat Ehwaldus ad XII, 611 sq.:

de tam magno restat Achille
Nescio quid parvum quod non bene compleat urnam,
At vivit totum quae gloria *compleat* orbem

nil prodest, nam neque frigidus ille iocus est et utrobique

compleat facillimum est ad intelligendum. At „Danais successit Achilles" quovis oraculo obscurius. Satis ludet verbis noster et dicet aliquid quod nullo negotio intelligi possit et solum huc quadret: „Danais *accessit*". Error quam facile nasci potuerit nostris videmus oculis. Atque sic iam Tan. Faber emendavit, sed nemo eum sequitur, nemo eius inventum commemorat!

189. Qui hic Bentleyi recipiunt coniecturam: „*hanc* equidem fateor" pro „*nunc* e. f." non observare videntur quam ingrate post istud *hunc equidem* continuo (vs. 190) sequatur: „hunc tamen".

212. Optime Ehwaldus pro „fossas munimine cingo" reposuit: „fossa munimina cingo" i. e. facio munimina quae fossa erant cincta. Cf. I, 97:

Nondum praecipites cingebant oppida fossae

i. e. nondum oppida erant, fossis cincta.

217 Rex iubet incepti curam dimittere belli.
Ille potest auctore suam defendere causam.
Non sinat hoc Aiax delendaque Pergama poscat,
Quodque potest, pugnet. Cur non remoratur ituros?
Cur non arma capit, dat quod vaga turba sequatur?

Verba haec sunt Ulyssis Aiacem, virum fortem sed stolidum, ludibrio habentis. Mihi semper iusto durius visum est asyndeton *capit dat*, neque aptis ab editoribus defensum exemplis. Transponendo (nam in hac praesertim parte, ut iam vidimus, versus integri et dimidiati saepe inter se confusi sunt) lego:

Quodque potest pugnet. Det quod vaga turba sequatur:
Cur non arma capit, cur non remoratur ituros?

Det cum Hauniensi. Nunc omnia apte sunt disposita: sive Aiax arma capit, sive (oratione) ituros remoratur, dici potest dare quod turba sequatur: vel exemplum vel praeceptum. Et post istud „cur non remoratur ituros" egregie sequitur:

Non erat hoc nimium nunquam nisi magna loquenti.

Qui semper magna loquitur certe voce sua trepidam multitudinem coercere potest.

253 sq. Cuius equos pretium pro nocte poposcerat hostis
Arma negate mihi fueritque benignior Aiax.

Memini me haec in ludo literario sic pueris interpretari: „si mihi arma negaveritis, Aiax benignior mihi esse censendus erit" eosque docere hic Ulyssem respicere illud Aiacis 102:

Dividite et pars sit maior Diomedis in illis.

Sed nimis longe illud arcessitum et quemquam sibi Aiace iniquiorem Ulysses ne fingere quidem potest. Ipsum illud „dividite" contumelia erat acerbissimi adversarii. Haerere ergo me fateor neque fateri pudet: haesit et Bentleyus ille adeo ut duos hos versus delendos esse declararet.

371. Sanum esse non posse:

Proque tot annorum cura quibus anxius egi

mihi constat, sed quid reponam dubius sum. Nildum propositum est quod ab omni parte placeat.

CORRIGENDUM.

Lecturos rogo ut ante omnia absurdum tollant mendum. Pagina enim 80 linea 13 aliud agens scripsi *Artem Poeticam* cum *Artem Amatoriam* vellem.

CONSPECTUS ARGUMENTORUM.

INDEX METAMORPHOSEON LOCORUM

(non continet locos qui capitibus I, et II afferuntur).

Postremo librum huncce lecturos moneo *quintum* eius caput falso sic inscriptum:

De ultimae Metamorphoseon partis *enuntiatione*

pro *enuntiatione* enim legendum esse *dispositione*, atque idem vitium recurrere in *conspectu argumentorum*. Nam quod in eodem conspectu l. 4 legitur *enuntfatione* pro *enuntiatione* id nemo tam erit iniquus qui mihi vitio det.

DE TERENTIO ET DONATO.

DE TERENTIO ET DONATO

COMMENTATIO

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN

LIT. HUM. DOCTOR IN UNIVERSITATE LUGDUNO-BATAVA PROFESSOR ORDINARIUS.

LUGDUNI BATAVORUM

A. W. SIJTHOFF

MDCCCLXXXXV

ΤΗΙ ΕΝ ΑΘΗΝΑΙΣ

ΕΠΙΣΤΗΜΟΝΙΚΗΙ ΕΤΑΙΡΕΙΑΙ

ΗΤΙΣ ΠΡΟ ΤΡΙΩΝ ΕΤΩΝ ΕΤΑΙΡΟΝ ΜΕ ΕΠΟΙΗΣΕΝ

ΧΑΡΙΝ ΕΙΔΩΣ ΤΕ ΚΑΙ ΟΜΟΛΟΓΩΝ

ΤΟΔΕ ΤΟ ΒΙΒΛΙΟΝ

ΑΝΑΤΙΘΗΜΙ.

CONSPECTUS.

CAPUT PRIMUM.

Lepidum, venustum, elegantem esse poëtam Terentium dicenti tibi permulti assentientur. Quis enim istud non sexcenties audivit, quisve infitias ire audeat? Sed quantus sit artifex comicus ille, quotusquisque eorum a quibus laudatur scit, id est penitus sentit? Certe non sciunt hoc ii qui raptim eum percurrunt, ad exitum fabulae properantes, tamquam si res sibi sit cum nostrae aetatis narratiunculis, quarum ternas quaternasque singulis pervolitant diebus eiusmodi lectionis amantes. Accurate enim poëta noster legendus est; neque ad eam rem magna opus est doctrina Latinive sermonis rara quadam scientia; sedulitate opus est, atque eiusmodi sedulitate quae nihil parvi ducat sed singula vocabula perpendat examinetque. Et ne vocabulorum quidem vim probe novisse sufficit, nisi hoc accedit ut quo vocis sono pronuntianda sint teneamus, loquentisque vultum gestum actum tamquam praesentes videamus. Gravem illum esse laborem si quis dicat non equidem negem. At est dulcissimus suavissimusque, neque qui illum susceperit unquam taedii quidquam sentiet. Quid quod ne oneri suo succumbat nullum est periculum: praesto enim est ubique strenuus adiutor, qui eum sustentet, excitet, moneat, quique longam atque asperam viam, qua ambulandum est, facundo sermone brevem reddat aequamque. Quis sit dux ille et adiutor sponte apparebit, quotque eius quantaeque sint virtutes ut in clara ponatur luce sedulo dabo operam. Sic optime quan-

tum sibi postulet diligentiae Terentius et quo modo legendus ille sit exponam. Quod paucis verbis fieri nequit. Una mihi ex eius fabulis ab initio ad finem est pertractanda, omnesque versus, in quibus lateat aliquid, quod a vulgo legentium negligi vel soleat vel facile possit, accurate mihi sunt examinandi. Ibi autem facere non possum quin fabulae illius quid singulis agatur scenis legenti in mentem revocem. Cum enim omnium fabularum Terentianarum color sit unus fere idemque, haud facile singularum decursus seriesque memoria retinetur: ab alia ne ad aliam aberret mens periculum est. Quodsi iam lectu digna est commentatio mea, quis ferre eam poterit si identidem ei ab illa ad Terentii textum, a textu ad illam erit recurrendum? Et cur ego ne paulo longior evadat hic liber magnopere metuam? Docere enim neminem volo nisi forte tironem aliquem. Simul tamen hic illic aliquod meum commentum aliquamve mihi natam suspicionem proferam ut sic doctorum eliciam sententiam iudiciumque. Versabitur ergo hoc caput in ea Terentii comoedia, quae mihi lepore et venustate ceteris omnibus praestare videtur, Eunuchum dico.

Actus I. Scena 1.

In scenam prodit Phaedria, a Thaide sua heri exclusus sed modo revocatus, cum Parmenone servo. Quibus illi inter se utantur verbis quis nescit? Cui ignotum illud:

> Quid igitur faciam? Non eam, ne nunc quidem
> Quom arcessor ultro?

Quis non tenet memoria Horatianum locum a

> Porrigis irato puero cum poma recusat

incipientem? Et tamen quae t o t i u s scenae sit sententia non facile quivis rogatus respondeat. Quid enim? Vultne Phaedria post illam exclusionis iniuriam, ubi primum arcessitur, ad

Thaidem advolare, retinetque eum Parmeno? At potius Phaedria se iam ultra laturum meretricis contumelias negat, et ne, si obsecret quidem illa, iturum asseverat, admonetque eum Parmeno periculi quod ipse sibi sit paraturus, si obstinato egerit animo, „factique" ait „te poenitebit, nam carere tamen ea non poteris, ultro ad eam posthac accurres, tum tu ei dabis supplicium, non illa tibi." Ergone Phaedriam iusto magis iratum Thaidi placare studet Parmeno, sperans inter eos gratiam reconciliatum iri? At nemo Parmenone gravius Thaidi succensere potest, nemo magis eam detestari, nemini magis de illius perfidia esse persuasum. Rectam nobis viam monstrat vetus Scholiasta, cuius haec est verissima prudentissimaque annotatio:

> „In hac προτάσει exemplum ponitur quam non suae potestatis sit qui amat: quam sapiat, qui non amat neque aliter affectus est."

Ita est: de amore suo tamquam de re seria loquitur Phaedria; de vindicanda Thaidis iniuria cogitat, quid sibi sit agendum deliberat etiam, tamquam si prudentiae consiliove locus hic sit. At servi allocutio huc fere redit: „noli te adeo macerare; crede mihi, nugatoria res amor est; leves sunt omnes puellae, tuque ineptus qui solam Thaidem tibi soli fore constantem tibi promiseris. Quid tumultuaris? Quid insanis? Quid tristitia tua parvam rem magnam facis? Confer te alio. Denique rem levem fer leviter."

Neque minus bene quam Scholiasta scenae vim perspexit Horatius (nam Lucretius IV, 1177—81 paucis tantummodo vocabulis ad eam alludit), quem ideo tantummodo ad eam provocare ut doceat de amore multo sapientius prudentiusque disputare servum „integrum" quam herum amori obnoxium, ex ipso satirae consilio apparet. Persius vero (V, 161—175) tam longe hinc aberrat ut eum de alia quadam cogitare fabula suspiceris. Quid enim? Phaedria ei est Chaerestratus, Parmeno Davus, Thais Chrysis. Dixeris mutata esse nomina a Terentio,

nam a Menandro ea fuisse scripta quae Persius habeat. Hoc enim et scholiasta Persii dicit his verbis: „apud Terentium personae immutatae sunt." Et omnino illa in nominibus discrepantia mihi parvi momenti videretur [1]), nisi de plane alia re ageret Persius atque illa est in qua et Terentií et Horatii locus versantur. Persianum illum iuvenem pristinae levitatis pudet poenitetque, ad bonam vult redire frugem. Hoc certe simulat, nam statim se indicat: sui desiderium vult movere amicae. Exclusum se fuisse ne verbo quidem significat. Ergone aliam fabulam ignotam nobis ante oculos habet Persius? Vix ausim hoc asseverare, licet non sit incredibile. Etenim magis in hanc inclino opinionem ut dicam Persium, pudicum severumque adolescentem, disciplinae addictum Stoicae, et in Menandro et in Terentio fuisse hospitem, atque in hoc, de quo agimus, loco conscribendo uno Horatio nisum esse, quem parum intelligeret. Nam si unum illud „quidnam igitur faciam," quod cuiusvis est, quodque obiter inspecto Terentio — ut tamen hoc largiar aliter censentibus — cognoscere potuit Persius, cetera omnia vocabula quae ei sunt cum Terentio communia, et apud Horatium leguntur. Sed haec mittamus, ad Terentium redeamus. Et cum de tota scena viderimus, singula adspiciamus vocabula.

vs. 46 sq. [2])

Quid igitur faciam? Non eam, ne nunc quidem
Quom arcessor ultro? an potius ita me comparem...

Dixerit aliquis particulae **an** locum hic non esse: non enim inter se opponi duas res, sed iungi; opus ergo esse particula **ac**, ut sic fere roget Phaedria: „neque nunc neque posthac

---

[1]) Terentii scholiasta de Phaedriae, Parmenonis, Thaidis in Menandri Eunucho nominibus nihil dicit, quamquam in eiusmodi rebus commemorandis accuratissimus esse solet.

[2]) In citandis versibus actuum scenarumque hic non habebo rationem; indicabo tantummodo totius fabulae quotus sit versus de quo agitur.

unquam eam?" Meliora eum docebit Scholiasta hac annotatione: „hoc videtur non esse contrarium, sed est. Nam dubitat utrum meretricis satisfactionem exspectet an illam omnino non quaerat." Etenim illa pars ne nunc quidem quom arcessor ultro vim habit „positivam", cum haec sit loquentis mens: „nunc certe mihi eundum est".

Hoc quoque egregie Scholiasta observat vocabulo igitur significari: „multa tacitum cogitasse adolescentem et tandem in haec verba prorupisse" ut vocabulo εἶτα apud Menandrum in εἶτα τί ποιήσω;

vs. 47 sqq. an potius ita me comparem
Non perpeti meretricum contumelias:
Exclusit, revocat, redeam? non, si me obsecret?

Vocabulum ita unice cum iis quae versu 49 leguntur iungendum est, ut Phaedria dicat: „an potius me comparem non perpeti meretricum contumelias ita loquendo: exclusit... obsecret?" Nam si iungamus ita me comparem, vix ferri possit infinitivus perpeti. cf. vs. 240:

itan parasti te ut spes nulla relicua in te sit tibi?

vs. 50, quo Parmeno respondet:

Si quidem hercle possis, nil prius neque fortius

sic fere Graece est vertendus:

ἐὰν δύνῃ γε· τοῦτο γὰρ κάλλιστ᾽ ἔχει.

Non enim si quidem hercle possis sententiae est protasis, et nil prius neque fortius apodosis. Respondentis est Latinum quidem ut Graecum γε.

56 sqq.

Proin tu, dum est tempus, etiam atque etiam cogita,
Ere, quae res in se neque consilium neque modum
Habet ullum, eam consilio regere non potes.

Egregie vs. 57 in media allocutione vocativus ere interponitur: sic enim loquuntur qui rem gravem, sapiensve dictum sunt allaturi.

65 Legendum mihi videri:

Egone illam quae illum, quae me non, quae... sine modo iam dixi in Mnemosyne (vol. XX p. 167). Quam durus sit vulgatus verborum ordo nemo Lachmanno clarius indicavit, qui ad Propertium (I, 2, 25) sic supplendum esse annotat: „egone illam (adeam), quae illum (recepit), quae me quae non (pati facit)" ita ut illa *quae non* Graeco *τί οὐ* sint similia!

68 sq. Iure hi versus admirationem movent: non enim poterant lepidius meretricis perstringi artes fallaciaeque quam hic Parmeno facit:

Haec verba illa una me hercle falsa lacrimula
Quam oculos terendo misere vix vi expresserit
Restinguet.

Quod autem Bentlejus proposuit *misera* pro *misere* minime probandum videtur. Egregie enim illo *misere* augetur vis vocabuli *vix*.

Actus I. Scena 2.

Stantibus etiamdum ante Thaidis ostium Phaedria et Parmenone, et hoc optima quaeque monente, illo vel audiente vel non audiente, ipsa Thais prodit, secum loquendo significans quam metuat ne iusto gravius ferat Phaedria quod heri sit exclusus. Reverane *secum* haec loquitur, a nullo se audiri rata, reverane solam se esse putat, an *simulat* a se non visos Phaedriam et Parmenonem? Veterem scholiastam audiamus. Ad vs. 85, ubi Thais Parmenonis voce audita haec dicit: „quis hic loquitur?" ille annotat: „non imperite intelligunt, qui existimant meretricem etiam hoc simulare quod non praeviderit Phaedriam. Nam et personae et dictis eius ceteris convenit: et tunc erunt gratiosa (i. e. ad Phaedriae gratiam captandam apta) omnia, quae supra dixit." Verissime haec

esse observata sentire mihi videor, demonstrare me non posse certo scio. Lubenter tamen mea facio verba eius: „et tunc... supra dixit", quae callidissimi de arte comica iudicis esse censeo. Et quamquam de eiusmodi rebus aliter sentientes nemo certis signis argumentisque convincat, haud tamen infirmum adesse Scholiastae videtur adminiculum in versu 83: (vereor ne illud gravius Phaedria tulerit)

> Quod heri intromissus non est,

ad quae Thaidis verba ipse adscripsit: „haec levius, ut de facto suo loquens". Cur autem levius de suo facto Thais loquatur, cur crudelitatem suam leni vocabulo mitiget, nisi se a Phaedria audiri putet? Sed videamus quae sequuntur. Vix haec elocuta est Thais quae modo afferebam, cum se ad Phaedriam convertit his verbis:

> ehem, tun hic eras, mi Phaedria?
> Quid stabas hic? quor non intro ibas?

Sic nunc in editionibus legitur; olim legebatur:

> Quid hic stabas? cur non recta introibas?

Ad quae verba Scholiasta adscribit: „Quasi parum fuerit *introibas*, satis mire additum *recta*." Vides quanto praestet antiqua spretaque lectio recenti probataeque. Illo enim *recta* dissimulat Thais unquam quidquam obstitisse quominus aedes suas intraret Parmeno. Sed mitto hoc; unum etiam moneo lectorem, ubi impense laudare velit Scholiasta Terentii verba, ipsum illud adverbium *mire*, quo et hic utitur, ab eo poni solere.

Cognito quam sibi succenseat Phaedria, iram eius sedare nititur Thais narrando quae causa fuerit cur eum heri „non admiserit". Quae narratio huc fere redit: dum etiam cum matre Rhodi vivebat Thais, ad eas allata est puellula quaedam Athenis rapta a praedonibus. Illam Thaidis mater pro sua eduxit, ita ut volgo Thaidis soror esse crederetur. Athenas profecta Thaide cum primo amatore suo, qui haud ita multo post mortuus est, mater eius obit, bona eius et cum illis

puella illa, iam adulta, veneunt. Forte fortuna emitur illa ab altero Thaidis amatore, milite, rivale illo Phaedriae, ad quem tota haec spectat fabula. Is enim iter faciens in Cariam Rhodum appulerat. Reversus Athenas iam dono daturus erat puellam Thaidi, cum cognoscit exortum sibi aemulum Phaedriam; inde quaerit effugia, daturum se negat nisi certus sit de Thaidis fide; quae sororem suam adoptivam vehementer secum habere cupiens hoc sibi agendum esse statuit ut per paucos dies militem illum, ineptissimum mortalium, solum recipiat, Phaedriam, licet ille sibi sit multo carior, excludat.

Hanc narrationem, quam ego grammatici instar in breve contraxi summarium, lepidissime exornavit poëta; sed lepidius nil cogitari potest ioco illo quem Parmenoni tribuit. Is enim, Thaide antequam narrare incipiat Phaedriam interrogante:

Dic mihi
Hoc primum, potin est hic tacere?

pro illo respondet:

egone? optume.
Verum heus tu, hac lege tibi meam adstringo fidem:
Quae vera audivi, taceo et contineo optume: [1]
Sin falsum aut vanum aut finctumst [2], continuo palamst:
Plenus rimarum sum, hac atque illac perfluo,

deinde ipsam Thaidis narrationem identidem facetissime interrumpit ad illud responsum alludens. Sed eo loco, ubi vel optime ornamentum illud a poëta est adhibitum, ibi versus eius turpissimam contraxerunt maculam, non incuria librariorum grammaticorumve importunitate, sed recentium doctorum perversa, si quid video, sapientia. Postquam Thais de milite in

---

[1]) An omnia, ut ingrata vitetur repetitio?

[2]) Multo elegantius Bentlejus:

Sin falsum audivi ac fictum.

Cariam profecto narravit, sic Phaedriam alloquitur (vs. 126 sqq.):

te interea loci
Cognovi. Tute scis postilla quam intumum
Habeam te et mea consilia ut tibi credam omnia.

Hic eam interpellat Parmeno:

Ne hoc quidem tacebit Parmeno.

Quibus verbis auditis Thais:

Oh dubiumne id est?
Hoc agite amabo...

Tum narrare pergit. Sic enim in recentioribus legitur editionibus ~~aut omnibus aut certe~~ permultis. Quam perverse, docet Scholiasta duplici ad vs. 130 annotatione: „Hoc agite pro adverbio corripientis est positum aut certe pro adhortatione audientiae praebendae." (Pro adverbio autem et adverbialiter ille dicit, ubi de certa quadam loquendi formula agitur). Et melius etiam: „hoc agite id est, illud desinite et hoc attendite". Ita est: ineptum enim est dicere: „hoc agite" nisi iis qui cum maxime alias res agunt, et qui illis verbis „hoc agite" aliquos alloquitur, ab iis facit alloquendi initium; praemittere nihil potest. Rectissime ergo olim ita edebatur locus, quemadmodum et a Scholiasta lectus fuit, ut Phaedria diceret: „ne hoc quidem tacebit Parmeno", tum Parmeno: „oh dubiumne id est?" Iure nunc ambos sic corripit Thais: „hoc agite amabo": cum enim iis fuerit auscultandum, inter se colloqui et alias res agere coeperunt. Atque sciendum hic est quo modo pauca illa verba ab utroque fuerint pronuntiata. Cum gemitu ergo et quasi lacrimans Phaedria dicit: „ne hoc quidem tacebit Parmeno", tum Parmeno: „ob dubiumne id est?" Quae dissimulatio quantum habeat acerbitatis dici vix potest.

Prudentissime acutissimeque observat Scholiasta tam certum esse sibique constare meretricium sermonem, ut quaedam

habeat vocabula tamquam legitima. Hoc ut doceat, ad vs. 95, ubi his verbis consolari Thais studet Phaedriam:

Ne crucia te obsecro, anime mi, mi Phaedria

annotat: „vide quam familiariter hoc idem repetit [1]) blandimentum. Vult enim Terentius velut peculiare verbum hoc esse Thaidis; ideo toties dictum est: *Tune hic eras mi Phaedria?* et *Ne crucia te obsecro, anime mi, mi Phaedria.*" Quam annotationem ideo exscripsi quia mox utilis nobis esse poterit.

Sic Thais pergit (vs. 96 sq.):

Non pol quo quemquam plus amem aut plus deligam
Eo feci, sed ita erat res, faciundum fuit.

Tum solita sua acerbitate servus:

Credo, ut fit, misera prae amore exclusti hunc foras.

Nequis putet alia ratione hic illud *prae* esse adhibitum atque lex grammatices iubet, moneo ἀπροσδόκητον quoddam hic latere: „prae amore... exclusti" ait Parmeno quasi diceret: „prae amore... admittere non potuisti."

107. Sic narrationem orditur Thais:

Samia mihi mater fuit: ea habitabat Rhodi.

Praestantissima est Scholiastae annotatio: „Puduit dicere Thaidem: *meretrix mea mater fuit*, quod tamen significavit dicendo aliunde civem alibi habitasse. Nam ideo meretrices *peregrinae* dictae sunt in comoediis, ut in Andria: *adeon est demens? ex peregrina?*" Haec enim nisi esset occulta adiectivi *Samia* vis, quae esset hoc loco verborum:

potest taceri hoc

a Parmenone interpositorum festivitas?

110. Rogata Thais civisne Attica fuerit puella illa, de qua narrat, respondet: *arbitror.*

---

[1]) Observandum in sermone, quo nunc utentem legimus Scholiastam, susque deque haberi sententias interrogativas, ita ut plerumque interrogationes indirectae sint in indicativo, directae sine ulla causa coniunctivum habeant.

Non hic negligendus lepidissimus Ciceronis locus (pro Fonteio § 29), ubi de Indutiomaro Gallo legimus: „illud verbum consideratissimum nostrae consuetudinis arbitror, quo nos etiam tunc utimur cum ea dicimus iurati quae comperta habemus, quae ipsi vidimus, ex toto testimonio suo sustulit atque omnia se scire dixit." Urbani ergo sermonis illud verbum est, sed dubitationis nihil habet.

De primo amatore suo ita Thais loquitur (vs. 119 sq,):

Ego cum illo, quocum tum uno rem habebam hospite,
Abii huc, qui mihi reliquit haec quae habeo omnia.

Bene se perspicere quam callido consilio hic omnia vocabula a Thaide sint electa conquisitaque testatur scholiasta annotando: „hoc ideo ne tantundem obsequii exigat Phaedria."

Post haec Thaidis verba exclamat Parmeno (vs. 121):

Utrumque hoc falsumst: ecfluet

et rogatus cur hoc dicat respondet:

Neque tu uno eras contenta neque solus dedit:
Nam hic quoque bonam magnamque partem ad te adtulit.

Notanda loquendi ubertas quae est in verbis bonam magnamque partem. Sic servum loqui decet qui sciat quomodo Thaidis causa pecunia fuerit corradenda; sciat, inquam, immo expertus sit: suum enim defraudare genium eum coëgit herus, prae Thaide omnes negligens.

Profecto in Cariam milite, Thais ait (vs. 126 sqq.):

te interea loci
Cognovi. Tute scis postilla quam intumum
Habeam te et mea consilia ut tibi credam omnia.

Annotat Scholiasta: „oratorie priorem amatorem facit militem quam Phaedriam. Nam posterius dicit hunc cognitum per absentiam militis. Ergo cum militi Phaedria rivalis superductus sit, consequens est ut miles queri debuerit, non Phaedria". Egregie, ut opinor. Hoc enim est quod fore praedixerat (vs. 70) Parmeno: „te ultro accusabit." Neque minus est vera ad vs. 128:

(scis) mea consilia ut tibi credam omnia

observatio: „urget hoc Thais quod Phaedria utatur consultore." Huc enim et illud spectabat, quod vs. 101 rogabat: „potin est hic tacere." Duas enim res simul in clara luce ponere studet Thais; et quam bene Phaedriae carere possit benignitate, quamque parum in illius potestate sit, et tamen vere a se unum illum amari diligique.

vs. 136 „Miles Rhodum deversus" Thais ait:

emit eam dono mihi
Imprudens harum rerum ignarusque omnium.

Annotat Scholiasta: „hic ostenditur, quam avidus id faceret si rem penitus nosset. Simul etiam ostenditur quanta secreta dicat Phaedriae, quae rivalis nesciat". Verissime; v. annot. de qua modo agebamus.

vs. 139:

Ait (miles) si fidem habeat se iri praepositum tibi
Apud me, ac non id metuat, ne ubi acceperim,
Sese relinquam, velle se illam mihi dare,
Verum id vereri.

Annotat Scholiasta: „Semper ait dicimus quum vel invisa nobis et audientibus, vel vana dicta narramus alicuius". Saepe apud eum recurrit utilissima haec de verbo ait observatio, quam veram esse unus hic locus docere potest. Operam enim Thais dat ut persuadeatur Phaedriae, quamvis egregium Thais a milite exspectet donum, tamen se ab ea longe longeque illi praeferri, illumque contemni, se amari.

Simul haec Thais insinuat (vs. 142 sq.):

sed ego quantum suspicor
Ad virginem animum adiecit.

Ad hunc locum duas habemus Scholiastae annotationes, utramque verissimam. Altera est: „magnifice [1]), ut rivalis odium

---

[1]) Magnifice hic positum est pro usitatiore illo mire.

deleniret, vult persuadere Phaedriae non se amari sed virginem." Alterius hoc est initium: „ut vel laedendi militis causa Phaedria patiatur". Corrupta sunt quae sequuntur, sed quid totum sibi voluerit scholion luce est clarius. Ad versum enim 145, ubi ita Thais de puella sibi a milite promissa loquitur:

Multae sunt causae quamobrem cupio abducere

annotatum invenimus: „Etiam hoc verbo gratificatur Phaedriae: non enim a c c i p e r e ut ab amico remunerante sed a b d u c e r e ut ab stulto et experte". Haec ergo annotatio idem continet quod duae illae ad vs. 142; siquidem e x p e r s hoc loco significat: m e i a m o r i s expers et cui ipsa nihil unquam concesserim.

vs. 144 sq. Audita Thaidis suspicione de milite amore puellae illius capto, verecunde et σεμνολογῶν Phaedria rogat: „etiamne amplius?" Etenim, ut Scholiastae verbis utar: „mundat Terentius, ut solet, res huiuscemodi per ellipsin suam". Respondet Thais:

nil, nam quaesivi

et Scholiasta annotat: „optime purgavit Terentius, quod mox liberalibus nuptiis fuerat obfuturum, si vitiatam virginem duceret Chaerea. Necessario ergo defenditur, tamquam quae honeste nuptura est." Quae huc fere redeunt: totius fabulae oeconomiae in tempore prospicit poëta. Illa enim puella Chaereae, Phaedriae fratris, iuvenis honesto loco nati, uxor fiet. Et optime mihi videtur veram loci vim perspexisse Scholiasta. Quid enim attinebat Thaidem tam firmiter hoc negare, quae „ad virginem animum adiecisse" militem s u s p i c e t u r tantummodo, nisi subesset hic aliquod p o ë t a e consilium?

vs. 146 sqq. Has affert causas Thais cur puellam a milite „abducere" cupiat:

Primum quod soror est dicta, praeterea ut suis
Restituam ac reddam: sola sum, habeo hic neminem
Neque amicum neque cognatum: quamobrem Phaedria
Cupio aliquos parere amicos beneficio meo.

Quid intersit inter sola sum et habeo neminem non potest melius doceri quam his Scholiastae verbis: „sola sum ab iis quos natura conciliat per se, habeo neminem eorum qui voluntate iunguntur".

Pro amicum Bentlejus legendum censebat notum, quae elegantissima est lectio etiam propter soni similitudinem in notum... cognatum. Scholiasta tamen amicum legit, quod apparet ex eius annotatione: „bene hoc apud amatorem, quia est aliud amator, aliud amicus". Si vero illa annotatio ad versus sequentis vocem amicos pertinet, quantocius recipiendam censeo Bentleji coniecturam. Satis enim puerile hoc videtur: „non habeo amicum... cupio amicos parere." [1])

Postremo blande Thaïs a Phaedria petit ut non solum consilium suum probet, sed etiam sibi in eo exsequendo ferat opem: vs. 150 sqq.

Id amabo adiuta me quo id fiat facilius.
Sine illum priores partes hosce aliquot dies
Apud me habere.

Iure huius loci venustatem his verbis laudat Scholiasta: „mira coactio: pro patere excludi adiuta me dixit" et „blande sine illum, tamquam in manu eius sit iniuriam non pati, et excludi militem."

vs. 152 Respondet Phaedria:

Pessuma,
Egon quicquam cum istis factis tibi respondeam?

gaudensque Parmeno exclamat:

Eu, noster, laudo; tandem perdoluit: vir es.

Nihil ergo eorum quae Thais dixerat se credere uterque significat. Illa enim de admittendo milite tanquam de aliquo dolo

---

[1]) Coniecturae Bentlejanae vel firmissimum praesidium est in Phorm. vs. 98:
Neque notus neque cognatus extra unam aniculam
Quisquam aderat.

locuta erat, in quo nullae essent Veneris partes, et quantum potuit veram verbi admittendi significationem dissimulavit.

Tum denuo Phaedria (vs. 155 sqq.):

> At ego nescibam quorsum tu ires: parvula
> Hinc est abrepta: eduxit mater pro sua:
> Soror dicta est: cupio abducere ut reddam suis.

Nihil unquam Latine venustius facetiusque scriptum esse dices si noveris qua voce et quo vultu haec sint proferenda. Hoc te docebit Scholiasta egregia annotatione: „vide μίμησιν cum odio inductam et depravatam pronuntiatione, ita ut ὁμοιοτέλευτα non vitarentur de industria". [1]) Et vera eum docere ex una particula at, quae praemittitur, apparet: permagna enim eius est acerbitas.

Sequuntur haec Phaedriae verba (vs. 158 sqq.):

> Nempe omnia haec nunc verba huc redeunt denique:
> Excludor, ille recipitur, qua gratia?
> Nisi si illum plus quam me amas et istam nunc times,
> Quae advecta est ne illum talem praeripiat tibi.

Tum Thais: „Ego id timeo?" et Phaedria: „quid te ergo aliud sollicitat?" Sollicitare apud Ciceronem est: pretio et promissis ad suas partes pertrahere homines." Hic „sollicitum reddere" et „animum alicuius perturbare" interpretantur. Sic certe Andria vs. 689:

> Sicin me atque illam opera tua nunc miseros sollicitari.

Sed nostro loco dubitationis ansam istud verbum praebet. Unde enim Phaedria agnoscere vel coniicere potest Thaidem anxiam, sollicitam esse? Quibus signis illa eum animi statum indicavit? Et quomodo nunc sequentia annectuntur? Certe cedo cum sequentibus cohaeret; est enim: „responde mihi

---

[1]) Tamquam exemplum huiusce figurae (μιμήσεως s. ἠθοποιίας) hos versus citat Quintilianus IX, 2. Ad. alios Terentii locos, ubi alicuius verba sic ab alio repetuntur ut pronuntiatione depraventur, Scholiasta annotat: ἐν ὑποκρίσει et ἐν ἤθει.

ad ea quae iamiam rogaturus sum". Interrogationes autem omnes illae vocem *talem* versus 161 respiciunt. Si vero fingimus *sollicitat* hic esse „te a me abstrahit" recte habent omnia.

164 sq. Sua dona enumeraturus Phaedria sic incipit:

> Num solus ille dona dat? Nuncubi meam
> Benignitatem sensisti in te claudier.

Vetusta haec est lectio, in qua *claudi* est *non patere*; alia lectio est *claudere*, ut *claudĕre* sit idem ac *claudēre* (claudicare). Quam licet defendere ego contra summorum virorum auctoritatem nolim, tamen neque reticeo in illo *claudier* esse quod male me habeat. Afferunt hunc Ciceronis locum (de Off. II, 15): „Nec ita claudenda est res familiaris ut eam benignitas aperire non possit, nec ita reseranda ut pateat omnibus". Sed ibi imago illa multo elegantius et rectius est adhibita. Et nostro Terentii loco Tulliani ratione habita pro *in te* requirimus *tibi*. Bentlejus coniecit: *intercludier*, quod parum verisimile propter Andr. 573:

> Nolo tibi ullum commodum in me claudier,

ubi *in me claudier* legitur, et recte *tibi*.

vs. 165 sqq. Haec ergo beneficia sua Thaidi in memoriam revocat Phaedria:

> Nonne ubi mi dixti cupere te ex Aethiopia
> Ancillulam, relictis rebus omnibus
> Quaesivi? porro Eunuchum dixti velle te,
> Quia solae utuntur his reginae: repperi.

Omnes horum versuum lepores accurate indicat Scholiasta annotando: „Vide quemadmodum exhibeat atque aerumnas sibi difficillimorum munerum dicat imposuisse meretricem. *Ex Aethiopia ancillulam* inquit *dixti te cupere*. Quid ego feci in re coeli et solis et paene orbis alterius? *quaesivi*, non enim in promptu erat. Deinde non petiisti sed *dixisti*, nec velle te sed *cupere*, non nigram sed ex Aethiopia; nec

dedi sed relictis rebus omnibus quaesivi. Quid hic non ita expressum ut nihil addi possit?"

vs. 171. Respondet Thais:

Quid istic, Phaedria?
Quamquam illam cupio abducere, atque hac re arbitror
Id fieri posse maxime: verum tamen
Potius quam te inimicum habeam, faciam ut iusseris.

Scholiasta: „quid istic consentire incipientis est; deest remoramur aut quid tale". Quam explicationem verissimam esse hi loci demonstrant: Andr. 572, Eun. 388, Ad. 133 (350), 956, Heaut. 1053.

175. Vix haec Thaidis audivit blandimenta cum exclamat Phaedria:

Utinam istuc verbum ex animo diceres
„Potius quam te inimicum habeam" et istuc crederem
Sincere dici, quidvis possem perpeti.

Eadem habes vocabula apud Catullum (109):

Iucundum mea vita mihi proponis amorem
Hunc nostrum inter nos perpetuumque fore.
Di magni facite ut vere promittere possit
Atque hoc sincere dicat et ex animo.

Quos versus eorum causa exscripsi, si qui demonstrando Catullum etiam in pulcherrimis illis de suo amore carminibus vocabula surripuisse aliis, tempus perdere voluerint. Interea hoc observemus omnia hic puellae verba a Phaedria repeti ut significet quantopere iis capiatur.

Tum Phaedriam Thais rogat (179 sq.):

Ego non ex animo misera dico? quam ioco
Rem voluisti a me tandem quin perfeceris?

Respicit hac interrogatione versus 165—7, ubi sua dona ei imputavit Phaedria.

Non diutius biduo praelatum iri militem Phaedriae asseverat Thais his verbis (vs. 183):

Profecto non plus biduum aut...

Tum Phaedria

Aut? nil moror

Verborum n i l m o r o r hic esse sensus videtur: „Non cupio audire, noli quidquam addere: de maiore dierum numero te nil dicere volo, quidquid sit."

Quid illo tempore faciet Phaedria?

Rus ibo (ait vs. 187): ibi hoc me macerabo biduum.

Lepide prudenterque admonet nos Scholiasta: „pronuntiandum est b i d u u m ac si dixisset b i e n n i o."

Eiusdem generis est aeque vera observatio, quae ad sequentem versum:

Ita facere certumst: mos gerundust Thaidi

legitur: „cum pronuntiatione et gestu, ut ostendat quae vis amoris sit ut Thaidi mos geratur." Recte, ut videtur. Conferendum est enim quod vs. 97 ipsa Thais dicit: „faciundum fuit." Quodque ad illum versum annotat Scholiasta de usu gerundivi, non illud tradere videtur quod nemo in ludo doctus ignorare potest, sed admonere lectorem a p u d T e r e n t i u m tum praesertim illam verbi formam adhiberi cum de *σιδηρᾶ τινι ἀνάγκῃ* agatur atque insignem quandam eius esse emphasin.

Iam sola relicta Thais reliquum consilium suum his verbis aperit:

Et quidquid huius feci, causa virginis
Feci, nam me eius spero fratrem propemodum
Iam repperisse, adolescentem adeo nobilem.
Et is hodie venturum ad me constituit domum.

Ubi illud a d e o vix intelligeres nisi Scholiasta te admoneret: ?
„a d e o exclamantis est et cum gestu pronuntiantis."

Actus II Scena 1.

Iam abiturus est Phaedria per biduum — quemadmodum rogavit Thais — cessurus militi. Dumque stat in limine aedium suarum anxius sollicitusque, Parmenonem admonet det operam ut ad Thaidem deducantur Eunuchus et ancilla nigra, quos ei promiserat. Tamque crebro eandem rem commendat servo, ut ille ad extremum iratus roganti hero (vs. 208):

Satin hoc mandatumst tibi?

respondeat:

Ah, rogitare quasi difficile sit.
Utinam tam aliquid invenire facile possis, Phaedria,
Quam hoc peribit.

Parmenoni enim qui, ut vidimus, Thaidem contemnit, despicit, odit (cf. ante omnia vs. 123: „hic quoque bonam magnamque partem ad te attulit", quaeque de illo versu observavimus p. 11), quidquid Thaidi herus dat perdere ille videtur. Cum lepida ergo et ridicula acerbitate pro: „ad Thaidem istud donum perveniet" dicit: „hoc peribit." Cf. Plaut. Truc. II, 7, 16:

meretricem ego ita esse reor mare ut est: quod des devorat nec unquam | Abundat.

et Tac. Hist. I, 30 (de Othone): „perdere iste sciet, donare nesciet."

Praeterea hoc verissime annotat Scholiasta: „P h a e d r i a ἠθικῶς interiectum; monet enim servus id quod Phaedriae inexspectatum esse putet."

Flebiliter herus respondet:

Ego quoque una pereo quod mihist carius.
Ne istuc tam iniquo patiare animo.

Tum servus: „minime qui effectum dabo: sed numquid aliud imperas?" Pro q u i e f f e c t u m Bentlejus q u i n f a c t u m, quae lectio haud dubie praestat vulgatae, quam intelligere potest nemo. Ad verba s e d n u m q u i d a l i u d i m p e r a s Scholiasta

annotat: „In his nihil servus vult nisi coactus facere propter maiorem dominum." Qua annotatione verbi *imperandi* vim illustrare vult, lectoremque admonere consulto hoc verbo uti Parmenonem ut ipse extra periculum sit, si quando Phaedriae pater cognoverit filium suum rem familiarem propter amicam dilapidare. Sed nimis cum pulvisculo mihi hic quidem singula vocabula excutere doctus commentator videtur, siquidem illud *numquid aliud imperas?* nihil est nisi loquendi quaedam formula, qua domini imperata facturus ab eo discedit servus.

vs. 214. „Munus nostrum" (ait Phaedria) „ornato verbis, quod
[poteris: et illum aemulum
„Quod poteris ab ea pellito."

Quam fideliter hoc mandato fungatur Parmeno mox, a Scholiasta admoniti, videbimus. „Interea ego" sic pergit Phaedria „rus ibo et totum hoc biduum ibi manebo." At servus hero prudentior: „non tam diu hinc abesse poteris."

„Nam aut iam" (i. e. statim) „revortere, aut mox noctu
[te adiget horsum insomnia."

Respondet herus:

Opus faciam, ut defetiger usque, ingratiis ut dormiam

et servus: „vigilabis lassus, hoc plus facies."

Hic verba „hoc plus facies" sic accipienda esse arbitror ut *plus facies* sit *proficies*; significat ergo: „tantum proficies et nil amplius."

Contra hero stat sententia; qui et aliis verbis obduraturum se profitetur et his (vs. 223):

Tandem non ego illam caream, si sit opus vel totum triduum?

Ridet eum servus dicens:

Hui
Universum triduum! vide quid agas.

Hic verissime Scholiasta docet: „*Vide quid agas*: sic dicitur magna aggredientibus."

Profecto Phaedria, servus dum solus secum miratur dominum

amore plane immutatum, Gnathonem parasitum appropinquantem videt, qui a milite adducit puellam iam Thaidi dono dandam; honestam eius faciem laudat tristis, cum probe sibi sit conscius quam prae illa sordeant dona, quae ipse sui domini verbis iamiam sit adducturus.

Actus II Scena 1.

Accedens Gnatho secum loquitur seque tamquam artis parasiticae emendatorem laudibus effert. „Quanto" ait „ego praesto miseris homuncionibus, qui illam artem antiquo simplicique modo exercent!"

vs. 234 sq.

> Conveni hodie adveniens quendam mei loci hinc atque [ordinis,
> Hominem haud impurum itidem patria qui abligurrie-[rat bona.

Sch.: „haud impurum: sic laudamus eos in quibus nihil est quod magnopere efferamus." Ergo, quamquam mediocri, tamen aliqua laude aspergit hominem parasitus: in laude enim hoc ponit quod patria abligurrierat bona. Nam qui victu parco sobrioque est contentus, ille ei est impurus i. e. sordidus avarusque.

„Me aspice, me imitare, meaeque da nomen militiae" Gnatho miserum hominem monuerat. Responderat ille (vs. 244):

> At ego infelix neque ridiculus esse neque plagas pati
> Possum.

Hic quid sit ridiculus quaeritur; quaeri non posset si Scholiastae nostri aliquam ad hunc locum haberemus annotationem; nam nunc vereor ut multi recte eum intelligant. Gravissime vero errant qui huc trahunt Iuvenalis versus nobilissimos:

Nil habet infelix paupertas durius in se
Quam quod ridiculos homines facit.

Res clarissimam accipit lucem ab iis quae mox sequuntur. Nova illa, quam Gnatho collegae suo famelico describit, ars huiuscemodi est: „homines quaero quos stulta quaedam sui abripit admiratio; quos ubi nactus sum

hisce ego non paro me ut rideant
Sed eis ultro arrideo et eorum ingenia admiror simul.

Quoniam autem vocabulum u l t r o tum additur cum contrarium fit eius quod solet quodque exspectatur, hanc habemus sententiam: olim parasitis hoc erat propositum ut regibus fautoribusque suis risum moverent vel iocose loquendo vel semet ipsos ludibrio esse patiendo. Iam illud s e m e t i p s o s l u d i b r i o e s s e p a t i nostro loco verbis p l a g a s p a t i significatur; restat ut r i d i c u l u s e s s e n o n p o s s u m sit: dicax esse et facetus non possum, atque r i d i c u l u s idem quod γελωτοποιός. „At nunc" sic Gnatho pergit „ego fautoribus meis arrideo et (nam sequitur quo res etiam fiat clarior si possit)

eorum ingenia admiror simul.

Nunquam tam frigide iocari illi possunt quin tamen ego rideam plaudamque."

Quidquid dicunt, laudo: id rursum si negant, laudo id quoque:
Negat quis nego, ait aio.

Multoque quaestuosiorem esse novam artem parasiticam quam veterem mox apparuit cum in macellum veniebamus. Ubi cum omnibus cuppedinariis me in summo esse vidit honore (vs. 261 sqq.):

homo coepit me obsecrare,
Ut sibi liceret discere id de me: sectari iussi,
Si potis est, tamquam philosophorum habent [disciplinae ex ipsis
Vocabula, parasiti ita ut Gnathonici vocentur.

Illud s i p o t i s e s t Daceria vertit: „pour voir s'il ne serait

pas possible." Certe haec sententia aptissima huic loco est; sed vereor ut ex verbis traditis elici illa possit, vitiique aliquid latere hic suspicor.

Tandem aliquando post longum hoc soliloquium sic semet ipsum interpellat Gnatho (vs. 265 sqq.):

Sed ego cesso
Ad Thaidem hanc deducere et rogare ad cenam ut veniat.
Sed Parmenonem ante ostium Thaidis tristem video
Rivalis servum: salva res est: nimirum hice homines frigent.

Vs. 267 mancum esse claudumque nunc sciunt omnes. Morbi sedem et originem primus Bentlejus perspexit. Etenim post illud *ad Thaidem* iteratum Thaidis nomen vix et ne vix quidem ferri potest. Venustissima autem est Bentleji lectio:

Sed Parmenonem ante ostium opperiri tristem video.

Quam quidni in textum recipiamus? Etenim quin repetitum Thaidis nomen aliquem infinitivum suo loco depulerit quis dubitare potest? Et iniusto possessore deiecto quid tam eleganter locum vacuum implet quam ipsum illud *opperiri*?

Tristem esse Parmenonem mox agnoscit Gnatho et cur sit simul perspicit. Alloquitur ergo hominem, deridet, ludibrio habet. Ex colloquio, quod inter eos fit, pauca quaedam protraham quae, partim Scholiastae ope, illustrem.

vs. 273 sq. Gnatho rogat: „quid tibi videtur hoc mancipium?" Hic *mancipium* εἰρωνικῶς dictum est: loquitur enim tamquam de ancilla vili.

vs. 274:

„Nunc gloriaris" Parmeno ait. „Scis enim

vs. 276:

Eiectos hinc nos, omnium rerum, heus, vicissitudo est."

Interiectionem *heus* praemittere est sententiam pronuntiaturi. Admonet hic nos Scholiasta quam bene Parmeno suo munere fungatur Thaidisque consilium celet. Eodem pertinet eiusdem annotatio ad vs. 282, ubi Parmeno:

age modo, nunc tibi patent fores hac, quia istam ducis.

„Hoc" ait Scholiasta „quasi ad Gnathonem, sed lente et sub lingua murmurat". Scholiasta ergo censet Parmenoni persuasum esse de bona fide Thaidis. Equidem dubito: vidimus enim quam pertinax idem ille Parmeno paulo ante fuerit Thaidis adversarius. Ergone nunc mutavit mentem, certaque stat ei spes elapso biduo exclusum iri militem et totam fore Phaedriae Thaidem? Non tamen nego fieri posse ut Parmeno aliquam in Thaidis fide spem ponat. Mox versus afferam qui hoc mihi reddant credibile. Sed prius versum praecedentem aspiciamus a Scholiasta lepidissime illustratum. Vs. 280 sic Parmenonem alloquitur Gnatho:

Detineo te: fortasse tu profectus alio fueras.

Quam mordax illud dictum sit nemo Scholiasta melius perspexit; annotat enim: „vult exprimere confessionem quod ad Thaidem venerit sed intrare non possit."

Hoc tamen mordacius etiam quod restantem Parmenonem Gnatho rogat vs. 283 „numquem evocari hinc vis foras?" (nempe servorum aliquem).

Haec ubi dixit Gnatho aedes introit. Tum solus Parmeno loquitur (vs. 283 sqq.):

Sine biduum hoc praetereat:
Qui mihi nunc uno digitulo foris aperis fortunatus
Ne tu istas faxo calcibus saepe insultabis frustra.

Hi sunt illi versus, quibus modo dicebam in eam me adduci opinionem ut credam, iam de Thaide optima quaeque sperare Parmenonem. Qui dum etiam ante Thaidis ostium otiosus adstat accurrentem cernit erilem filium Chaeream.

Scena 3.

Secum ille Chaerea omnes sibi adversarios deos lamentatur qui eripi oculis suis passi sint virginem omnium quas unquam

viderit formosissimam. Secum Chaerea loquitur, non tamen eius verba Parmenonem fugerunt, itaque

„ecce" (ait vs. 297) „autem alterum
Nescio quid de amore loquitur: o infortunatum senem."

Lepidissime hic illud ecce autem positum. Ita malis iam assuetus aliquis, novo malo appropinquante, loquitur iram celans verbis quietum animum simulantibus. Cf. Phorm. 264: „ecce autem similia omnia." Neque dissimile est quod paulo ante in eadem Phormione fabula legitur: „vix tandem."

Sic de infortunio suo queri pergit Chaerea (vs. 302):

Ut illum di deaeque senium perdant qui hodie me re-
[moratus est.

Hic quoque hodie non tam ad tempus indicandum additur, quam quod animo irato vel obstinato egregie convenit.

Conspecto Parmenone statim totam rem ei uno vocabulo amo Chaerea aperit. Quo audito ille Hem exclamat. Nam quamquam eius modi aliquid exspectaverat Parmeno, tamen animo perturbatur ubi se vera suspicatum cognoscit. Nemo enim fere apud Terentium interiectione hem utitur nisi qui vehementer animo commoveatur, sive terrore, sive metu sive denique indignatione.

Iam obsecrat Parmenonem Chaerea ut sibi in potiundo amore suo opem ferat, hominique simul in mentem revocat quam bene olim de eo sit meritus.

Ecce eorum colloquii partem (vs. 307 sqq.):

Ch. Nunc, Parmeno, te ostenderis qui vir sies.
Scis te mihi saepe pollicitum esse: „Chaerea, aliquid inveni
Modo quod ames: in ea re utilitatem ego faciam ut cog-
[noscas meam:"
Quom in cellulam ad te patris penum omnem congerebam
[clanculum.
Pa. Age, inepte. *Ch.* Hoc hercle factumst. fac sis nunc
[promissa appareant.

Ad vs. 309 Scholiasta annotat: „*modo quod ames*: tantummodo, quasi haec mora sit promissis complendis", et ad 311: „*hoc hercle factum est*: inveni quod amem: hoc quod dicebas, inquit, morae esse, iam factum est, amo". Sed Ruhnkenius: „*hoc factum est*: formula de re vera et minime dubia," affertque ex Petronio: „*factum, non fabula*" et ex Quintiliano: „*certum est, factum est, eripi non potest*." Quae hinc aliena videntur; etenim nostro loco *hoc* additur. Equidem Scholiastae obloqui non ausim. Non enim Parmeno verbis *age inepte* negare videtur illud de *penu in cellulam congesto*, sed quodammodo averruncare pueri narrationem de suo amore tamquam de re seria. [1])

Nihil est iocosius quam Chaeream audire severe, Paridis cuiusdam instar, formas feminarum iudicantem. Mox in colloquio cum amico Antiphonte dicturus est (vs. 566):

Ipsus me nosti quam elegans formarum spectator siem.

Sed iam hic fastidium suum ostentat. Ceteras omnes mulieres contemnit, despicit, nihili facit, cives certe quas matres inepta sua educatione naturae bonis spolient. Puellae Atticae (an Romanae dicam?) quemadmodum a matribus corrumpantur et aliis verbis lepide describit et hisce (vs. 315—7):

Siquast habitior paulo, pugilem esse aiunt, deducunt cibum:
Tametsi bonast natura, reddunt curatura iunceam.
Itaque ergo amantur.

Ad vocabulum *habitior* illustrandum haec e Gellio (IV, 20) adscribo: Censores Publius Scipio Nasica et Marcus Popilius, cum equitum censum agerent, equum nimis strigosum et *male habitum* sed equitem eius uberrimum et habitissimum

---

[1]) Vocabulis Belgicis: „Loop heen, malle jongen!" quem aptius alloquaris quam adolescentulum, paene puerum, qui de suo garriat amore?

Cf. praeterea Ad. vs. 271, qui locus nostro proposito utilissimus est. Ctesipho fratri Aeschino, a quo insigne accepit beneficium, gratias agit, laudatque eum verbis magnificis, animo enim est elato, gaudiumque suum effundere gestit. Tandem Aeschinus adolescentulum exsultantem sic corripit: „age inepte."

viderunt et „cur'' inquiunt „ita est ut tu sis quam equus curatior?''

Sed quid isto itaque ergo amantur faciam dubius haereo. Quo enim sensu dicta ea sunt et quomodo pronuntianda? Dixeris cum acerba irrisione; hoc enim velle Chaeream: „ita fit ut nemo eas amare possit.'' Certe haec sententia optime in hunc locum quadrat, sed eratne vocibus itaque ergo iungenda cum iis quae praecedunt?

Deinde virginis sibi conspectae singulas enumerat venustates, sed unde illa sit cuiave atque ubi habitet roganti Parmenoni non habet quod respondeat. Tandem Parmeno „qua ratione amisisti?'' rogat, atque Chaerea:

Id equidem adveniens mecum stomachabar modo.

Graece haec verte: *ταῦτα γὰρ καὶ ἐχαλέπαινον δεῦρο βαδίζων*, ipsam Chaereae vocem plenam iracundiae tristitiaeque audire tibi videberis. Neque poterat aptius ille verbum eligere quam hoc stomachandi est; rectissime enim illud adhibetur de eo qui irascitur, sed nil facere potest. Conferatur Ciceronis illud: „Stomachabatur Canius, sed quid faceret?''

Quam infelici casu factum sit ut virginem ex oculis amitteret, lepidissima hac vitaeque plena altercatione palam fit (vs. 327 sqq.):

Ch. Patris cognatum atque aequalem Archidemidem
Novistin? *Pa.* Quid ni? *Ch.* Is dum hanc sequor fit mi obviam.

Quod simulac audivit Parmeno „incommode hercle'' ait. Nil poterat facetius excogitari quam hoc Parmenonis dictum, quo et Archidemidem illum probe se nosse significat et expertum scire quid sit illi obviam venire. Vultum, hercle, hic iocosi servi conspicimus.

Quivis alius hic leniter rideret. Graviter vero Chaerea (vs. 329 sq.):

Immo enim vero infeliciter:
Nam incommoda alia sunt dicenda, Parmeno.

Ἠθικώτατα ille vocativus Parmeno interiicitur ab eo qui sibi egregiam quandam sapientiam proferre videatur.

vs. 335—42. Ineptus ille senex iam ex longinquo Chaeream retinuerat, deinde quae dicenda erant quam maximis dixerat ambagibus. Balbam eius loquacitatem lepide Chaerea refert; „tandem abeo" inquit

quom huc respicio ad virginem,
Illa sese interea commodum huc advorterat
In hanc nostram plateam.

Hic quoque in verbis interea commodum deprehendimus ubertatem illam verborum intimis mentis cogitationibus proferendis aptissimam, de qua alio loco fusius sumus dicturi.

Parmeno, de virginis a Chaerea tam laudatae comitibus edoctus et qua via ierint cognito, mox illam ipsam esse eam intelligit quae modo a Gnathone militis nomine ad Thaidem sit introducta. Sequitur locus praestantissimus, qui ceteris omnibus melius doceat quantus sit artifex poëta noster. Profecto egregium hic habet exemplum qui Terentii vult laudare oeconomiam; Terentii, aio, nam non credo haec omnia sic in Menandri fabula fuisse, et cur non credam breviter dicam. Annotat Scholiasta: „vide quam molliter et sine intellectu spectatoris ad argumenti spectati ordinem poëta perveniat, ut de Eunucho facta mentione consilium nascatur supponendi Chaereae." Et permulti sunt loci, ubi sic Scholiasta poëtam vel Terentium laudat; non hoc faceret, si illos locos, verbum de verbo expressum, e Menandro (vel Apollodoro) translatos sciret; et quam accurate ille Graeca Terentii exempla nota habuerit quavis pagina apparet. Non tam ineptus est Scholiasta ut Terentium admiretur propter aliquam rem a poëta Graeco venuste inventam. Immo omnibus illis locis Scholiasta legentes docere videtur Menandri (vel Apollodori) aliquod artificium a Terentio ita esse mutatum, exornatum, amplificatum ut proprium ipsius fieret. Sed de toto hoc argumento alibi accuratius disputabo,

hic de loco in quo nunc versamur sententiam meam pronuntiasse satis habeo.

„Ad Thaidem deducta est" Parmeno narrat „eique dono data a milite, fratris tui rivale. At frater tuus nil habuit miser quod Thaidi daret quam Eunuchum, qui mihi iam ad illam est deducendus." Hic Eunuchi illius praedicat fortunam Chaerea. Etenim „summa" (ait, vss. 366 sqq.):

forma semper conservam domi
Videbit, colloquetur, aderit una in unis aedibus.
Cibum non numquam capiet cum ea, interdum propter dormiet.

Ludibrio eum servus habet et „vin te illius Eunuchi vestibus indutum ad Thaidem deducam?" rogat, haud reputans quam imprudenter faciat quod adolescentulum tam θερμόβουλον quam hic est audacissimi facti admoneat. Statim enim illud tamquam serio datum consilium arripit Chaerea. Audire iam non vult servum affirmantem se ioco illud dixisse, cogit eum, trudit, impellit, vi secum in patris sui fratrisque aedes attrahit, unde Eunuchi sumptis vestibus quam primum pro Eunucho ad Thaidem deducatur. Rogantique servo (vs. 389) „iubesne" respondet: „cogo atque impero; nunquam defugio auctoritatem." Quo audito servus „sequere: di vortant bene." Tum aedes introeunt. Hic apte appositeque annotatur: „Evidenter ostendit plus esse i m p e r a r e quam iubere." Nam i m p e r o ubi dixit Chaerea, tum demum significat se nunquam culpam in servum esse reiecturum. Alibi eiusmodi de i m p e r a n d i verbo observationem minus recte adiectam vidimus. Atque ex uno hoc exemplo apparet quam parum fidelibus custodibus vetusti Scholiastae sapientia commissa fuerit.

Sed restant quaedam in praecedentibus de quibus annotare pauca lubet.

vs. 359. Audito Thaidis nomine Chaerea: „Sed istam Thaidem non scivi nobis vicinam." Respondet Parmeno „haud diust." Perite Scholiasta annotat: „οἰκονομία contra istud quod mere-

trix vicina est." Et mox: „artificiose inculcat poëta τὸ πιϑανόν" [1]).

vs. 361. Formosam esse Thaidem ubi audivit Chaerea rogat: „at nil ad nostram hanc?" Scholiasta: „moraliter nostram dixit pro meam."

vs. 362. „Obsecro hercle, Parmeno, fac ut potiar" Chaerea ait, et Parmeno: „faciam sedulo." Faciam sedulo plus est quam strenue operam dabo. Accedit etiam fidelis amicitiae notio. Saepe enim homines omnem lapidem movent, non tam ut amicum adiuvent quam ut specie industriae eum decipiant. Cf. Ciceronianum illud: „Quamquam sedulo faciebat, tamen interdum non defendere sed praevaricari videbatur."

vs. 369. Quid si nunc tute fortunatus fias? „Sic videtur dicere Parmeno, potius ut iocetur quam ut fieri credat posse." Veram esse hanc Scholiastae observationem ex iocosa vocabulorum, quibus Chaerea modo usus est, apparet repetitione, qua ludicrum suum consilium Parmeno commendat [2]).

375. Et hoc adiicit Parmeno:

Praeterea forma et aetas ipsast, facile ut pro eunucho probes.

Multo elegantius Bentleius:

Praeterea forma et aetate ipse es, f. u. p. e. p.

378. Videns quantum periculi ioco suo excitaverit Parmeno exclamat:

Perii, quid ego egi miser?

Hic minime abundat ego: eo enim adiecto multo fit flebilior servi oratio.

379. „Quo trudis?" rogat. Ad haec verba egregiam habemus Scholiastae annotationem: „Comici semper ea ostendunt fieri

---

[1]) Eodem spectat annotatio ad Adelph. 648 sq.

[2]) Simulque illa argumento est sententiae modo a me prolatae: Terentii hoc esse inventum ut Chaereae dolus e consilio a Parmenone iocante dato nascatur. Nam miraculi instar sit istam verborum repetitionem, mutatis modo personis, iam in Graeco exemplari fuisse, illamque Terentius dum verteret, venustissimum hunc natum octonarium:

Cibum uua capias, adsis, tangas, ludas, propter dormias.

ab altero verbis alterius personae, quae ostendi per se ipsa non poterant; ut nunc manu agere Chaeream Parmenone ipso dicente cognoscimus." Eodem modo, si quis in Graeca fabula μαρτύρομαι exclamat, ei modo inflictam alapam scire possumus. Cf. Ad. 173 ubi „ei misero mihi" leno verberatus ululat.

386. „Quidni ego Thaidem meretricem fallam?" Chaerea retinentem Parmenonem rogat:

An potius haec pati? aequum est fieri ut a me ludatur dolis.

Sic vulgo editur, exstat varia lectio patri pro pati, cuius ope Bentlejus egregium hunc fecit versum:

An potius par atque aequumst pater ut a me ludatur dolis?

Certe patris mentio rectissime hic fit. Nam nisi Thaidem deceperit Chaerea et dolo ab illa virginem abduxerit, nihil restat nisi ut a patre pecuniam abradat qua virginem emat. Atque in senibus emungendis sine ulla religione servi adolescentibus dant operam.

Actus III Scena 1.

Parmeno ex heri aedibus procedens ut ad Thaidem deducat ancillam nigram et Eunuchum illum simulatum, adstare iam ante Thaidis ostium Thrasonem militem videt cum suo parasito Gnathone. Modo advenerunt, sed sermo eorum „sic prodit ut post scenam inchoatus esse videatur" quemadmodum perite observat Scholiasta. Audit illùm sermonem ex suo angulo Parmeno, audit ineptam militis iactationem parasitique adulationem abiectam. Pauca quaedam ex ludicro illo colloquio accuratius aspiciamus.

vs. 391. „Magnas vero agere gratias Thais mihi?"
Militis verba sunt atque ea prima Parmeno excipit. Annotat Scholiasta: „plus sonat infinitivus modus finito." Hoc, ut opinor,

vult, iam ex illo infinitivi usu ineptum fatui hominis apparere fastum. Libenter credo, verte enim haec Belgice: audies vocem stolide superbientis.

Respondet Gnatho: „Non tam dono laeta fuit Thais sed quod a te datum est: id vero serio triumphat.” Censet Scholiasta de industria, et ut Thrasoni blandiatur, hoc triumphandi verbum adhibere Gnathonem, quoniam „militare dictum” sit. Hic quidem, ut opinor, egregium virum studium illud ceteroquin laudandum in quovis vocabulo aliquam venustatem deprehendendi fefellit. Nam omnes homines eo sensu illo verbo utuntur, non milites soli militumve adulatores. Cf. Phorm. 543 ubi servus herilem filium rogat:

Non triumpho ex nuptiis tuis si nil nanciscor mali?

vs. 395 „est istuc datum

Profecto, ut grata mihi sint quae facio omnia.”

Quanta insit his vocabulis superbia optime intelliges si reputabis datum esse: „a dis immortalibus datum”. Gratum autem est: „quod facit ut gratias nobis habeant homines.” Cf. Heaut. 262:

Tum quom gratum mihi esse potuit nolui.

Narraturus „quam grata sibi sint omnia,” i. e. quam sibi homines devincire sciat soleatque, hoc primum affert exemplum (vs. 397 sq.):

vel rex semper maximas
Mihi agebat quidquid feceram: aliis non item.

Annotat Scholiasta: „Quam intempestive miles ad regem transitum facit cum de meretrice agatur”. Rectissime, ut opinor: habetur enim sermo ante mulierculae aedes, et de mulierum captandis mentibus erat agendum.

„Rex ergo” Thraso narrat (403 sqq.):

sicubi eum satietas
Hominum aut negoti siquando odium ceperat,
Requiescere ubi volebat, quasi, nostin?

Scholiasta: „grate expressit stulti infantiam militis, qui ante vult intelligi quod sentit, quam ipse dicat." Eiusdemmodi legitur observatio ad vs. 412, ubi sic de sua apud regem gratia narrare pergit:

Invidere omnes mihi,
Mordere clanculum: ego non flocci pendere:
Invidere omnes mihi.

„Mire est facta nullius ponderis repetitio ad inertiam loquentis exprimendam." Prudenter haec observata videntur; sed ne illic quidem obloqui Scholiastae ausim, ubi (vs. 432) ad vocabulum „emoriri" haec fere annotat: „vitiosa forma qua militis stultitia significetur et rideatur", licet primo aspectu satis absurda ea observatio videri possit. Sit sane emoriri non vitiosa forma, est tamen minus usitata, et cur miles eam adhibeat nullam aliam causam video quam stultitiam eius barbariemque; saepeque in comoedia unum aliquod vocabulum rarius ad spectantium cachinnos excitandos efficacius est quam longa atque ineptiarum plena sententia.

vs. 406. Verbo nostin interrogatus Gnatho respondet:

scio
Quasi ubi illam exspueret miseriam ex animo.

Hic quid sibi velit vocabulum ubi minime intelligo. Ex praecedenti versu irrepsisse censeo, hic vero „quasi ut" legendum: sic enim demum recte procedet oratio.

„Perpaucorum hominum rex est" dixerat Thraso. Tum Gnatho (vs. 409):

Immo nullorum arbitror
Si tecum vivit.

Annotat Scholiasta: „hoc aversus ne miles audiat." Recte, ut opinor, licet idem addat: „potest tamen et aliter intelligi."

Narravit Thraso quomodo quondam in coena praefectum quendam, a quo esset lacessitus, ultus sit. Exclamat Parasitus (417 sq.):

> Pulcherrime hercle dictum et sapienter. Papae
> Iugularas hominem. Quid ille?

et Thraso: „mutus ilico." Sequuntur haec:

> Quid ni esset! Di vostram fidem: hominem perditum
> Miserumque: et illum sacrilegum.

In editionibus verba „Quidni esset?" Gnathoni dantur, illud autem „Di — sacrilegum" secum loquitur Parmeno. Sensus ergo esse debet: „plane miser est hic miles, cui eiusmodi sit amicus, et quam scelestus ille amicus est!" Sed totum hoc dictum non tam Parmenoni convenit quam philosopho alicui docenti qui amico utatur adulatore miserrimum, illum vero ipsum pessimum mortalium esse; et est eius oratio satis languida. Quid si Thrasoni damus „mutus ilico, quid ni esset?" tum Gnathoni: „Di vostram fidem: hominem perditum miserumque et illum sacrilegum," ut Gnatho hoc fere dicat: „miseret me hominis, vel potius misereret, si non sacrilegus ille esset." Illud autem „miseret me hominis a te profligati" egregie decere Gnathonem e verbis mox sequentibus apparebit, ubi ille, audito quid quondam Thraso adolescenti adversario responderit, flebiliter (vs. 430):

> Dolet dictum imprudenti adolescenti et libero.

Ibi enim d o l e t (sc. mihi) prorsus idem est ac m i s e r e t m e.

Tandem ad rem praesentem Thraso venit et (434):

> Sed heus tu, purgon ego me de istac Thaidi,
> Quod eam me amare suspicatast?

Illud h e u s t u praemittit qui de re gravissima sit consulturus et de qua iam sibi (ut ipse credit) sapientissimum consilium ceperit. Et praeterea loquitur miles tamquam cui persuasum sit sui amore flagrare virginem.

„Minime vero" parasitus respondet. Sequitur vss. 437—445:

> Scin siquando illa mentionem Phaedriae
> Facit aut si laudat, te ut male urat? *Thr.* Sentio.
> *Gn.* Id ut ne fiat, haec res solast remedio.

Ubi nominabit Phaedriam, tu Pamphilam
Continuo. Siquando illa dicet „Phaedriam
Intro mittamus comissatum": Pamphilam
Cantatum provocemus. Si laudabit haec
Illius formam: tu huius contra. Denique
Par pro pari referto, quod eam mordeat.

Duas ad lepidissimum hunc locum emendationes proposuit Bentlejus, quarum alteram utique recipiendam, alteram plane improbandam censeo. Nempe pro *cantatum* haud dubito quin *cantum tu* legendum sit: opus enim illic est pronominis repetitione. Contra vs. 445 vereor quidem ut *par pro pari referre* Latine dici possit, sed quod Bentlejus dat *par tu pari referto* haud dubie vitiosum est; nam in singulis quidem partibus consilii a Gnathone dati pronomen *tu* ponendum est, in earum ἀνακεφαλαιώσει ferri illud non potest.

Vs. autem 439 *id ut ne fiat* est *ne te urat* i. e. ne ullum ex illo consilio capiat fructum.

Ad vs. 443 bene annotat Scholiasta: „eleganter, quia illa foris est, haec intus, illum *intromittamus*, hanc *provocemus*."

Hic vero miles: „si quidem me amaret, tum illud prodesset, Gnatho." Egregiam hic habemus annotationem Scholiastae de οἰκονομία quae his versibus inducitur; e qua haec afferimus: „si hoc tollas (militem semper intellexisse se non amari) aut excludendus est Phaedria, aut e dolore militis in hac fabula fit tragicus exitus." Nec minus egregia haec: „meminisse oportet ridiculas personas non omnino stultas et excordes induci a poëtis comicis. Nam nulla delectatio est, ubi omnino qui deluditur nihil sapit." [1]) Et verum esse quod de nostro versu ob-

---

[1]) Ad. vs. 578. Syrus Demeam senem ablegans longam ei monstrat viam qua fratrem invenire possit, aliosque multos locos nominat et angiportum quendam. Sed ubi dixit „Hac pergito," Demea exclamat: „Id quidem angiportum non est pervium." Hic quoque egregie Schol.: „observa *Terentianam* consuetudinem, in qua inducit non nihil sapere eos qui falluntur."

servat, e vocativo G n a t h o apparet, quem adiicit miles quia cum doloris quodam loquitur sensu.

Solatur hominem Gnatho dicendo: „te amat quia dona tua amat." Tum Thraso (vs. 451):

Benedixti: ac [1]) mihi istuc non in mentem venerat

et Gnatho (452 sq.):

Ridiculum: non enim cogitaras: ceterum
Idem hoc tute melius quanto invenisses, Thraso!

Quam ridicule etiam sagacissimi homines errare possint ex hac Bentleji apparet annotatione: „si idem est, quomodo melius? Lege: i d e m h o c a u t m e l i u s t u t e i n v e n i s s e s T h r a s o." Fugit virum praestantissimum rara huius loci venustas. Nam verum quidem est eandem rem melius peiusve inveniri non posse, sed in hoc ipso summus est dicti lepor, neque poterat facetius Gnatho homini stulto adulari quam sic: „si tu eandem rem invenire dignatus esses, melius invenisses."

Actus III Scena 2.

Prodit Thais, salutat militem, qui statim eam admonet doni a se dati. Hic Parmeno (vs. 457):

quam venuste: quod dedit
Principium adveniens!

Gratias militi agit Thais; tum continuo parasitus:

Eamus ergo ad coenam.

Et Parmeno secum:

Hem alterum:
Ex homine hunc natum dicas?

Coniectum hic est: „abdómini hunc natum dicas." A quo? Ab aliquone nostrae aetatis viro insane docto? Immo a Bent-

[1]) Sic Fleck.; l. a t.

lejo. Et laudat illam coniecturam Ruhnkenius defenditque hoc e Cicerone (in Pisonem 17) loco afferendo: „ille gurges atque helluo, natus abdomini suo, non laudi ac gloriae." Quasi vero ulla hic sit mutatione opus. Rogat enim Parmeno: „hominemne ex homine an beluam ex belua natum dicas?"

Sequitur (vs. 460): „ubi vis, non moror." Thraso haec nunc loquitur in editionibus. Quanto prudentius Thaidi illa dat Daceria. Etenim ut Thaidem ad coenam secum duceret miles venit: illa nunc se paratam esse declarat.

Hic ex angulo suo prodit Parmeno Thaidemque alloquitur. Cui illa (vs. 462): „Ehem Parmeno, bene fecisti." Annotat Scholiasta: „Quid bene fecit Parmeno, an quasi perturbata haec loquitur, etiam de nihilo blandiens, utpote meretrix et faceta?" Haud male: nescit enim Thais quid dicat, ergo profert aliquod dictum urbanum quod nullam vim habeat, et eiusmodi dictorum plenum habet illa armarium. Cf. p. 10 ad vs. 95. [1])

Abire cum Thaide gestientem Parmeno alloquitur (vs. 466 sq.):

Quaeso hercle ut liceat, pace quod fiat tua,
Dare huic quae volumus, convenire et conloqui.

Displicet hoc: tres infinitivi et *et* ultimo additum. Sed quo modo vitium tollam nescio. Non inepte Scholiasta annotat: „sic pronuntiandum est ut quasi dicat: liceat per te, miles, quod etiam inter hostes et in bello licet." Certe acerba in Parmenonis verbis inest derisio.

Tum miles (vs. 468):

Perpulchra credo dona aut nostri similia

Et Parmeno: „Res indicabit." Tum statim ad eos qui in domini sunt aedibus:

Heus, iubete istos foras
Exire, quos iussi, ocius.

---

1) Ad similem locum (Phorm. 1005) Scholiasta annotat: „Feminarum oratio etsi non blanditur blanda est."

Atque prodeunte ancilla nigra: „Procede tu huc. Ex Aethiopiast usque haec." Perite Scholiasta annotat: „Cum fiducia et alto vultu pronuntiat; et festinat ne occupet miles prius abire quam videat." Facit autem Parmeno quod iussus est vs. 214: „munus nostrum ornato verbis."

Tum Eunuchum suum simulatum manu adducens sic alterum illud donum exornat verbis (476 sqq.):

Fac periclum in litteris
Fac in palaestra, in musicis: quae liberum
Scire aequomst adolescentem: sollertem dabo.

Sollertem dabo quomodo sit accipiendum non video. Certe non sic ut vult Ruhnkenius: „rebus ipsis ostendam eum peritissimum harum artium. Plaut. Mil. III, 1, 56:

Plus dabo quam praedicabo ex me venustatis tibi."

Sed plane aliud quid est dare Plauti loco atque nostro Terentii. Eunuchus ad hoc exemplum dicere poterat: „sollertiam dabo"; Parmenoni utendum erat futuro exacto.

480 sqq. „Atque haec qui misit" sic Parmeno pergit vix militis interpellantis verba audiens „non est amator imperiosus

verum ubi molestum non erit, ubi tu voles,
Ubi tempus tibi erit, sat habet, si tum recipitur."

Singularem vim habet atque: „et quod maximum est, is qui tam pulchra dona dat..." Admonet hic lectorem Scholiasta quam bene memor Parmeno sit iussi (vs. 214 sq.): „illum aemulum, quod poteris ab ea pellito."

Hanc rivalis sui verecundiam ubi laudari audivit Thraso, contemptim (vs. 486):

Apparet servum hunc esse domini pauperis
Miserique.

Statimque Gnatho:

Nam hercle nemo posset, sat scio,
Qui haberet qui pararet alium, hunc perpeti.

Scholiasta: „aliam causam subtiliorem assignat parasitus quam dixerat miles." Rectissime: miles enim se invisum reddit gloriando se divitiis suis facilem sibi ad Thaidem parare aditum. Hanc invidiam callide ab eo removet Gnatho.

Restante etiam Thaide ut dona Phaedriae introducat et ancillis suis imperet quaedam, Thraso (vs. 494):

Ego hinc abeo, tu istanc opperire.

Haec Gnathonem miles iubet, tamquam qui parum curet Thaidem, certusque sit eam suis donis teneri obstrictam. Sed mox exeunte Thaide consilium mutat Gnathonemque sic alloquitur (499):

Abi prae, cura ut sint domi
Parata.

Abiens Thais haec Pythiadi ancillae mandat (501 sqq.):

Fac cures, si Chremes hoc fortè advenerit,
Ut ores, primum ut redeat: si id non commodumst,
Ut maneat: si id non poterit ad me adducito.

Recte nunc h o c f o r t e legitur pro h u c f o r t e, quod a Thaide dici non potest, quoniam certo Chremetem exspectat, neque usquam alibi quam domi suae. Est autem h o c f o r t e: „hoc temporis intervallo, dum ego forte absum."

Tandem (504 sq.):

quid! quid aliud volui dicere?
Ehem: curate istam diligenter virginem.

Ne quis ignoret quid haec sibi velint, lectorem moneo festinare Thaidem: intelligit enim militem irasci non esse e re sua.

Haec ubi dicta, ad militem coenatum abeunt miles ipse, Thais, Gnatho.

Actus III Scena 3.

Vixdum illi sunt profecti cum Chremes advenit, quem iuvenem ad se arcessiverat Thais, ut puellam, quam a milite esset acceptura, ei traderet, cum illius eum fratrem esse putaret et iure putaret. At ille cur fuerit vocatus et quid omnino sibi Thais velit minime intelligit. Secum ergo de re illa obscura quae sibi sit oblata disputat. Sed quae ille loquitur quam venusta sint, quam bene apteque singula sint vocabula electa, et quanta arte tota illa Chremetis persona sit depicta, vix et ne vix quidem intelligeremus, nisi in tempore praesto nobis esset egregius ille praeceptor, Scholiasta. Is enim huic scenae breve hoc praemisit monitum:

„Haec persona apud Menandrum rustici adolescentis est.'' Non eo consilio hoc dictum quasi aliter haec Chremetis persona a Terentio sit depicta atque a Menandro, sed significat hanc adolescentis rustici personam a Terentio ex Menandri Eunucho sumptam esse, non aliunde, ut militem et parasitum. Ergo ut verba factaque Chremetis bene intelligamus, hoc tenendum — atque haec est totius observationis praecipua pars — rusticum esse adolescentem Chremetem. Iam hoc hominis longe ab urbe viventis, tam multis verbis suam de dolo malo suspicionem significare: „profecto, quanto magis magisque cogito, nimirum:''

vs. 509. „Ita me video ab ea astute labefactarier''. L a b e f a c t a r e legitimum verbum est de eo qui a severitate ad nequitiam perducitur.

vs. 511.

„Roget quis: quid tibi cum illa? ne noram quidem.'' Audis hic iuvenem subrusticum mirantem qui mulierculae innotescere potuerit. Chaerea contra, urbanus ac militaris, miratur (vs. 360) quod Thaidem nondum viderit.

vs. 513. „Ait rem divinam fecisse."

Nescit Chremes semper rei divinae intentas esse mulierculas; itaque illud ait praemittit tamquam de re parum verisimili.

vs. 515 sq. ipsa accumbere

Mecum, mihi sese dare, sermonem quaerere.

Nonne sunt hi infinitivi eius qui secum memoria recolat meretriculae astutias quas ipse vix vitarit?

Sermonem quaerere. Annotat Scholiasta: „Sermonem quaerimus, quando non solum quod dicamus quaerimus, verum etiam quomodo alter nobis respondeat et obloquatur: puta cum deficientibus sermocinandi causis quota sit hora et satis recte quis valuerit percontamur." Rectissime: certo enim consilio haec omnia a Thaide dicta rogataque esse ei ne in mentem quidem venit, nedum bona fide eam egisse et sibi sororique suae prospicientem. Deinde in memoriam redit eorum quae Thais rogaverit. Illa autem omnia ad cognatos virginis inveniendos pertinent, sed huiuscemodi sunt ut suspicionem adolescenti rustico oriri minime mireris. Et hinc huius soliloquii summus lepor summaque venustas. Rogaverat „quam pridem pater materque Chremetis mortui essent." Suspicatus ille haec eam rogasse ratam se modo rerum suarum dominum factum moxque illas dilapidaturum, responderat „iam diu." Deinde „res Sunii ecquod haberet et quam longe a mari." Quoniam praedium maritimum aut propter facilem frugum subvectionem aut propter amoenitatem aquarum pretiosius est, Chremes secum (vs. 520):

Credo ei placere hoc, sperat se a me avellere.

vs. 521—525.

Postremo ecqua inde parva periisset soror;
Ecquis cum ea una; quid habuisset, quom perit;
Ecquis eam posset noscere: haec quor quaeritet?
Nisi si illa forte quae olim periit parvula
Eam sese intendit esse, utist audacia.

Lepidissima haec; nam profecto si Thais hoc habuisset consilium ut se sororem illam esse simularet, non alia rogasset. Quaedam illustrantem audiamus Scholiastam.

vs. 523. Haec quor quaeritet: „in gestu et vultu quod restat ostenditur." Hoc, ut opinor, vult: gestus vultusque indirectae interrogationis vim explicant. Rectissime: etenim tamquam ad circumstantes se Chremes convertit his verbis: „Nunc vos omnes rogo atque obsecro" [1]).

vs. 529. Intendit Scholiasta dicit aut idem esse quod contendit aut quod probare vult, quo sensu Iurisconsulti utantur. Hoc verius. Proprie intendere est crimen in adversarium iacere [2]). Atque hoc egregie hominem rusticanum decet, verbis a foro desumptis uti; quippe qui in urbe nil magis metuere soleat quam calumnias et circumscriptiones hominum in foro versatorum.

Tandem intus eo clamante (530): „heus, heus, ecquis hic, ego sum Chremes," prodit Pythias ancilla. Blande alloquitur adolescentem; retinere eum conatur; ut cras redeat rogat. At suspicionum plenus ille paucis syllabis quam primum abeundi sibi certum stare consilium declarat. Quid autem facetius quam rusticanum adolescentem, blande eum salutante Pythiade verbis: „o capitulum lepidissimum," statim secum loqui: „dico ego mi insidias fieri?" Quidquid Pythias ab eo petit, ille negat; tandem, ubi illa rogavit (vs. 535): „Quor, mi Chremes?" exclamat „malam rem hinc ibis." Egregie Scholiasta: „apparet illum manu tactum esse, qui sic irascitur." Postremo Pythias (537): „amabo ut illuc transeas ubi illa est." Recte Scholiasta:

---

[1]) Cf. Andria 191. Senex Davum perterriturus, ne quid moliatur contra filii nuptias a se decretas, longis utitur ambagibus. Tandem servus: „Hoc quid sit" rogat non herum, ut opinor, sed spectatores. Colorem verborum optime reddes hac versione: „Nu zou ik toch wel eens willen vragen waar dat heen moet."

[2]) Cf. ad Andr. IV, 3, 18: „Intenderam verbum a venatoribus translatum, qui retia intendunt ad feras capiendas. Quia ergo parat Chremem et Simonem fallere, intenderam dixit. vel a sagittis atque arcu."

„ut brevem viam demonstraret, non eas sed transeas dixit.“ Hoc vero cur facere recuset non habet Chremes, et iubente Pythiade Dorias ancilla cum eo abit viam ei monstratura.

Actus III Scena 4.

Nova hic in scenam prodit persona, quam Terentius ipse addidit (hoc enim nos docet Scholiasta), quo facto ea quae sequuntur multo fiunt lepidiora. Antipho est, qui cum frustra diu Chaeream expectaverit, tandem eum domi quaerit. Verba eius et alia sunt et haec (vs. 545):

Idque adeo visam, si domist. Quisnam hinc ab Thaide exit?

Bentleius:

Sed quisnam a Thaide exit?

Elegantissima haec est coniectura et haud dubie recipienda. Quis enim languidum istud hinc ab Thaide ferat, vel durissimum illud asyndeton? Et est correctio lenissima. Etenim post literas st in domist omissa est a librario vox sed (set), deinde adverbio hinc versus utcunque expletus.

Actus III Scena 5.

Quem Antipho admirabundus a Thaide exire viderat, quemque iam e latibulo speculatur, Chaerea est, indutus etiamnunc Eunuchi vestibus. Primum anxius respicit, deinde, ubi a tergo tuta videt omnia, gaudio exclamare incipit.

vs. 549. Nemo homost. Quid sibi ista verborum velit ubertas alibi dicam.

Deinde, memor etiam quam intempestive modo se remoratus sit senex ille Achidemides, secum queritur (vs. 553 sqq.):

Sed neminemne curiosum intervenire nunc mihi
Qui me sequatur quoquo eam, rogitando obtundat, enicet,
Quid gestiam aut quid laetus sim, quo pergam, unde emer-
[gam, ubi siem
Vestitum hunc nactus, quid mihi quaeram, sanus sim anne
[insaniam!

Hic eum alloquitur Antipho, atque, id quod recte observat Scholiasta (sed verba eius sunt corrupta), facete omnia Chaereae verba repetit, ut sciat ille se iamdudum ab Antiphone observari.

Nactus ergo qui audiat rogetque, ab initio ad finem narrat Chaerea quaenam sibi in Thaidis aedibus obtigerit felicitas, omniaque quemadmodum gesta sunt accurate describit. Quae hic repetere quid opus? Res enim ipsa loquitur et sponte se offert ei qui semel legerit. Sed pauca inde in medium protrahamus.

vs. 569 sqq.

Erat quidam eunuchus, quem mercatus fuerat frater
[Thaidi,
Neque is deductus etiam tum ad eam; submonuit me
[Parmeno
Ibi servus, quod ego arripui.

Male me habet vs. 571 ibi vel potius locus ubi positum est. (An forte eius sc. Phaedriae?).

„Thais ubi me pro Eunucho accepit,"
Commendat virginem. *An.* Quoi? tibine? *Ch.* Mihi.
[*An.* Satis tuto tamen.

„Quid hic facit tamen?" rogat Scholiasta, et subicit: „utrum hoc: etsi meretrix tamen satis tuto agit? An: etsi Chaereae, satis tuto tamen, quia nullus accedet alius?" Illud malim. Belgice sic fere vertendum ut ridentis Antiphonis vox audiatur: „Nu, dat was dan toch voor haar doen nog al voorzichtig gehandeld." Cf.: huic mandes siquid recte curatum velis.

583 sqq. Dum apparatur (balneum) virgo in conclavi sedet
Suspectans tabulam quandam pictam; ibi inerat pictura
[haec, Iovem
Quo pacto Danaae misisse aiunt quondam in gremium
[imbrem aureum.

Egregie hic docet Scholiasta nullam tabulam pictam domui meretriciae aptiorem esse quam hanc, quippe in qua amor depictus sit non gratuitus sed auro venalis.

„Hac imagine admonitus" Chaerea ait „hoc reputabam" (vs. 588 sq.):

Deum sese in hominem convertisse atque in alienas tegulas
Venisse clanculum per pluvium fucum factum mulieri.

Bentlejus:

Deum sese in pretium convertisse et per alienas tegulas
Venisse e. q. s.

Sed vel sic displicent versus. Quam enim nunc ab exemplo Iovis excusationem petit Chaerea? Versus sic reficti magis docent quae vis auri sit quam quantum amanti liceat. Schol.: „Utrum quia Iupiter humana forma aurum infundens pictus erat in tabulis, non pro Iove aurum?" Et sic fere Oudendorpius. Sed fortasse non nimis hic sunt urgenda vocabula, quandoquidem in illo a l i e n a s insunt omnia: „Iupiter in alienam domum irrepsit; quid ni et ego mihi in domo aliena largiar aliquid?" Cetera abundant. Quamquam ad istud: „non nimis urgenda omnia" in Terentio invitus confugio.

vs. 591. Ego homuncio hoc non facerem? ego illud vero ita feci
[ac lubens.

Bentl.: Ego homuncio hoc non fecerim? ego vero illud
[fecerim ac lubens.

Quod probat Ruhnkenius, hoc argumentum afferens: „futurum tempus requiritur, non praeteritum." Quod nihili est, v. vs. 606 et Cic. pro Cluent. § 45. Et etiam versus emendati altera pars inepte languet.

vs. 592 sq.

Dum haec mecum reputo, arcessitur lavatum interea virgo:
Iit, lavit, rediit: deinde eam in lectum illae collocarunt.

Arcessitur et collocarunt legitima esse vocabula de iustis nuptiis observat Scholiasta: haud inepte, siquidem illam ipsam virginem mox iustam uxorem Chaerea ducet.

598 „Ancillarum una

heus tu, inquit, Dore,
Cape hoc flabellum, ventulum huic sic facito, dum lavamur:
Ubi nos laverimus, si voles, lavato."

Ludibrio habent eunuchum puellae. Recte enim Schol.: „quasi satisfacientis est quod solum illum relinquant cum virgine," quibus verbis bene illustrat muliercularum in domo meretricia lasciviam.

Toti Chaereae narrationi postquam aurem praebuit Antipho rogat: „Sed interim de symbolis (quibus te praefecimus) quid actum est?"

Ch. Paratumst. *An.* Frugi es: ubi? domin? *Ch.* Immo apud [libertum Discum.
An. Perlongest. *Ch.* Sed tanto ocius properemus. *An.* Muta [vestem.

Recte nos monet Scholiasta: „haec *οἰκονομία* est ad id quod in domum Thaidis rediturus est Chaerea." Fit hoc vs. 840.

„Ubi mutem?" anxius Chaerea rogat „certe non domi ubi iam vereor ne et pater et frater sint, a quibus conspici hac veste indutus nolim." Ibi Antipho: „eamus ad me."

Probat hoc consilium Chaerea et ad Antiphonis aedes abeunt ambo.

Actus IV Scena 1.

Dorias, modo a Thaide profecta, ut Chremeti aedes militis monstraret, inde redit. Accurrit autem anhelans, exanimata, terrore perculsa. Cur? Chremetis illius adventus iram militi

moverat: putabat enim rivalem illum esse, cum praesertim Thaidem tantopere eius videndi retinendique cupidam videret: hinc ortum iurgium Thaidem inter militemque; atque illa militis importunitatem ferre nolens Doriada praemisit cum suis ornamentis aureis. Dicebam illam Doriada accurrere anhelantem, exterritam, terrore perculsam. Talisque eius actus esse debet. Verissime enim simulque lepidissime Scholiasta observat: „Ea persona quaesita est quae terribilem credat militem, ut eo magis in experiendo vanus ac ridiculus esse possit."

Secum loquens Dorias narrat quid apud militem sit actum. Narrationis hoc est initium (617 sq.):

Nam postquam iste advenit Chremes adolescens frater virginis
Militem rogat ut illum admitti iubeat.

Duplicem ob causam Bentlejus huic loco emendationem adhibuit: primum non ferebat iambicum versum inter trochaeos; parum idonea causa haec; paulo enim post ob eandem ei vs. 622:

Invitat tristis: mansit, ibi illa cum illo sermonem ilico,

ceteroquin sanissimus fuit mutandus. Gravius hoc quod nostri versus oratio supra quam dici potest puerilis est et balba. Ne dici quidem Latine posse opinor „iste Chremes adolescens"; haud minus id mihi absurdum videtur quam si quis Graece sic loqueretur: *οὗτος ὁ Χρέμης νεανισκός*. Quid autem facilius in textum irrepere potuit quam Chremetis nomen a sedulo lectore in margine positum? Certa ergo videtur Bentleji correctio:

Nam postquam iste advenerat adolescens frater virginis.

Quid quod Scholiastam quoque male habuisse videtur vulgatae lectionis abundantia. Annotat enim: „instanter admonet qui scilicet sit Chremes", quae verba cum risu reprehendentis esse videntur. Satis enim hercle iam cognitus spectatoribus Chremes ille.

Thais a milite petiit ut Chremetem invitaret; (vs. 620 sq.):

Id faciebat retinendi illius causa: quia illa quae cupiebat
De sorore eius indicare, ad eam rem tempus non erat.

Ergone nihildum de sorore reperta Chremes audivit, ubi vs. 743 ad Thaidem venit? Ita videtur: nunc enim retinet tantummodo Thais adolescentem, postea de inventa sorore narratura. An verbum *indicandi* tantummodo ad res quae ἀναγνωρισμόν efficiunt pertinet, et *tempus* hic idem est quod *facultas*, *occasio*?

Miles, ratus sibi a Thaide ante oculos adduci aemulum „facere contra huic aegre" i. e. urere eam et mordere (Gr. λυπεῖν) et (vs. 624 sq.):

„heus" inquit „puer, arcesse Pamphilam
Ut delectet hic nos."

Lepide Scholiasta annotat „quasi dicat, *quod haec non facit*... et bene *hic* quasi insuaviter nunc tractemur."

Actus IV Scena 2.

Eodem fere, quo Dorias, tempore advenit Phaedria adolescens. Qui enim vel totum triduum ruri manere decrevisset, vix integrum diem ab urbe et a sua Thaide abesse potuit. Et alia de suo conatu narrat et haec (vs. 635 sqq.):

Ubi ad ipsum veni deverticulum, constiti:
Occepi mecum cogitare: hem, biduum hic
Manendumst soli sine illa? quid tum postea?
Nil est. quid? nil? si non tangendi copiast,
Eho ne videndi quidem erit? si illud non licet,
Saltem hoc licebit. Certe extrema linea
Amare haud nil est.

Nihil unquam facetius enuntiatum fuit quam hoc est: „hem biduum hic manendumst soli sine illa." In omnibus hisce vocabulis *hem*[1]), *biduum*, *hic*, *soli*, *sine illa* inest

[1]) Hic quoque hem gravissimam habet emphasin; non possis Belgice melius vertere quam sic: „mijn God." Atque hoc ita pronuntiandum ut utraque syllaba quam maxime producatur.

nota aegritudinis et desperationis. Non tam sunt primo aspectu perspicua haec: „quid tum postea? nil est.” Habent tamen haec quoque permultum venustatis. Primum *quid tum postea* quid sit constat. Sic enim rogant qui significant sibi aliquam rem non videri magni momenti. [1]) Deinde vocabulis *nil est* Phaedria significat *in urbe* nihil esse quod magnopere desideret (quandoquidem illic quoque per biduum ei carendum est Thaide) [2]). Bene rem perspexit Scholiasta, qui ad lemma *nihil est? quid? nihil? si non* annotat: „Amantium disputationes intermiscent quaedam consilia sanae mentis, quae tamen statim resurgentis amoris saevitia devincuntur.” Etenim in vocabulis *nihil est* consilium sanae mentis finem habet, a *quid* resurgit amoris saevitia.

Dum etiam secum loquitur Phaedria, et ab altera parte otiosa adstat Dorias, „timida subito egreditur Pythias.” His enim verbis utitur Phaedria cum admiratione quid illa sibi velit rogans. Ad adiectivum *timida* recte Scholiasta annotat: „*timida*, modo aegra, turbata, commota,” (*modo* autem et hic et sexcentis aliis locis significat *hoc loco*).

Habet profecto Pythias cur „timida” sit. Dum enim Dorias et Phaedria adveniebant et ante ostium loquebantur, ipsa conclave intraverat, in quo ancillis lavantibus relicta fuerat virgo (Pamphila), ibique cognoverat non verum sed simulatum Eunuchum a Parmenone introductum. Clamans ergo provolat, scelerosum hominem quaerens, eiusque factum et aliis verbis describens et hisce (645 sq.):

---

[1]) Belgice: „Nu wat zou dat?”

[2]) Longe diversus a nostro loco est versus Phormionis 208; tamen ibi quoque illud *nil est* eandem vim habet. Phaedria et Geta Antiphonem propinquo patris adventu anxium sollicitumque erigere et confirmare conantur: frustra, plane enim ille demisit animum. Tandem Geta, nihil proficere se alloquio suo intelligens, indignabundus ad Phaedriam: „hoc nil est, Phaedria, ilicet” i. e. hoc loco (in hoc homine) spei nihil est. Totum ergo hoc: *quid tum postea? nil est* Belgice sic vertas: „Maar waarom zou ik niet? In de stad heb ik toch niets.”

Quin etiam insuper scelus, postquam ludificatust virginem,
Vestem omnem miserae discidit, tum ipsam capillo conscidit.

Revera haec non ita facta sunt ut Pythias narrat; illa enim scelus commissum quantum potest auget. Dum luctata est virgo, vestis eius turbata et capilli disiecti sunt.

Alloquitur eam Phaedria sic (vs. 650):

Quid istuc? quid festinas? aut quem quaeris Pythias?

Ubi festinas esse turbaris, trepidas recte monet Scholiasta.

Rem denarrat Pythias. Tum (654 sq.) Phaedria: „Quid ais?" et Pythias: „Perii." Iterum Phaedria: „Temulenta's" et Pythias: „Utinam sic sint qui mihi male volunt." Sic enim nunc vocabula inter loquentes distribuuntur, male siquid video. Doriadi dandum esse perii censeo: est enim exclamatio eius qui re improvisa perterrefactus est: in media lamentatione locum non habet. Cui, ut hoc utar, alapa infligitur, non primum alia quaedam exclamat, deinde perii addit, sed ab hac voce facit lamentandi initium. Paulo post Dorias cum Pythiade relicta sola eadem voce utitur, ibi quoque in allocutionis initio (vs. 664):

Perii, obsecro, tam infandum facinus, mea tu, ne audivi [quidem.

Ad illud ergo temulenta es Pythias respondet: „Utinam sic sint qui mihi male volunt": ἐχθροῖς γένοιτο. Lepide Scholiasta: „bene, non ebrium esse in maledictum vertit, quasi vero temulentum esse felicitatis sit."

Audito frustra quaeri maleficum Phaedria sic (661 sq.):

Nequeo mirari satis,
Quo illic abire ignavos possit longius, nisi si domum
Forte ad nos rediit.

Ne trochaeus inter versus iambicos veniat vulgo nunc editur quo illic pro quo ille. Agnosco correctionis causam, ipsam non probo: cascas enim vocabulorum formas obtrudere Terentio invitis codicibus non ausim, multoque mihi arridet magis haec

lectio: quo ille hinc. Est autem nisi si ignorare se fatentis et plane ἀπορροῦντος, ita tamen ut sibi unum etiam restare experimentum significet, idque parvae spei.

Postquam domum suam abiit Phaedria, pauca etiam Pythias cum Doriade loquitur: „miserae" ait „non in mentem venerat." Cogitatione addendum est: „fieri potuisse ut simulatus ille esset Eunuchus."

Actus IV Scena 4.

Domo redit Phaedria secum trahens Eunuchum, verum illum, nulliusque sibi culpae conscium, indutum etiam Chaereae vestibus. Convitiis onerat miserum hominem et aliis et his: „Fugitive, male conciliate." Conciliare est verbum contractibus proprium et passim de emptione usurpatum; male conciliate ergo est: „nimio pretio empte," in quibus verbis simul convitium inest et commemoratio doni pretiosi Thaidi dati. Ad suum donum laudandum etiam (670) „os ut sibi detorsit" Phaedria dicit, quasi ante pulcher fuerit et (684): „nunc tibi videtur foedus." (Sic fere Scholiasta). Ceterum fugitive et male conciliate arte cohaerent: fugitivus enim redhibendus est. Ergo duobus his convitiis alluditur ad actiones apud aedilem (redhibitoriam et quanti minoris).

Pertinaciter negat Pythias illum Eunuchum introductum a Parmenone; convincere eam studet Phaedria. Tandem illa (685 sqq.):

> Tace obsecro: quasi vero paulum inter siet.
> Ad nos deductus hodiest adolescentulus,
> Quem tu videre vero velles, Phaedria.

Semper in vs. 687 haereo: Quem tu videre velles, Phaedria. Aliquis tam pulcher esse potest, ut qui semel vidit iterum videre cupiat. Sed quod hic legitur de Phaedria,

qui Chaeream nunquam vidit (sic enim Pythias credit), id quidem sensu cassum est. Et fac sic dici posse: „erat ille puer tam formosus ut eum videre velles", quid emphatico illo tu opus est? Hanc propono emendationem:

qui tu videri vero velles, Phaedria

vel: quem te videri vero velles, Phaedria.

Sic egregie illud Phaedria quoque ἠθικῶς additur. Cf. Andr. 702, ubi Pamphilus rogat: quis videor i. e. „me aspice: vultumne ego habeo fallacis hominis et impostoris, an fidelis amici?"

„Hic vero est" Pythias addit:

Vietus vetus veternosus senex
Colore mustelino.

Admodum verisimile est quod alter Scholiasta tradit Terentium γαλῆν et γαλεώτην confudisse, citans Menandreum οὗτός ἐστι γαλεώτης γέρων. Alter Terentium defendit, hoc, ut videtur, argumento quod Eunuchi alii fiant sublividi (colore mustelino), alii lentiginosi (colore stellionino). Bentlejus hic legendum censet colore stellionino. Utut est, hunc certe versum ad verbum e Graeco transtulit Terentius.

Exclamat Phaedria (689 sq.):

Hem, quae haec est fabula?
Eo rediges me, ut quid egerim egomet nesciam.

Hic quoquo hem gravem emphasin habet: est enim graviter indignantis.[1]) Pro quid egerim Bentlejus proposuit quid

---

[1]) Belgice: „Wel allemachtig." Cum omnium brevium vocularum, tum praesertim interiectionis hem accurate rationem esse habendam ei qui Terentium probe vellet intelligi, persuasissimum Scholiastae fuit, ideoque nullum versum, ubi illa legitur, sine annotatione praetermisit. Sed nusquam melius quae eius vis esset demonstravit quam ad Andr. I, 2, 13, ubi dicit: „Hem: nunc quasi correptio totius corporis."
Unum alterumque Terentii locum esse ubi hem non habeat emphasin illam non nego. Quapropter ne hoc quidem negligendum opinor quod ad Eun. II, 3, 16 legitur: „Hem: si cum H, Parmeno, si leniter Chaerea." Non quod dubium esse mihi videatur utri hoc loco danda sit interiectio (v. enim quae ad eum annotavimus), sed omnino in quotidiano sermone multum interfuisse inter hem et em lubenter credo.

emerim, quod vel ideo probo quoniam quid egi? certam sibi habet significationem, quam a comico intortam esse vix crediderim. Certe inepte vulgatam defendit qui ad Phorm. vs. 980 „quid agam cum illo nescio prorsus" provocat.

Interrogat hominem Phaedria, et ille a Phaedria se emptum agnoscit. Sed mox, permittente Phaedria, interrogandi partes suscipit Pythias, his verbis (vs. 692):

venisti hodie ad nos? negat.

Sequitur: At ille alter venit annos natus sedecim:
Quem secum adduxit Parmeno.

Quis hic loquitur? Pythiasne? At quid illi opus est Parmenonem nominare? Totum istud *quem secum adduxit Parmeno* egregie Eunucho convenit, qui putans Parmenonem solum venturum ut se arcesseret, non intelligebat cur adolescentulum *secum adduceret*. An fieri non potuit ut Eunuchus primum capite abnueret, deinde, postquam Pythias dixit *negat*, ultro adderet: „*at ille alter — Parmeno*"? Etiam quae vs. 702 leguntur:

Meam ipse induit: post una ambo abierunt foras

Eunuchus dicit non rogatus. Et melius deinde verba (694 sqq.):

agedum hoc mi expedi
Primum: istam quam habes unde habes vestem? taces?
Monstrum hominis non dicturu's?

Pythiadi dabuntur. Tum Eunuchus: „Venit Chaerea," et illo demum nomine audito rursus Phaedria rogare incipit. Quodsi recte de vs. 693 sq. conieci, lepide Eunuchus, quem primum „illum alterum" dixit, nunc minis coactus suo nomine Chaeream appellat. Et quod ad illam coniecturam pertinet, vide vs. 702: „post una ambo abierunt foras." Audis Eunuchum cum stupida quadam admiratione narrantem de re plane sibi obscura.

Metuit autem Phaedria ne veritas a Thaide vel a Pythiade

certo deprehendatur; non vult a suo fratre aliquo esse dolore affectam Thaidem. Ergo iterum Eunuchum omnia iam confessum interrogat, sperans ab illo testimonium revocatum iri. Sed prius sic Pythiada alloquitur (vs. 704):

Age nunc, belua,
Credis huic quod dicit?

Vox ergo belua non tam agrestis est quam primo aspectu videtur.

Verum eadem quae antea respondente Eunucho exclamat (vs. 709):

Iuppiter magne, o scelestum atque audacem hominem.

Rectissime Scholiasta: „Chaeream scilicet vel Parmenonem. Sed sic pronuntiandum est, ut putet ancilla de Eunucho dici."

Hic Pythias (709 sq.):

Vae mihi:
Etiam non credas indignis nos esse irrisas modis?

Neque credas neque credis (quae vulgata est lectio) ferri hic potest. Si constat is in credis nunquam produci, putandum est graviori vitio hunc locum laborare et totum credendi verbum huc e versu sequenti aberrasse, ut vera lectio sit:

710 Etiam tu negas indignis nos esse irrisas modis?
711 Mirum ni credis quod iste dicat.

Tandem ad incitas redactus Phaedria clam ad Eunuchum (712): „heus negato rursum," et signis, a Pythiade aversus, iubet Eunuchum negare quae modo agnovit. Tum clara voce: „possumne ego hodie ex te exsculpere verum?" Hic hodie minantis iracundique est. Atque ubi negavit Eunuchus quae negare iussus est, secum eum domum trahit quasi ad tormenta. „I intro nunciam" exclamat ficta iracundia, et Eunuchus ficto timore: „oiei."

Sola relicta cum Doriade Pythias significat se probe intelligere Parmenonis illum fuisse dolum. Quid sit agendum Doriadem rogat. „Rem tace" illa ait et (721 sqq.):

tu pol, si sapis
Quod scis nescis, neque de Eunucho neque de vitio [virginis.
Hac re et te omni turba evolves et illi gratum feceris.

illi: „virgini" ait Scholiasta, „Phaedriae" Westerhovius. Hoc potius credo: *gratum facere* illi dicimur, qui statim ex nostro facto aliquid commodi sit capturus; non ponitur de re quam quis *tandem aliquando* sibi profuisse sensurus sit.

Dum haec loquuntur, appropinquantem vident Chremetem; paucisque verbis Dorias Pythiadem certiorem facit turbae, se etiam praesente inter Thaidem et militem ortae, moxque ipsam affuturam addit. Tum Pythiade iubente cum Thaidis auro in aedes abit, ipsa Pythias ante ostium remanet.

Actus IV Scena 5.

Lepide Chremes depingitur a cena militis veniens vini plenus, neque tamen turpiter ebrius, sed „multo hilarior" (verba sunt haec iocantis Pythiadis) quam dudum. „Atat, data hercle verba mihi sunt: vicit vinum quod bibi" sic accedens loquitur (vs. 727), ubi vis interiectionis *atat* egregie a Scholiasta illustratur hac annotatione: „*atat*: interiectio est paulatim percepti atque intellecti mali."

Mox Pythiadem rogat iamne venerit Thais; illa vero mirabunda: „an abiit iam a milite?" (vs. 733). Respondet Chremes (734):

Iam dudum, aetatem: lites factae sunt inter eos [maximae.

Agnoscis gravitatem adolescentis cum hilaritate alternantem. Hic Pythias (735):

Nil dixit tu ut sequerere sese?

Et Chremes: Nil, nisi abiens mi innuit.

Atque rursus roganti Pythiadi: „Eho, nonne id sat erat?" respondet ille (736):

At nescibam id dicere illam, nisi quia
Correxit miles, quod intellexi minus: nam me extrusit foras.

De verbis „correxit — foras" haec observat Scholiasta: „Hoc videtur facetius et sapientius quam dici ab ebrio, rustico et adolescente debuisset. Hoc vitium tunc fit cum poëtae ingenium suum in personas conferunt." Vocabulum s a p i e n t i u s corruptum puto; sapientiae enim in illo dicto video nihil sed multum leporis atque urbanitatis. Sed tota observatio periti de arte comica iudicis esse videtur. Nonne enim omnino in hac scena componenda negligentius versatus est poëta? Hoc cur rogem statim apparebit.

Addit verbis citatis haec Chremes — et est hic ultimus huiusce scenae versus:

738. Sed eccum ipsam: miror ubi ego huic antevorterim.

Id ego quoque miror, cum praesertim vs. 745 Thais dicat: „o mi Chremes, te ipsum exspectabam," in via nimirum, nam post Chremetem Thais advenit. Fortasse latet hic aliquod lepidi poëtae consilium, nihil enim opus erat Chremetem ante Thaidem advenire. Versu autem 738 u b i, id quod recte observat Scholiasta, est: „in qua parte viae." Praeteriit Thaidem Chremes; hoc credibile est, sed a Thaide conspectum non esse iuvenem ebrium ac titubantem quis credat? Eiectum foras Chremetem opinor statim post Thaidem, nisi iam statim, ubi militem gravius irascentem vidit, clam abiit; deinde quantum sinebant pedes curriculo cucurrisse ut illam assequeretur. Verba autem „iam dudum, aetatem" (vs. 734) quid sibi volunt? Utrum revera ita videtur Chremeti, an simulare vult se aliquamdiu apud militem remansisse, ne nimis cito ebrius factus videatur?

ACTUS IV SCENA 6.

Ardens ira Thais advenit; mox adfuturum militem, quem ferre iam non potest, exspectat; „sine veniat" ait (vs. 739):

Qui si illam digito uno attigerit, oculi illi ilico ecfodientur.

Vulgata lectio est:

Atqui si illam digito attigerit uno, oculi ilico ecfodientur,

pro qua Fleckeisenus eam dedit quam citavi, quia dativus aliquis desiderabatur. Sed illud qui si rectum esse non potest; melius foret quod si; sed simplex si omnibus aliis lectionibus praestaret. Propono igitur

Si illam digito attigerit uno, oculi illi ilico ecfodientur

(cum hiatu ante caesuram principalem). Nunc tamen in iis quae statim sequuntur:

Usque adeo illius ferre possum ineptiam et magnifica verba
Verba dum sint: verum enim si ad rem conferentur, [vapulabit

displicet pronomen ἐμφατικόν illius et „si (verba) ad rem conferentur" vix sanum esse credo.

Simulatque Chremetem adesse cognovit, eum sic alloquitur Thais (vs. 743): „o mi Chremes, te ipsum exspectabam." Tollitur pars molestiae, de qua ad vs. 738 dicebam, Bentleji coniectura expetesso pro exspectabam. Non tamen in re tam dubia eam probare ausim.

„Propter te" Thais ait (vs. 746) „haec atque huiusmodi sum multa passa." Ostendit hic, ut opinor, vestem scissam. „Propter te; nam sororem tuam tibi restituere studebam." „Ubi ea est?" rogat Chremes. Respondet Thais „Domi apud me." Hic Chremes: „Hem!" et Thais:

Quid est?
Educta ita uti teque illaque dignumst.

Annotat Scholiasta: „Hem: extimuit adolescens cum sororem suam in domo meretricis esse audiret, cui rei statim occurrit

Thais." Egregie; nam sic optime explicatur et quid est et hem suam sibi vim obtinet.

Addito autem (vs. 749):

Hanc tibi dono do neque repeto pro illa quicquam abs te preti

Thais securo iam adolescenti rusticano exprimit grati animi confessionem.

„At enim" (ait vs. 751 sq.) cave, ne prius quam hanc a [me accipias amittas, Chremes:

Nam haec east, quam miles a me vi nunc ereptum venit.

Ex his conficias antea (in coena apud militem) nihildum Chremeti dixisse de sorore inventa Thaidem. Sed vide quae ad vs. 620 sq. annotavimus.

Tum Pythiadem iubet domo efferre res πρὸς τὸν ἀναγνωρισμόν necessarias. Sequuntur versus duo (754 sq.) vitae pleni atque integrae scenae instar: Chremes militem reformidat, Thais metuit ne non in tempore a Pythiade Chremeti tradantur „monumenta," quibus sororem suam esse liberamque eam quam miles petitum venit demonstret. „Atat," hoc verbo se timere Chremes indicare incipit, verum metum celare studet. „Atque ita opus est" Thais ait (nempe: te omni metu carere). Tum Chremes: „ah, metuo qualem tu me esse hominem existumes." Et Thais (vs. 759):

Immo hoc cogitato: quicum res tibist, peregrinus est:

Minus potens quam tu, minus notus, minus amicorum hic [habens.

Haec legenti non videntur cohaerere cum praecedentibus, at spectanti, ut opinor, visa sunt. Is enim Chremetis actus gestusque fuit qui minime fortibus eius verbis responderet.

Mavult rixam certamenque vitare Chremes:

Scio istuc (ait vs. 761 sq.), sed tu quod cavere possis [stultum admitterest.

Hic tu significat quam sapiens videri cupiat qui sit timidus.

Vix adolescentem abeundi praetextus quaerentem Thais

retinet. „Volo" (ait ille vs. 764) „ego adesse hic advocatos nobis in turba hac." Rectissime annotat Scholiasta: „quasi minus timeat cupio non inquit sed volo."

Iamque tamquam ad testes arcessendos abiturus omitte clamat, e quo verbo apparet manu eum a Thaide retineri, ut recte Scholiasta docet.

„Nil opus est istis Chremes" ait illa (vs. 765 sqq).

Hoc modo dic, sororem esse illam tuam et te parvam [virginem
Amisisse, nunc cognosse, signa ostende.

Egregiam hic habemus Scholiastae annotationem: „haec omnia sic pronuntianda ut et iusta et factu facilia videantur."

Interea Pythias monumenta illa per totam domum quaesita affert et Chremeti tradit. Sed ne sic quidem paratus ille est ad militem animose exspectandum. Hac etiam ei Thaidis admonitione opus est: „attolle pallium": qui enim otiosus ambulat, eius pallium ad pedes est demissum; cum seria res est agenda attollitur. Cui admonitioni hanc lepidam illa addit querimoniam:

Perii, huic ipsi opus est patrono, quem defensorem paro.

Actus IV Scena 7.

Iam adest miles cum Gnathone ministrisque quos copiarum instar instruat vi expugnaturus Thaidis aedes virginemque erepturus. Nihil unquam venustius scriptum est quam haec sunt ludicri imperatoris magna verba minaeque. Singula persequamur. Vs. 771:

Hancine ego ut contumeliam tam insignem in me accipiam, [Gnatho?

In eiusmodi interrogationibus vox ut eam vim habet ut aliquis cum gravi indignatione respuat abiiciatque quod ab altero

sit propositum postulatumve. Conferantur ex Latina tragoedia Iphigenia in Aulide notissimi versus:

Ut ego plectar quod tu peccas, tu delinquis ego arguar

et qui sequuntur, quibus Agamemnon respondet Menelao Iphigeniae poscenti sacrificium. Respondentis est, non disputare incipientis. Tamen hic illud ut in primo scenae versu legitur. Ergo, ut Scholiastae verbis utar: „hic sermo sic prodit ut post scenam inchoatus esse videatur." Ad nostrum vero locum adscripsit, quae non quidem tam sint diserta sed tamen idem significent: „apparet Gnathonem et dehortatorem esse certaminis et ad pocula militem provocare." Ne dubites inspice annotationem quae ad vs. 1025 legitur: „semper a mensa Gnatho invitus abstrahitur; nam et supra cum ad litem venitur ex verbis Thrasonis manifestum est Gnathonem invitum sequi, ubi dicit: hancine ego ut contumeliam tam insignem in me accipiam, Gnatho?" Vides quam bene egregius ille commentator perspexerit omnia.

Haec addit Thraso: „mori me satiust," atque hoc fere annotat Scholiasta: „quasi vero ad iurgium cum Thaide mortis contemptu opus sit."

„Simalio, Donax, Syrisce, sequimini" clamat miles (vs. 772). Egregia est ad hunc locum Scholiastae annotatio: „Huiusmodi militia per tumultum repente suscipitur et dicitur evocatio, ubi dux alloquitur cives: qui rem publicam salvam vultis me sequimini. Unde Virgilius:

desuetaque bello
Agmina in arma vocat subito ferrumque retractat,
Ipse vocat pugnas: sequitur tum cetera pubes."

Minae Thrasonis hae sunt: „primum aedis expugnabo"; „virginem eripiam;" „male mulcabo ipsam." Quae sit huius enumerationis venustas docet Scholiasta hac annotatione: „Vide ordinem belli. Primo expugnatio moenium; tum recuperatio captarum rerum; demum poena praedonum."

Nomine evocatis ministris quibusdam haec addit Thraso: „cedo alios." Rectissime Scholiasta observat: „non reliquos dixit, sed alios quasi multi sint."

Graviter ab imperatore suo increpitus Sanga centurio quod pro gladio peniculum attulerit, respondet (vs. 778 sq.):

Egone? imperatoris virtutem noveram et vim militum:
Sine sanguine hoc non posse fieri: qui abstergerem vulnera?

Languet qui abstergerem vulnera si tamquam interrogationem accipimus. Quare ego sic acceperim: „[attuli peniculum] qui (= ut eo) abstergerem vulnera." Sed hoc quoque duriusculum quod noveram primum obiecta habet in accusativo, deinde, sine ulla coniunctione, in accusativo cum infinitivo.

Instructis copiis ipse imperator sibi eligit locum periculo vacuum. Neque minus — et est haec vel maxima scenae venustas — illo metuit eius adversarius Chremes. Sic hunc confirmare studet Thais (785 sq.):

Sane quod tibi nunc vir videatur esse hic, nebulo magnus est:
Ne metuas.

Non opus Bentleji coniectura qui... videtur pro quod... videatur. Vide ipsius Bentleji annotationem ad vs. 1064.

Sequitur (786 sq.):

A. Quid videtur? B. Fundam tibi nunc nimis vellem dari,
Ut tu illos procul hinc ex occulto caederes: facerent fugam.

Quinam hic colloquuntur? Scholiasta: „miles et parasitus" ait, idque lepide defendit: „Nam primo ipse praecedit utpote qui dicat sequimini. Dum denique propius deventum est post principia refert pedem. Post iam ipse nihil audet sed quaerit consilium parasiti (quid videtur?). Denique ubi cominus res gerenda est dixit mane et continet irruentes. Ad postremum diffisus nescit quid agat: ad parasitum spectans quid agimus inquit." Alius esse Scholiasta videtur, qui eandem sententiam defendit hoc argumento: „non conveniunt ista meretricis dictis superioribus." Ille tamen dubitat. Equidem non dubito quin,

ut fit in antiquioribus editionibus, Chremes et Thais hic loquantur. Funda enim illum decet qui ab aedibus suis maiorem aliquem numerum hostium propellit (cogita modo de Vespis Aristophaneis), non eum qui in alienas aedes impetum facit ante quas neminem stantem conspicit. Et ineptum est „facerent fugam'' de iis dictum quos domi inclusos putes.

Dum Thais loquitur: „Fundam — fugam'' et Chremes latitat, ipsa procedit ita ut a milite conspiciatur.

Conspecta Thaide priusquam armis impetum faciat quid verba sua valeant se experiri velle significat. Laudat eius prudentiam Gnatho et

„Di'' (ait vs. 790 sq.) vostram fidem,

Quantist sapere! nunquam accedo, quin abs te abeam doctior.

Notissima verba haec sunt. Tamen vix et ne vix quidem omnes eius lepores agnoscat nisi qui magistro utatur Scholiasta, cuius haec est lepidissima annotatio: „Mire egit personam admirantis per trinam ἀποστροφήν; ad deos: d i v o s t r a m f i d e m, ad se ipsum: q u a n t i s t s a p e r e, ad militem: n u n q u a m — d o c t i o r. Et ridicule parasitus n u n q u a m a c c e d o ad te dixit, qui nunquam recedit.''

Sic ergo eam alloquitur (792 sq.):

Thais, primum hoc mihi responde: quom tibi do istam [virginem,

Dixtin hos mihi dies soli dare te?

Respondet Thais: „Quid tum postea?'' Nullus locus melius quam hic docet quid sit q u i d t u m p o s t e a. V. ad vs. 637 sq.

Sperni se a Thaide et contemni videns miles: „Pamphilam'' ait (vs. 796) „ergo huc redde, nisi si mavis vi eripi.'' Hic subito minitabundus et cum multis maledictis convitiisque vetat eum Chremes suam tangere sororem. Cur subito hic Chremeti redit animus? An ex quo Thais cum milite locuta est, statim intellexit minime metuendum esse militem illum? Sic fere rem explicare videtur Scholiasta, cuius verba sunt:

„se primum interposuit, ut adolescentulus potuit, iam fracto milite."

Convitiorum illorum unum est (vs. 798): „Furcifer." Perite autem annotat Scholiasta: „incongrue, ut imperitus adolescens, liberum servilibus convitiis exagitat." Cf. ad 862, ubi ancilla eo nomine utitur.

Placare studet adolescentem subito animosum factum Gnatho, quin etiam medium se interponit, quod apparet ex verbis, quibus eum alloquitur Chremes vs. 799: „Non tu hinc abis?" Tum subito ille ad militem conversus (vs. 800 sq.):

> Scin tu ut tibi res se habeat? si quicquam hodie hic turbae [coeperis,
> Faciam ut huius loci dieique meique semper memineris.

Hic Gnatho:

> Miseret tui me, qui hunc tantum hominem facias inimi- [cum tibi.

Vides quam paratam habeat Gnatho simulatam illam commiserationem hominum qui suo Regi adversentur. (Cf. ad vs. 418).

Sequuntur haec (803):

> Diminuam ego tibi caput hodie nisi abis. Ain vero, canis?
> Sicine agis?

Hic verba D i m i n u a m — a b i s quin Chremeti danda sint non est dubium. De ceteris videamus. Semper fit audacior Chremes et blandior parasitus. Non ergo a parasito dictum credo: A i n v e r o, c a n i s? neque credidit Scholiasta, qui illud c a n i s convitium militare dicit. Sed s i c i n e a g i s egregie parasitum decet: est enim leniter increpantis et conciliare studentis. Non est luculentius exemplum quam quod vs. 99 legitur, ubi iisdem verbis leniter Parmenonem increpat Thais quod herum instiget cum placandus illi esset.

„Quid tu tibi vis?" a milite rogatus Chremes ei rem exponit: liberam esse illam virginem quam miles petat, civem, sororem

suam. Hic miles suum h e m et h u i interponit, quae, ut recte docet Scholiasta, sannae sunt adversus eos quibus irascimur. Egregie tota hac scena miles et Chremes, dum inter se metuunt, convitia iactant. Denique, ubi Chremes minitabundus dixit: „tangere te eam prohibebo,“ callide hoc tamquam praetextum finiendi vel saltem differendi iurgii arripit Gnatho et: „Audin tu? hic furti se adligat, sat hoc tibist“ ait (vs. 809). Hic Thaidem miles rogat: „Idem hoc tu, Thais?“ at illa: „Quaere qui respondeat.“ Recte Scholiasta annotat: „ipsam circumventurus interrogat: quod illa intelligens malitiose ait: q u a e r e q u i r e s p o n d e a t.“

Profecto ad nutricem Chremete quam τοῦ ἀναγνωρισμοῦ ἕνεκα adducturus est, miles quoque ne verbis quidem quidquam se proficere videns discedit, vel potius a Gnathone ad cenam retrahitur seque ab illo placari patitur. Neque tamen suae oblitus dignitatis exercitum suum dimittit, sollemnibusque Sangam alloquitur verbis (814 sq.):

Sanga, ita ut fortis decet
Milites, domi focique fac vicissim ut memineris.

Quam lepida in voce f o c i sit parodia senties, si memineris coquum esse Sangam illum. Hic vero:

Iam dudum animus est in patinis.

Et Gnatho „Frugi es“. Iisdem verbis Chaeream laudat Antipho vs. 608 idque ob eandem rem, nempe quod coenae curam habeat. Denique magna voce clamante milite: „vos me hac sequimini“ (utitur autem eodem illo s e q u i m i n i, quo copias adducens usus erat), illius domum abeunt omnes.

Actus V Scena 1.

Thais prodit cum Pythiade expostulans: haec enim ei quid absente ea domi factum sit narravit, vel potius per ambages indicavit, quemadmodum vs. 723 a Doriade monita erat. Verba eius subsanniens Thais repetit (vs. 818 sqq.):

> Scio, nescio, abiit, audivi, ego non adfui.
> Virgo conscissa veste lacrumans obticet;
> Eunuchus abiit.

In quibus unum tamen erat quod cuiusmodi res accidisset satis redderet perspicuum. Rectissime enim ad vocem obticet Scholiasta annotat: „Tacemus consilia, reticemus dolores, obticemus quorum nos pudet."

„Non fuerat Eunuchus ille verus, sed Chaerea Phaedriae frater illius veste sumpta sibi ad virginem aditum paravit" hanc confessionem vix Pythiadi extorquet; et iterum hera his verbis eam corripiente (vs. 829 sq.):

> Quid ais, sacrilega?
> Istucine interminata sum hinc abiens tibi?

respondet Pythias:

> Quid facerem? ita ut iusti, soli creditast.

Atque Thais

> Scelesta ovem lupo commisti.

Haud dubie ipsam Terentii manum restituit Bentlejus commisi legendo pro commisti. Quemadmodum enim e sequentibus apparet, finem hic iam Thais facit in Pythiadem invehendi et agnoscere incipit se stultam fuisse, quae imponi sibi passa sit. Et est illud scelesta semet cum lamentatione incusantis. Cf. Heaut. 970:

> Disperii: scelestus quantas turbas concivi insciens!

Minus certa sed tamen elegantissima videtur Bentleji emendatio versus 826, ubi Thais Chaereae audito nomine:

Quid is obsecro ad nos? quam ob rem adductust?

Sic enim legitur. Coniecit Bentlejus:

Quid is obsecro ad me aut quam ob rem adductust?

Sequuntur autem haec (832—835):

dispudet
Sic mihi data esse verba, quid illuc hominis est?
Py. Era mea tace tace obsecro, salvae sumus:
Habemus hominem ipsum. *Th.* Ubi is est? *Ph.* Hem ad [sinisteram.

Duo sunt in quibus hic haeream. Primum quid illuc hominis est exclamat Thais subito conspecto Chaerea, et cur exclamet Scholiasta egregie explicat annotando: „Non agnoscit hunc hominem meretrix, quia etsi adhuc Eunuchi veste indutus est, attamen exuit spadonis incessum, vultum, habitumque mutavit, et praeter vestem totus in Chaeream rediit." Sed poteratne illa exclamatio sic praecedentibus adiici, nulla interposita vocula qua transitus pararetur? Deinde quis locus est interiectioni hem ante ea verba quibus Pythias adventantem Chaeream monstrat, submissa, ut opinor, voce. quippe quae modo heram ut taceret monuerit (vs. 834: era mea tace obsecro)? Atqui hem clamantis est et subita re vehementer perculsi vel perturbati. Nonne egregie utraque difficultas tollitur si istud hem e vs. 835 ad 833 retrahimus et ante quid illuc hominis est ponimus? Nam Thaidem illa uti exclamatione miro perculsam spectaculo adolescentis incessu ingenuo vultuque liberali, induti autem abiectissimi mancipii vestimento facile intelligimus. Et plerumque quidem hem ictum habet; non desunt tamen loci, ubi in thesi latere videatur. Cf. vs. 459:

Eamus ergo ad cenam: quid stas? Hem alterum,

ubi etiam eliditur. „Ad sinisteram" autem Pythias dicit, sive

nescia iam a Thaide conspectum Chaeream, sive intellexit cur illa clamaverit, tamen aliquo modo significare debebat Chaeream esse illum qui herae admirationem moverit.

Actus V Scena 2.

Accedit Chaerea stomachans quod semper adhuc prohibitus sit mutare vestem. Ubi Thaida conspicit iam propius accessit quam ut fugere possit. Primoque eum cum acerba derisione alloquitur Thais tamquam Dorum eunuchum servumque; mox intelligens facta infecta reddi non posse serio cum illo deliberare incipit quo modo res ad bonum possit adduci exitum. Contra Pythias succensere ei pergit neque tam facile indignationem coërcet; egregieque ira eius depicta est ideo vel maxime succensentis simulato illi Doro, quod eius culpa ipsa apud dominam periculum adiit. Igitur, ubi Chaerea, Dori etiamtum partes agens, Thaidi roganti: „Virginemne tu civem vitiare ausus es?" respondit: „conservam esse credidi," iure illa exclamat (859 sq.):

> Conservam? vix me contineo quin involem
> Monstro in capillum: etiam ultro derisum advenit.

Ultro optime, quia ipsa Pythias est in conservarum illarum numero. Egregie haec omnia Scholiasta intellexit.

At Thaidi iam prudentia emendare cupienti quae imprudentia deliquerit molestissima est illa ancillae iracundia. Hinc dictum illud eius ad Pythiadem (vs. 861): „Abin hinc insana?" Illa vero (861—3):

> Quid ita? Vero debeam,
> Credo, isti quicquam furcifero, si id fecerim:
> Praesertim quom se servom fateatur tuum.

ubi credo quam solet ironicam vim habet; cetera fient perspicua si reputaveris qui maiores poenas sumat quam pro scelere admisso apud illum debiti aliquid residere.

Tum statim Thais: „Missa haec faciamus.” Haec iocularia et futilia. Sic Scholiasta: rectissime: non enim iam Dorum eum appellat vel cum eo tamquam cum servo loquitur.

Deinde: „Non te dignum, Chaerea, fecisti.” Nomen Chaereae sic adiectum commiserationem quandam habet. Tum suum consilium quod fuerit exponit; postremo:

Conturbasti mihi
Rationes omnis, ut eam non possim suis
Ita ut aequom fuerat atque ut studui tradere,
Ut solidum parerem mi hoc beneficium, Chaerea.

Qui beneficium facit, is sibi apud eum cui facit gratiam parit; et gratia illa thesauri cuiusdam instar est. Cf. Herodoteum ἡ χάρις ἀπόκειται. Flebiliter ergo queritur Thais: speraveram fore ut illud beneficium mihi thesaurus quidam fieret, nunc tu mihi eam spem ademisti.

Contra Chaerea (872 sqq.):

At nunc dehinc spero aeternam inter nos gratiam
Fore, Thais. saepe ex huiusmodi re quapiam
Malo principio magna familiaritas
Conflatast.

Haud parvam emphasin habet illud at: affirmat enim iuvenis tantum abesse ut damnum fecerit Thais ut haud parvum lucrum ad eam perveniat: pro solido beneficio habebit aeternam gratiam. Sed sanum esse huiusmodi re quapiam vix credo et in tam lepidis versiculis languidam istam verborum ubertatem non fero, sed quid agam nescio.

Ludere tamen et deridere fictum Eunuchum pergit Pythias, consultoque vs. 882:

Te quoque iam Thais, ita me di bene ament, amo.

Haec grati animi testandi formula „te amo” (gratias enim

Chaerea hic agit Thaidi quae sibi tam facile ignoverit ac secum redierit in gratiam) a poëta Chaereae tribuitur ut sequi possit ioculare Pythiadis dictum (vs. 883):

Tum pol tibi ab istoc, era, cavendum intelligo.

Suavissimum est illud verborum iocorumque proelium Pythiadem inter Chaereamque. Atque egregie illud Scholiasta illustrat, cuius pauca hic afferam. Monuerat Pythias Thaidem ne adolescentem lascivum petulantemque domum suam admitteret. Tum (901—4):

Ch. Non faciam Pythias. *Py.* Non credo Chaerea,
Nisi si commissum non erit. *Ch.* Quin, Pythias,
Tu me servato. *Py.* Neque pol servandum tibi
Quicquam dare ausim, neque te servare. apage te.

Annotat Scholiasta ad vs. 901: „iulariter ut ille Pythias, ita haec Chaerea" et ad vs. sequentem: „iterum nomen vultuose est additum," [1]) denique ad vs. 903: „totum garrule et gesticulose, ut puellam cum adolescentulo fabulari videas".

Versu autem 902 in nisi si commissum non erit paulisper haereo; additum sane oportebat quicquam. An pro non legendum nil?

Dum illi ludunt subito Chremes conspicitur, recordatusque Chaerea quam turpem etiam gerat personam, cum Thaide in aedes eius properat; ante ostium restat Pythias.

Actus V Scena 3.

Appropinquante Chremete et nutricem incitante Pythias secum deliberat quomodo a Parmenone, a quo ita sit decepta, ut sibi etiam herae fuerit timenda ira, poenas sumat. A Chre-

[1]) Conferri possunt in Phormione ista (vs. 437 et 439) Dixi Phormio. Dixi Demipho, ubi v. Schol.

mete ubi audivit memoriter nutricem cognovisse signa sororis iam iam sibi restituendae

„Bene" (ait vs. 916) „edepol narras, nam illi faveo virgini."

Ne illud nam illi faveo virgini languere putes, a Scholiasta disce singularem quandam esse illorum verborum festivitatem, quaeque ea sit. „Quasi dicit" ait „illi faveo, non Chaereae": Chaereae enim succensere Pythias pergit. In mentem hic nobis venit lepidissimae scriptoris nostratis narrationis, ubi matrona paulo acerbioris ingenii, postquam adolescentem quendam e poëta aliquid recitantem audivit, inducitur dicens: „pulcherrima est elegia," atque illud elegia ita pronuntians ut dicere videatur: „quod ad recitationem pertinet, de illa tacere satius est." [1]).

Intromittit Chremetem cum nutrice Pythias, dumque respicit ipsa Parmenonem accedere videt.

„Virum bonum eccum Parmenonem incedere
Video

ait illa (vs. 918 sq.); praecedunt eius ad Chremetem nutricemque verba haec:

Ite intro: iam dudum era vos exspectat domi.

Vellem vs. 918 a voce sed inciperet, vel alio eiusmodi vinculo praecedenti annecteretur. Quid si pro virum legamus verum? Nam in vulgata lectione etiam verborum ordo displicet (Cf. ‚bone vir!').

Deinde ipsa Pythias domum intrat, mox exitura ut fallaciā, quam modo excogitavit, Parmenonem perterreat.

---

[1]) Idem Terentii artificium redit Hec. 233, ubi senex, uxori suae iratus, postquam ab ea cognovit aliquid ad iram sedandam aptum, ne tamen plane omnem omittat acerbitatem ita respondet:

Gaudeo, ita me di ament, gnati causa: nam de te quidem
Satis scio peccando fieri detrimenti nil potest.

Actus V Scena 4.

Accedens Parmeno iam laetatur laude quam ipse sit capturus si apud Thaidem res feliciter Chaereae cesserit. Et iure a Chaerea pretium praemiumque exspectat, neque cur exspectet multis verbis sumus docendi. Tamen sequitur Parmenonis disputatio quindecim versuum insulsissima et vix ferenda. Sunt hi (926—940):

Nam ut mittam quod ei amorem difficillimum
Carissimum, ab meretrice avara virginem
Quom amabat, eum confeci sine molestia
Sine sumptu, sine dispendio: tum hoc alterum,
Id verost quod ego mihi puto palmarium
Me repperisse, quo modo adolescentulus
Meretricum ingenia et mores posset noscere,
Mature ut quom cognorit perpetuo oderit.
Quae dum foris sunt, nil videtur mundius
Nec magis compositum quicquam nec magis elegans:
Quae cum amatore suo cum cenant ligurriunt.
Harum videre inluviem sordes inopiam,
Quam inhonestae solae sint domi atque avidae cibi,
Quo pacto ex iure hesterno panem atrum vorent,
Nosse omnia haec salus est adolescentulis.

Totum hoc a Parmenonis consilio alienissimum. Satis est quod se, si res prospere cesserit, auctorem fuisse dicturus est, contra ea quae a Chaerea petivit vs. 390. Id quidem plane convenit naturae eius. Sed cur se nunc morum bonorum praeceptorem fingit? Et egregius ille praeceptor est qui, ut adolescentulo odium et contemptum meretricum inspiret, illi facultatem praebet apud meretricem summa voluptate fruendi! Ut canis a corio nunquam absterrebitur uncto. Accedit quod Thais inter meretrices exemplum virtutis est, quae mox pro meritis praemium accipiet. Inseruit locum inficetum aliquis probior, quam

callidior, qui nollet egregiam comoediam nihil valere ad mores emendandos. Eiusmodi consilium iam invenis in Scholiis ad II, 3, 90 sqq.

Versus 941 sq.:

nonne cito redit Pyth.?

> Ego pol te pro istis dictis et factis, scelus
> Ulciscar, ut ne inpune in nos illuseris.

(Pythiadis ea verba sunt) multo melius ad 923—925, quorum ultimus est:

> Quantam et quam veram laudem capiet Parmeno

referuntur quam ad istam disputationem, in qua omnia languida et insulsa sunt. Versum 936 iam Bentlejus spurium censebat.

Prudentissime ad Pythiadis verba modo citata Scholiasta annotat: „Miro artificio poëtae" (i. e. Terentii, qui hac parte Menandri oeconomiam festivitate sua exornasse censendus est) „et ab initio non placatur Pythias nec in gratiam redit Chaereae. Et insuper nunc mire a Parmenone irritatur magis, ut per eam Parmeno terreatur et per Parmenonem ingredi ad Thaidem cogatur senex, et demum per senem nuptiae confirmentur. Haec ergo artificibus et peritis, cetera spectatoribus poëta exhibet."

Perterritura ergo Parmenonem secum Pythias lamentatur de atroci re quam intus fieri conspexerit. Et alloquente eam Parmenone, quem se non videre hactenus simulaverat: „quid istuc, Pythias? quid ais" respondet (vs. 947 sqq.):

> Rogitas audacissime?
> Perdidisti istum quem adduxti pro eunucho adolescentulum,
> Dum studes dare verba nobis.

Rectissime Scholiasta annotat: „artificiose non accusat quid [1]) peccaverit adversus Thaidem, quasi ex poena adolescentis plus doleat quam irascatur Parmenoni."

Tum rem „mira tarditate ad torquendum Parmenonem"

---

[1]) L. quod.

(Scholiastae haec verba sunt) denarrat: prehensum a virginis fratre Chremete Chaeream moechorum illic subire tormenta. „Haec fiunt" (ait vs. 956) „orante, ut ne id faceret, Thaide." Annotat Scholiasta: „recte hoc additum ne speret auxilium a Thaide."

vs. 960. Rogante Parmenone:

> Quis homo pro moecho unquam vidit in domo meretricia
> Prendi quemquam?

„Nescio" Pythias ait. Ad illud *nescio* Scholiasta annotat obscuriora quaedam et fortasse corrupta, sed quorum sententia huc fere redit: „astute istud *nescio* a Pythiade dictum: non contradicit, non disputat contra Parmenonis dubitationes; quod si faceret amitteret fidem. Nuntiat tantummodo, non ratiocinatur." Rectissime: quo enim magis insciam se fingit Pythias, eo magis ei creditur, eoque minus nascitur suspicio simulatam eius esse perturbationem.

Iam irrupturus aedes est Parmeno ut misero hero opem ferat, at eum retinet ~~Thais~~ Pythias his verbis (964 sqq.):

> Vide, Parmeno,
> Quid agas, ut neque illi prosis et tu pereas: nam hoc putant
> Quidquid factumst, a te esse ortum.

Iterum hic poëtae oeconomiam laudat Scholiasta egregia hac annotatione: „totum hoc ad id addidit ut senex intromittatur ad confirmandas nuptias. Sed poëta hoc agit, personae nesciunt."

Hic adventantem cernunt senem Chaereae Phaedriaeque patrem; abit in aedes ~~Thais~~ Pythias; Parmeno vero, ad incitas redactus, totam rem, sicut acta est, fateri seni decernit, ut ille miserum filium tortorum eripiat manibus.

Actus V Scena 5.

Advenit senex, a Parmenone cognoscit qua iniuria afficiatur filius, in aedes Thaidis irrumpit, mala multa minatus Parmenoni auctori calamitatis. Praemittitur scenae haec Scholiastae annotatio: „Annotandum quod huius senis nomen apud Terentium non est: apud Menandrum Simon dicitur." Nomen apud Terentium non est: recte, nemo enim senem suo nomine alloquitur et qui huic scenae suprascripsit nomen Lachetem id suo fecit arbitratu. Apud Menandrum Simo dicitur. A quo? Nempe ab aliquo quocum in scena versatur. Aliam Scholiastae observationem videamus. Solus relictus Parmeno: „quamquam video" ait „me poenas daturum, tamen gaudeo quod ne meretrices quidem impune sint laturae,

Nam iam diu aliquam causam quaerebat senex
Quam ob rem insigne aliquid faceret eis; nunc repperit."

Ad hos ergo versus (1000 sq.) Scholiasta annotat: „Manifestius hoc Menander explicat: iam pridem infestum meretrici senem post corruptum ab ea Phaedriam nunc demum se inventa causa vindicaturum." Hae annotationes inter se iunctae docere nos videntur apud Menandrum diutius in scena versari senem et cum pluribus loqui quam apud Terentium. Neque mirum: cum enim scenis, ubi Thraso Gnathoque loquentes inducuntur, fabula aucta esset, ne nimis longa fieret, alio loco, idque versus finem coartanda fuit. Idem et in Andria factum esse novimus.

Ad primos autem versus scenae primaque senis verba (971 sqq.):

Ex meo propinquo rure hoc capio commodi:
Neque agri neque urbis odium me unquam percipit.
Ubi satias coepit fieri commuto locum

verward annotat Scholiasta (verba autem eius impedita sunt corruptave sed sensus perspicuus) pulchre hic senem tam otiosum induci et mali nihil suspicantem, quo magis audito malo perturbetur. Recte, et illa quoque repetitio capio ... percipit ipsumque compositum

percipit illud senis otium et loquacitatem significare videtur. Eodem spectat annotatio ad verba *ubi satias — locum*: „suffecerant ad hanc sententiam duo superiores versus, sed ἐνέργεια est senilis eloquii faceti et garruli simul."

Conspicit Parmenonem senex et sic alloquitur (vs. 975):

Quem praestolare, Parmeno, hic ante ostium?

Ille vero

Quis homost? ehem, salvom te advenire, ere, gaudeo.

Varias causas proponit Scholiasta cur istud *quis homost* dicat, cum senem adventantem conspexerit probeque noverit. Veram esse opinor: quod moras quaerit, vel, quod eodem redit: „quia quod parabat dicere de Chaerea, postquam cominus ventum est, non audet dicere" quae sunt Scholiastae verba.

Non resalutat senex sed iterum rogat: *Quem praestolare?* Eiusdem verbi repetitio metuere incipientis est. Ubi vero ne nunc quidem quidquam respondet Parmeno, senex plane iam perturbatus anxiusque neque dubitans quin se absente magnum aliquod malum acciderit, *Hem* exclamat.

Tandem sic narrare Parmeno incipit vs. 982 sq.:

Emit quendam Phaedria
Eunuchum, quem dono huic daret

„τὸ *quendam* ἐξουθενισμόν significat et εὐτέλειαν ἀνδρός" Scholiasta recte observat.

„Pro Eunucho Chaerea ad Thaidem est deductus ibique pro moecho comprensus" ita fere narrare pergit. Recte autem Scholiasta ad vss. 991 sq., ubi illa *pro Eunucho* et *pro moecho* leguntur, annotat: „Bene utrumque *pro*, quia neque eunuchus est qui vitiavit virginem, neque moechus qui in domo meretricia. Et specta quam oratorie transtulerit [1]) men-

[1]) Nos de aliqua comoedia narrantes sic loqui solemus: „in Terentii Eunucho (ut hoc utar exemplo) servus senem *decipit*; culpam malefacti in meretrices *confert*;" vel, versu citato, „vide quam lepide se Parmeno *defendat*." Sermo autem Scholiastae hoc habet ut fere semper huiusmodi locis *perfectum tempus* ponatur. Quod semel observasse utilissimum est ei qui Scholiastam excutere velit.

tionem vitiatae virginis." Idem ad versum 994, ubi Parmeno addit audaciam meretricum specta, annotat: „oratorie avertit iram senis a se et a Chaerea atque derivat in meretricem.'

Vix exspectato narrationis fine senex misero filio opem ferre properat.

Actus V Scena 6.

Non potest melius huius scenae argumentum describi quam his Scholiastae verbis (ad 1002 sqq.): „Pythias egreditur veluti irrisura Parmenonem, ut ipsa putat; egredi autem a poëta cogitur ut doceat populum quid intus egerit senex." Deridet autem Parmenonem Pythias quod se ficto terrore perturbari passus sit et factum suum seni indicaverit. Cuius postquam verba cachinnosque aliquantisper audivit Parmeno, tandem eam quid rideat rogat, at illa (1008 sqq.):

Rogitas?
Nunquam pol hominem stultiorem vidi nec videbo ah
Non possum satis narrare quos ludos praebueris intus.

Lepide vereque Scholiasta: „Postquam rogitas dixerat, quasi narratura videbatur et redit ad insultationem."

Eodem spectat annotatio ad versum sequentem:

At etiam callidum et disertum credidi hominem.

„Haec omnia sic in scena pronuntiata sunt ut risu interrumpi viderentur." Tum sic miserum hominem ludibrio habet ancilla petulans (1012 sqq.):

Quid? ilicone credere ea quae dixi oportuit te?
An paenitebat flagiti, te auctore quod fecisset
Adolescens, ni miserum insuper etiam patri indicares?

Ad alterum versum verissimam hanc habemus Scholiastae annotationem: „An poenitebat: illud quod supra a stulto, hoc quod nunc dicit a malo fieri potuit. Illud ab imprudente, hoc quod peius est a sciente."

Actus V Scena 7.

Postquam satis derisit Pythias adversarium a se astutia superatum domum abit, et stante etiam illo ante ostium Thraso Gnathoque adveniunt; ille quid sibi velit a Gnathone rogatus respondet (vs. 1026):

Egone? ut Thaidi me dedam et faciam quod iubeat. Quid est?

Haec enim Thrasoni verba dat Westerhovius omnia, et illud quidem Quid est Thrasonem dicentem facit, ubi Gnathonem videt admirantem; tum Gnathonem:

Qui minus quam Hercules servivit Omphalae?

et Thrasonem:

exemplum placet.

Postremo Gnathonem aversum:

Utinam tibi commitigari videam sandalio caput!

Equidem de Quid est Westerhovio assentior; sed totum hoc:

Egone? Ut Thaidi me dedam et faciam quod iubeat. Quid est?
Qui minus quam Hercules servivit Omphalae?

Thrasoni dandum censeo. Vide Scholiastam, qui confert vs. 783, ubi item miles de se suoque facto: „idem hoc iam Pyrrhus factitavit." Tum Gnathonem clara voce dicentem facio: „exemplum placet," summissa autem aversumque:

Utinam tibi commitigari videam sandalio caput.

Subito a Thaide fores crepant prosilitque Chaerea. Hic Thraso vs. 1029):

Perii: quid hoc autemst mali?

Rectissime Scholiasta: „Eunuchi habitu sed virili confidentia prosilit Chaerea et militem velut novi rivalis terret aspectu."

ACTUS V SCENA 8.

Exsultat Chaerea gaudio; Pamphilam suam civem inventam et a patre sibi sponsam Parmenoni narrat, fratris totam esse Thaidem; laudat Parmenonem qui suaserit, se qui ausus sit, fortunam quae adiuverit, patrem qui tam fuerit facilis. Paulo post Phaedria accedit, quo frater ubi sit rogante, Chaerea exclamat (vs. 1050) „praesto homost," quae verba eundem habent colorem atque illud nemo homo et nemo quisquam, quod tam frequens apud Terentium. Audit haec omnia Thraso, audit praeterea a Chaerea Thaidem laudari, se foras aut pulsum iam aut pulsum iri intelligit; obsecrat Gnathonem ut aliquod sibi miseriarum levamen inveniat, et „si effeceris" ait (vs 1055) „ut haeream in parte aliqua tandem apud Thaidem

Quodvis donum praemium a me optato, id optatum [feres" (vs. 1057).

Perite annotat Scholiasta: „donum ut a largo homine, praemium ut a praeclaro facinore," recteque admonet militare esse optandi verbum.

Audit eorum sermonem Phaedria et sic rivalem alloquitur (vs. 1061 sq.):

Tu fortasse quae facta hic sient
Nescis.

„Hoc totum superbe ac minaciter inquit adolescens," egregia est Scholiastae annotatio.

Ubi miles „Scio" dixit, sic pergit Phaedria:

Quor ergo in his te conspicor regionibus?

Respondet miles: „Vobis fretus." De industria soloecismum *fretus* militi datum censet Scholiasta. V. ad vs. 432. [1])

---

[1]) Eiusdem generis est annotatio ad Phorm. II, 1, 18: „*Habendae compedes:* vitiosam locutionem servili personae dedit Terentius. Nam integrum esset, si diceret habendas compedes."

Hic verbis superbissimis exitium homini minatur Phaedria si unquam posthac ante Thaidis aedes conspectus fuerit. Tum Gnatho: „heia haud sic decet." Heia leniter increpantis est: novimus enim quam blande mitigare soleat Gnatho militis adversarios.

Sed nihil remittente Phaedria, militem iubet Gnatho paulisper recedere et Phaedriam Chaereamque sic alloqui incipit (1069 sq.):

Principio ego vos credere ambos hoc mihi vehementer velim,
Me huius quidquid facio id facere maxime causa mea.

Illud „me facere causa mea" Scholiasta putat ideo dici a parasito, quoniam ipse Phaedriae minus odio sit quam miles, eiusque „causa parasitica" minus quam militis amor. Falso, ut opinor. E sequenti versu:

Verum si idem vobis prodest, vos non facere inscitiast

apparet Gnathonem hoc velle: „quamquam mea causa hoc dico, tamen id ipsum et vobis prodesse potest," sed hanc sententiam de industria ioculariter sic composuisse ut Phaedriam παρὰ προσδοκίαν iubeat id credere quod sibi ille iamdudum persuasum habeat.

„Quid id est?" Phaedria rogat. Respondet Gnatho (1072)

Militem ego rivalem recipiundum censeo.

Hic Phaedria exclamat: „Hem!" Nullam scripsit Scholiasta utiliorem annotationem quam ea est quae ad hunc locum legitur: „Considera quo vultu hoc dicendum sit, et intelliges et militem et rivalem, et recipiendum et ego censeo quanta significent." Deinde de singulis vocibus sic disputat ut hoc eum velle videas: „omnia ita esse enuntiata ut quam impudentissima videantur;" sive quod supra legitur: „Artificiose satis semel [1]) intulit omne quod durum dictu ad persuadendum erat" et: „Fiducia sic dicentis parat animos ad audienda quae

---

[1]) Semel. Lege Simul: omnia enim simul et voce nusquam subsistente profert.

dicet." Phaedria autem exclamans hem significat se impudentia postulati vehementer perculsum.

Consilium ergo Gnathonis hoc est: „Noli impedire quominus fatuus iste miles sibi rivalis esse tuus et a Thaide amari videatur. Et amico eo utere: utilissima tibi eius amicitia esse potest. Non est quod eum metuas: pellas, ubi velis: interim si tuum exhauseris peculium, suppeditare tibi ille quantum opus est poterit; „praeterea" ait vs. 1081

hoc etiam quod ego vel primum puto,
Accipit homo nemo melius prorsus neque prolixius.

„Homo nemo" dicit nota verborum abundantia: loquitur enim de re quae sibi penitus sit persuasa.

Probant eius consilium Phaedria fraterque. Tum Gnatho (1084 sq.):

Recte facitis; unum etiam hoc vos oro, ut me in vostram [gregem
Recipiatis: satis diu iam hoc saxum vorso.

Scholiasta rogat: „militemne saxum dicit?" Non credo: proverbialiter enim „hoc saxum vorso" dictum videtur pro: huic rei operam do, nempe ut certos assiduosque habeam homines qui me alant.

Suo modo gratias agit Gnatho vs. 1086:

At ego pro isto, Phaedria et tu Chaerea
Hunc comedendum et ebibendum vobis propino.

Et Chaerea dicente „Placet," Phaedria addit verba: „dignus est," ad quae lepidissime Scholiasta annotat: „Haec verba ultima longi sermonis eiusmodi sunt ut miles haec audiens laudatum se esse et approbatum existimet."

Tum Gnatho ad militem conversus (1088): „Thraso, ubi vis accede" ait. Egregie verborum ubi vis venustatum demonstravit Scholiasta annotando: „Honorifice revocat ablegatum cum iniuria."

Quid cum Phaedria Chaereaque locutus sit ei denarrat lepido mendacio parasitus (1089 sqq.):

— Isti te ignorabant: postquam eis mores ostendi tuos
Et collaudavi secundum facta et virtutes tuas
Impetravi.

Tum miles (1091 sq.):

Bene fecisti: gratiam habeo maximam.
Numquam etiam fui usquam quin me amarent omnes [plurimum.

Quoniam autem Gnatho nunc statim rogat:

Dixin ego in hoc esse vobis Atticam elegantiam?

in his quoque militis verbis, et sunt illa ultima quae eum dicentem audimus, inepti aliquid esse debet. Egregie illud detexit Scholiasta, qui observat: stuporem militis in eo versari quod hoc (N u n q u a m — p l u r i m u m) contrarium est superiori (B e n e f e c i s t i: g r a t i a m h a b e o m a x i m a m). „Quid est enim" ait „quod bene non [1]) fecerit quicquam, si in illo ést ut ametur?"

„Nil praeter promissum est" ridens, ut opinor, Gnathoni respondet ~~Chaerea~~. Phaedria.

Atque hunc venustissimum habet exitum fabula omnium venustissima.

[1]) Hoc non delendum censeo.

CAPUT SECUNDUM.

Quod paucis tantummodo atque raro evenit ut sui ipsi libri utilitatem praedicare possint, id mihi hoc loco contingit. Contendo enim palamque declaro, qui praecedens caput legerit ad Terentii Eunuchum melius intelligendum multum profecisse, neque vereor ne quis me ob illud dictum arrogantem parumve verecundum appellet. Quidquid enim boni est in illo capite meum vix dici potest: ipse illud lubenter acceptum refero praestantissimo, quem toties citavi, viro Scholiastae. Quem utinam alio appellare nomine possem: Scholiastam enim dicendo maledicere ei videor. Eximendus est illi ineptorum hominum turbae, qui futilium annotationum farragine scriptores poëtasque obruunt, atque longe longeque illis anteponendus: illi vix unquam quidquam tradunt quod non quivis paulo acutior ipse possit invenire, at hic poëtam suum revera illustrat; ut ipsi nostris oculis eius venustates videamus efficit, neque quidquam latere patitur quod ille singulari elaboraverit artificio. Vera esse pleraque omnia quae doceat statim agnoscimus simulque profitemur nos, nisi monuisset ille, eadem observaturos non fuisse. Ex divite ille copia doctrinam tradit, atque ita tradit ut statim propria fiat accipientium. Potestne maior magistri laus excogitari? Et veram esse, licet ex annotationibus in capite praecedenti allatis iam aliquatenus appareat, tamen nunc data opera demonstrare conabor, et quae sint magistri nostri merita atque e quo fonte orta quam accuratissime exponere.

Est ergo — hoc mihi ante omnia dicendum, hoc semper et ubique tenendum — vir artis scenicae et amantissimus et peritissimus: quidquid dicit docetve, illam artem habet ante oculos. Verum fuisse artificem Terentium, qui spectatorum animos commovere atque detinere egregie calleret, annotationibus suis demonstrare studet. Cumque artificem vix dici posse, qui servilem in modum alium sit imitatus, sibi habeat persuasissimum, huic rei primum dat operam ut appareat ubi a Menandro — et Menandrum cum nomino simul de Apollodoro me cogitare lector sciat — Terentius deflexerit, quasnam exempli sui partes mutaverit, quid propriis quibusdam exornaverit coloribus. Paucos locos qui huc faciant afferam; paucos, aio, nam multo mihi maior pars reservanda est unde integrum de Terentii inventione caput componam. Hic ergo duas proponam res in quibus, a Scholiasta admoniti, Terentianam artem a Menandrea differre sciamus: eiusmodi enim illae sunt ut sine totius argumenti detrimento separatim tractari possint.

A. Terentius sedulo dat operam ut in comoediis suis omnia sint quam urbanissima, lenissima, mitissima. Duri inesse nihil patitur, nihil agreste, nihil crudele, nihil denique, ut Scholiastae utar verbis, τραγικόν. Huc spectat annotatio ad Andr. 606. Intelligit Davus servus se astutiis suis et semet ipsum et herilem filium perdidisse; adventantem iam videt senem cui sit poenas daturus et: „occidi" ait

„Utinam mihi esset aliquid hic quo nunc me praecipitem darem." Annotat Scholiasta: „Non dixit gladium aut laqueum, ne esset tragicum. Ergo expressit bene dicens: praecipitem darem." Ita est: comico et servili dicto opus hic est, non tragica tragicae disperationis significatione. Correctum autem hic a Terentio Menandrum non certum quidem est sed verisimile fit iis quae annotantur ad:

Ad. II, 275. Ctesipho amore peregrinae puellae ardet, sed

ipse quod det lenoni, cuius ea est, non habet; atque ille se venditurum eam atque in Asiam missurum minitatur. Non audet miser adolescentulus rem fratri amantissimo committere vel patri adoptivo, clementissimo seni, fateri, neque quidquam superesse videt quam ut patriam deserat illamque sequatur. Reprehendit eum hanc ob causam frater, tandem de eius sollicitudine certior factus, his verbis:

Ah stultitiast istaec, non pudor: tam ob parvolam
Rem paene e patria!

Annotat Scholiasta: „Menander mori illum voluisse fingit, Terentius fugere." Non est, ut opinor, opus multis demonstrare verbis quanto rectius Terentius quam Menander fecerit. Leniter ridere possumus adolescentem usque quaque amatam puellam secuturum; sed qui mortem sibi consciscere decreverit, immo paene iam consciverit, quamvis levem ob causam, illius tristem deflemus sortem.

Quam egregie Scholiasta observarit neque militem in Eunucho neque in Adelphis Demeam tamquam plane stultos depingi iam vidimus (p. 35), simulque Scholiasta magistro intelleximus cur illi prudentiae, huic acuminis aliquantulum dederit Terentius. Idem est annotationis ad Ad. 541 consilium. Ficta Syri servi narratione motus Demea senex ad villam suam est profectus, illic filium suum esse credens, simul in itinere fratrem quaesiturus. At mox redit exclamans:

Ne ego homo infelix: primum fratrem nusquam invenio [gentium:
Praeterea autem, dum illum quaero, a villa mercennarium
Vidi: is filium negat esse ruri: nec quid agam scio.

Adscripsit autem Scholiasta haec: „Sapientissime Terentius, etsi proxima villa est, necessario[1] senem ad reliquos actus fabulae noluit ab urbe discedere, personae senilis memor. Nam et arduum fuerat, dum redit, et cruciabile, ne fatigatio eius in tragoediam transiret. Recte igitur invenit a mercenario illi in

[1] codd. necessarium corr. Bentl. Hem.

urbe narratum ruri non esse Ctesiphonem. At ubi persona est adolescentis, et proficiscitur ad villam et continuo redit, ut in Eunucho Phaedria." Egregie haec observata videntur. Sit enim durus homo Demea, sit morosus et omnis venustatis expers, at senex est, grandaevus, infirmo corpore. Lubenter ergo eum falli videmus, ludibrio haberi et absurdissimis narrationibus inde ablegari, ubi praesentia eius minime opus est: at eundem longioribus rumpi ambulationibus aegre ferimus: agreste hoc nobis videtur, crudele, inhumanum, et in locum delectationis comicae acerbus quidam venit misericordiae sensus.

Hec. 725 sq. Laches et Phidippus, patres hic virginis, ille iuvenis qui eam duxit, de liberorum commodis inter se consultant: vident enim illorum nuptias parum esse firmas, nuptam a marito peregre iter faciente discessisse, hunc autem, iam reversum, recipere eam nolle. Quid rei sit quaerunt: tandem suspicari incipiunt Bacchidis peregrinae, quacum olim vixit, teneri etiamnunc adolescentem amore. Hanc ergo arcessendam esse decernunt et vel minis vel precibus permovendam ut amatorem suum missum faciat. Igitur ad eam Laches puerum mittit, Phidippus vero, postquam se quoque operam omnibus modis daturum promisit ut sua Lachetisque permaneat affinitas, hunc rogat:

Sed vin adesse me una, dum istam convenis?

at ille: „immo abi vero" respondet. Hic Scholiasta annotat: „Melius pronuntiaveris, si renitente et improbante hoc vultu dicere acceperis Phidippum, quasi non oporteat interesse socerum. Ideo mutat sententiam Laches et relegat eum in procurationem alterius rei." Egregie, ut opinor, Terentii consilium perspexit: adversus meretriculam enim imperiosa verba valebunt nihil, blanditiis erit aggredienda. Hoc autem ut faciat iuvenis pater vix quidem sed aliquo tamen modo a se impetrabit; nuptae vero pater ut cum filiae suae pellice comiter loqui possit tantum abest ut etiam adesse eum pudeat dum

faciat alius. Et nisi puderet, durus esset homo, agrestis, barbarus. „At idem tamen" dixeris „illud de Bacchide arcessenda dederat consilium." Alteram ergo audi Scholiastae annotationem ad vs. 720: „Bene servata sunt personis congruentia. Nam socerum monere hanc rem tantum decuit, non etiam facere, ut cum pellice filiae suae mitius sermocinaretur."

Admonent me Scholiastae de Terentio usquequaque urbanitatis rationem habente, atque ideo saepe auctorem suum emendante, annotationes ut pauca quaedam ipse de Andriae versu quodam annotem. Etiam nunc saepe verba Simonis (vs. 40) „haud muto factum" viri docti illustrant docendo legem fuisse apud Romanos, qua patrono liceret ingratum libertum in servitutem retrahere. Nonne ergo sentiunt quam sit invenustum, inhumanum, ἀπειρόκαλον, in colloquio cum Sosia, illo probissimo fidelissimoque mortalium, tam durae legis mentionem facere? At sensit hoc Scholiasta, qui errorem illum vetustum iam esse nos docet et sic eum refutat: „Haud muto factum: Non me poenitet, nam si quid poeniteret infectum velle dicebant. An secundum ius, quod adversus libertos ingratos est, ut in servitutem revocentur? Sed hoc non convenit senem dicere."

B. Terentius semper in tempore consulit oeconomiae: ne fabulae exitus spectatoribus incredibilis videatur iam in primis scenis ponit quaedam quibus animi eorum praeparentur, nam verisimilia omnia esse vult. Haec est illa Terentii, toties a Scholiasta laudata, vigilantia, cuius unum hic ponam exemplum, quod instar omnium est. Andriae fabulae hic est exitus ut Pamphilus adolescens, civis Atticus honesto loco natus, Glycerium quandam uxorem ducat, patre non solum permittente sed etiam gaudente. Hanc enim Glycerium et ipsam civem esse Atticam apparebit, sed amare eam coepit Pamphilus in domo meretricia; educta enim est apud Andriam Chrysidem. Quid ergo poëtae est agendum? Efficere debet ut spectatores credant nullam tamen Glycerii famae adhaerere

maculam, caste enim et pudice illam ibi vixisse. Neque potest hoc fieri nisi ipsa quoque Chrysis omnibus modis meretricum vulgo eximatur; sic ergo de ea Simo liberto suo narrat ut appareat non sponte eam quaestum illum inhonestum suscepisse sed invitam fame atque inopia ad eum esse compulsam. Huc spectant senis verba vs. 70:

Ex Andro commigravit huc viciniae
Inopia et cognatorum negligentia
Coacta

et illa vss. 74 sq.:

Primo haec pudice vitam parce et duriter
Agebat, lana ac tela victum quaeritans

(verba autem victum et quaeritans ita illustravit Scholiasta ut ex iis intelligamus Chrysidis vitam simul laboriosam fuisse et frugalem inopemque); huc, ut alia omittam multa, eius de Glycerio primum a se conspecta narratio. „Conspicio" ait inter mulieres quae aderant in Chrysidis funere „adolescentulam, vultu

Adeo modesto, adeo venusto, ut nil supra.
Quae quom mihi lamentari praeter ceteras
Visast, et quia erat forma praeter ceteras
Honesta ac liberali, accedo ad pedisequas."

Cuius loci consilium egregie Scholiasta exponit.

Duo autem haec artificia, tam illud, quo urbanitati consulitur, quam hoc quo tota fabula fit verisimilis, equidem Terentii fuisse propria censeo, multaque alia quae ut in clara ponantur luce Scholiastam tam frequenter et tam sedulo dare operam videmus. Ea praesertim Scholiastae mentem in se converterunt quae nova posuit Terentius ut poëtam Graecum redderet venustiorem. Atque saepe quidem disertis verbis dicit: „apud

Menandrum haec non sunt" vel „melius Terentius quam Menander," saepius tamen idem obscurius significat. Et miramur etiam cur unam fabulam Heautontimorumenon nulla annotatione dignam habuerit? Hanc enim „ex integra Graeca integram comoediam" scripsit Terentius, nusquam ergo in ea propria eius indoles elucet.

Artis scenicae amantissimum peritissimumque Scholiastam dicebam: ad hanc ergo omnes eius annotationes referri possunt: illarum autem quatuor fere mihi observare visus sum genera.

I. Efficere conatur Scholiasta ut ipsi adesse nobis videamur poëtae scribenti, cogitanti, studenti. In poëticam nos introducit officinam, ubi singula perlustremus instrumenta et quid iis perfici possit cognoscamus. Dabo unum alterumque exemplum. Et primum hic repetam quae ad Eun. 941 et 1004 leguntur. Ad verba ergo Pythiadis, quibus Parmenoni servo certum minitatur exitium:

> Ego pol te pro istis dictis et factis, scelus,
> Ulciscar, ut ne impune in nos illuseris

annotat: „et áb initio non placatur Pythias nec in gratiam redit Chaereae. Et insuper nunc mire a Parmenone irritatur magis, ut per eam Parmeno terreatur, adeo ut per Parmenonem ingredi ad Thaidem cogatur senex, et demum per senem nuptiae confirmentur. Haec ergo artificibus et eruditis, cetera spectatoribus poëta exhibet." Dixeris a Scholiasta inspectam paginam adversariorum, in qua poëta, priusquam versus scribere inciperet, totius actus decursum paucis consignaverit literis.

Ad. vs. 1004, unde nova incipit scena in qua Parmeno a Pythiade ludibrio habetur: „Pythias egreditur veluti irrisura Parmenonem, ut ipsa putat. Egredi autem a poëta cogitur, ut doceat populum, quid intus egerit senex."

Andr. 637. Pamphilus, ubi suis auribus audivit se Davi de simulandis nuptiis consilio ad veras nuptias ita compulsum

ut effugere non posse sibi videatur, his verbis in auctorem funesti mendacii invehitur:

Ubi illic est? scelus, qui me hodie...

Est hoc initium scenae, cui prudentissimam hanc praemittit observationem Scholiasta: „Haec scena cuius perturbationis esse debeat, etiam supra poëta praestruxit, cum ad consentiendum Davi consilio tardum Pamphilum faceret."

Andr. vs. 642. Charinus, in errorem inductus stulto Davi commento, iam credit revera Pamphilum nuptias cupere Philumenae, quam se ducere velle ille simulaverat. Ratus ergo aemulum et perfidum aemulum esse quem sincerum crediderit amicum multa lamentatur de fallaciis hominum. Tandem eum Pamphilus sic alloquitur:

Charine, et me et te imprudens, nisi quid di respiciunt, [perdidi.

Et ille: „Itane, imprudens." Annotat Scholiasta: „Mire et artificiose fecit Pamphilum priorem alloqui ad perfringendam iracundiam Charini; alioquin si prior vociferari potuisset, tragica exclamatione usus fuisset" et: „Attende hoc illum repetere, quod indignatur magis, quasi audierit: imprudens, et non audierit reliqua." Rectissime: Charinus inexspectata calamitate afflictus, colloquii initium non faciet nisi verbis tam acerbis tamque plenis indignationis ut vix adolescentium gratia reconciliari possit. Nunc Pamphili verba non solum eius iracundiam cohibent, sed etiam iis finibus adolescentium disputationem includunt ut paucis verbis „rerum inscitia" quae fuerat, tollatur.

vs. 819. Davus fictum a se mendacium de litibus Pamphilum inter et Glycerium narravit Simoni Pamphili patri, qui filium suum ducere vult Chremetis filiam: simulandum enim est Pamphilo quoque has nuptias placere. Simul tamen Chremes deterrendus est ne filiam det; ideo Mysidem, Glycerii ancillam iubet Parmeno infantem e Pamphilo natum ante Simonis aedes apponere. Sed citius quam exspectatus est Chremes advenit,

hunc ergo a se conspectum dissimulans maledictis in Mysidem invehitur tamquam liberorum supponendorum artificem. Sic et se extra culpam futurum confidit, et, quo magis ipse infitietur, eo magis crediturum Chremetem Pamphili illum esse filiolum. Neque haec eum fallit spes: redit enim inde Chremes filiam suam adolescenti nequam negare certus. Dumque Pamphilus Mysidi miranti explicat quid sibi voluerit ea simulatio, advenit Crito Glycerii civis, Chrysidis sobrinus, qui Myside agnita cum illa Glycerii aedes intrat. Hic Davus:

Sequar hos: me nolo in tempore hoc videat senex.

Annotat Scholiasta: „Bene senex: Simo enim cum Chremete est. Propter hoc videri non vult, ne eius utatur apud socerum testimonio, rem esse Pamphilo adversus Glycerium, et rursus nuptiae confirmentur." Eiusmodi res spectatores sponte intelligunt; lectoribus tamen interdum monitoribus opus est tam peritis quam hic est Scholiasta.

Crito ergo ille, quem modo nominabam, Glycerium agnoscit et civem Atticam eam esse, id quod olim ipse e Chryside audivit, Pamphilo narrat. At non credit Simo: subornatum illum Critonem a filio putat ut pro Chremetis filia Glycerium istam uxorem habere possit. In filium ergo maledictis invehitur, qui vehementer hoc crimine perculsus flebiliter patrem placare studet. „Ego" (ait vs. 896):

Ego me amare hanc fateor: si id peccarest, fateor id [quoque.
Tibi, pater, me dedo. quidvis oneris impone, impera.
Vis me uxorem ducere? hanc vis mittere? ut potero, feram.
Hoc modo te obsecro, ut ne credas a me adlegatum hunc [senem:
Sine me expurgem atque illum huc coram adducam.

Hic indignabundus pater „adducas?" rogat, filiusque „sine pater". Tum Chremes: „aequom postulat, da veniam". Iure meritoque Terentium hic laudat Scholiasta: „Artificiose inter-

ponit loquentem Chremetem, quem volens usque ad cognitionem filiae suae retinere, non facit irasci Pamphilo ob contemptum filiae suae, et post hoc abire de medio"; atque his verbis totum poëtae consilium optime explicat.

II. Lectorem admonet, si peculiaris quaedam venustas est in aliquo vocabulo dictove, quod obiter aspicienti nullius esse momenti videri possit, vel si in eiusmodi vocabulo dictove lepidum aliquod poëtae cernitur consilium. Hic primum commemoro annotationem ad Eun. vs. 963 de qua supra dictum est. Pythias, ut inimicum suum Parmenonem perterreat, mentitur Chaeream, quem ille pro Eunucho ad Thaidem introduxerit, ibi deprensum et vinculis constrictum saevas dare poenas. Hic ille:

Quis homo pro moecho unquam vidit in domo meretricia
Prendi quemquam?

rogat, et respondet Pythias nil nisi: „nescio." Quotus quisque est qui sponte intelligat quam lepidum illud Thaidis responsum sit, quam Pythiadis personae aptum, quantopere illo mendacium eius adiuvetur? At omnia illa nobis reddit perspicua Scholiasta ea annotando, quae p. 73 citavi.

Andr. 534. Chremes filiam suam daturum se adolescenti, quem amicam habere cognoverit, negavit; Simo tamen, adolescentis pater, de contrahenda cum illo affinitate non desperat: in errorem enim eum Davi servi induxit commentum de litibus inter amicam amatoremque ortis. Orare ergo Chremetem ut consilium mutet decernit; interea nuptias parari iubet tamquam hodie futuras. Iamque ad Chremetem profecturo obviam ipse ille venit, qui sic eum alloquitur:

Optato advenis.
Aliquot me adierunt, ex te auditum qui aibant, hodie nubere
Meam filiam tuo gnato: id viso tun an illi insaniant.

Stomachari eum, qui sic loquitur, ex omnibus apparet verbis, sed e nullo magis quam ex uno illo a d i e r u n t, cuius acerbitas

vix perspiceretur nisi annotasset Scholiasta: „adierunt, quasi importune et interpellantes.“ Egregie: nihil enim homines, qui rumusculos aucupantur, odiosiores reddit quam ipsa gravitas qua illos perferunt ad eos de quibus sparguntur, atque verane sint quae audiverint rogant. Magna autem est adeundi verbi gravitas: adimus enim praetores, iurisconsultos, ceteros qui de maximi momenti rebus respondent.

Andr. 923. Narrat Crito, Chrysidis sobrinus, quomodo Glycerium, parva etiamtum puella, ad illam sit adducta. At Simo, cui tota illa narratio molestissima est, quoniam, si vera sit, actum sit de filii et Chremetis filiae nuptiis, sic eum interpellat: „fabulam inceptat“. Ridiculum hic et facetum ex dolore fieri senem morosum docet nos Scholiasta. Sic enim narrare coeperat Crito:

Atticus quidam olim navi fracta ad Andrum eiectus est
Et istaec una parva virgo.

Atque illud exordium spectat Simonis interpellatio, sed praesertim unum eius vocabulum olim. Annotat enim Scholiasta: „ad irrisionem narrationis dicit. Etenim olim fabulae proprium.“

Adel. 930. Micio clemens ille et mitis senex iamiam nimiae lenitatis poenas dabit fratri severiori. Precibus enim atque blanda oratione ab illo permovebitur ut anum ducat decrepitam cum ipse annum agat sexagesimum sextum. Ille autem rem inexspectatam sic incipit commendare: „Aeschinus filius meus, quem tu adoptasti, uxorem ducet illam, quam olim habuit amicam. Probo istud consilium laudoque, et iubeo

Quam maxume unam facere nos hanc familiam,
Colere, adiuvare, adiungere.“

Hic ei opem fert Aeschinus ipse et „ita quaeso pater“ ait. Respondet Micio: „Haud aliter censeo.“ Tum sic frater pergit:

Immo hercle ita nobis decet:
Primum huius uxorist mater.

Et Micio, quid sibi istud velit admiratus: „est, quid postea?“

rogat. Addit frater pauca haec: „proba et modesta," et Micionem aspicit responsum eius exspectans. At ille nil aliud nisi: „ita aiunt." Quo hoc vultu dicat Micio docet Scholiasta annotando: „ita aiunt: Hoc ita respondet, quasi dicat: sed quid mea?"

Phorm. 86. Quid factum sit absentibus senibus, altero domino, altero huius fratre, narrat Geta servus, cui illorum filii adolescentes fuerant commissi:

Noster mali nil quicquam primo: hic Phaedria
Continuo quandam nactus est puellulam
Citharistriam: hanc amare coepit perdite.
Ea serviebat lenoni impurissimo:
Neque quod daretur quicquam: id curarant patres.
Restabat aliud nil nisi oculos pascere.
Sectari, in ludum ducere et reducere.
Nos otiosi operam dabamus Phaedriae.

Arida haec et exilis videri posset narratio, ornamentorum expers, nisi nos Scholiasta doceret Getam iocari verbis sectari... reducere, vel potius cavillari; recte enim et ex artis praeceptis hoc verbum positum est in lepidissima eius annotatione: „Bene cavillatus est et iculariter in adolescentem, cui aetas ad sectandos philosophos apta erat."

Phorm. 273. Antipho, ut securus cum sua amica vivere posset, cum Phormione ita collusit: ab illo in ius tractus tamquam si amica illa ἐπίκληρος esset atque ipse eius cognatus, quem leges eam ducere uxorem iuberent, tacendo se condemnari passus est. Pater reversus atque quid evenerit edoctus graviter succenset maximeque filio, quem probe intelligit ultro in illam Phormionis plagam incucurrisse. Dumque filius patrem metuens latitat, causam eius agit frater patruelis Phaedria his verbis (270—275):

Si est, patrue, culpam ut Antipho in se admiserit
Ex qua re minus rei foret aut famae temperans,

Non causam dico quin quod meritus sit ferat.
Sed siquis forte malitia fretus sua
Insidias nostrae fecit adolescentiae
Ac vicit, nostran culpa east an iudicum?

Lepidissima, hercle, defensio atque ἠθικωτάτη; at bona pars venustatis in uno inest eoque brevi vocabulo, ubi lateret, nisi in lucem protraxisset Scholiasta prudentissima ad vs. 273 annotatione: „Forte, quasi non defensurus, sed simul causam cogniturus advenerit; nec contendit verum esse, quod dicit, ne sollicitum faciat ad credendum." Nunc demum intelligis quam callide se illius astutiae conscium fuisse Phaedria dissimulet; loquitur tamquam de re ne ipsi quidem credibili; ipse nunc demum aliquid de ea inaudivisse videtur. Si sic dixisset: „ita facta res est; circumventus est filius tuus impudentis impostoris mendacio", interpellasset eum patruus: „mentiris atque isto mendacio temet ipse indicas: te enim sciente et adiuvante insidias illas structas esse iam apparet." Nunc vero huiuscemodi est eius oratio: „finge tamen verum esse, quod filius tuus ait, quamvis videatur absurdum" e. q. s.

Phorm. 605. Geta secum deliberatione habita ab Antiphonis patre, quem iam ex itinere reversum scit, pecuniam abradere decernit, qua Phaedriae opus est; dumque illum solum mox adfuturum exspectat, appropinquantem eum cum altero sene conspicit: Phaedriae pater est, nam et ille opinione celerius peregre rediit. Et primo subito eius adventu Geta terretur, sed mox intelligit nunc demum duplicem sibi ostendi spem et „petam" (ait)

hinc unde a primo institui: is si dat, sat est:
Si ab eo nil fiet, tum hunc adoriar hospitem.

Quid sibi hic nomen hospes Phaedriae patri datum velit non apparet primo aspectu; sed lepide illo Getam iocari egregie Scholiasta docet annotando: „Astute hospitem de eo qui

supervenit: nomen aptum imprudenti rerum atque alieno ab earum scientia."

III. Admonere lectorem nunquam negligit certum esse certorum apud Terentium verborum breviumque formularum colorem. Praecipuam huius doctrinae partem breviter hic proponam et quantum opus est illustrabo. Quoniam autem aliis locis aliis de eadem re utitur verbis, semper illam annotationem αὐτολεξεί citabo ubi mihi disertissimus fuisse Scholiasta videtur.

Putabam is dicit qui semet incusat quod turpiter se decipi passus sit.

> Haec ego putabam esse omnia humani ingeni
> Mansuetique animi officia.

ita cum gemitu de sua narrat stultitia Simo (Andr. 113 sq.) annotatque Scholiasta: „Putare est eius qui simplicitate pectoris oberravit."

Atat exclamat is qui intelligere incipit infortunium aliquod aut praesto adesse aut appropinquare. „A cena apud militem, quo ut abiret vix est perductus, suspicax ille adolescens Chremes rediens haec secum balbutit (Eun. 727):

> Atat data hercle verba mihi sunt, vicit vinum quod bibi.

Ut oculis eum aspiciamus auribusque audiamus haec Scholiastae facit annotatio: „Atat interiectio est paulatim percepti atque intellecti mali." [1])

Hodie raro tempus indicat: plerumque τῆς ἐμφάσεως ἕνεκα additur cum aliquis aut minatur, aut fore aliquid factumve esse pro certo affirmat pertinaciterve negat. Ad. 215 male ab adolescentulo Aeschino mulcatus leno ab illius servo ultro accusatur quod nimis fuerit obstinatus. „Morem te gerere adolescenti oportuit" ait. Hic leno:

> Qui potui melius, qui hodie usque os praebui?

---

[1]) Belgice egregie illud atat verti potest interiectione: „drommels."

Qua voce dicta haec sint nemo melius docere potest quam Scholiasta, cuius haec verba sunt: „*Hodie* non tempus significat sed iracundam eloquentiam ac stomachum."

Gerundivum suum sibi ἦθος habet: ea figura plerumque ab illo adhibetur qui stomachans de gravi quadam necessitate loquitur quam vitare se non posse saepe sit expertus. „Mos gerendust Thaidi" in Eunucho cum gemitu Phaedria dicit; similisque Pamphili in Andria auditur gemitus cum patrem sibi modo dixisse narrat (vs. 254):

Uxor tibi ducendast, Pamphile, hodie.

Annotat Scholiasta: „Mire *ducenda*: semper hoc genus declinationis necessitatem ostendit." Et iure suum *mire* hic ponit: non enim poterat inveniri aliquid quod spectatorum risui movendo aptius esset quam illa inevitabilis mali significatio.

Nostin? quid sibi velit annotatio ad Andr. 441 docet. Simo paratum iam esse filium ad ducendam virginem a patre sibi destinatam affirmanti servo credere incipit; restat tamen scrupulus aliquis, ergo rogat vs. 438 sq.:

Num illi molestae quidpiam hae sunt nuptiae
Huiusce propter consuetudinem hospitae?

Respondet Davus:

Nil hercle: aut, si adeo, biduist aut tridui
Haec sollicitudo: nosti? deinde desinet.

Annotat Scholiasta: „In significationem multorum, quae compendio facimus *nostin* dicimus."

Longe alius videtur eiusdem vocabuli color Eun. 405, ubi miles eo utitur et Scholiasta annotat: „Grate expressit stulti infantiam militis, qui ante vult intelligi, quod sentit, quam ipse dicat." At neque Davus neque miles quid dicat habet, volunt tamen videri multa dicere posse sed, ne longi sint, omittere pleraque.

Verba *quid istic?* significant aliquem qui irato obstinatove

fuerit animo iam iam placari se pati vel ad morem gerendum adduci; neque minus recte ab eo adhibentur qui petere iam desinit, sive quod non impetraturum se videt, sive quo melius impetrare possit. Sic Thais postquam vidit quantas Phaedriae iras moverit petendo ut per breve tempus militem sibi praeponi patiatur, placare eum conatur verbis (Eun. 171 sqq.):

Quid istic Phaedria?
Quamquam illam cupio abducere atque hac re arbitror
Id fieri posse maxime, verum tamen
Potius quam te inimicum habeam, faciam ut iusseris.

Agellum ut donet Hegioni pauperi a Micione frater filiusque petunt; ille vero aspernatur graviterque istam liberalitatem commendantibus irascitur. Sed mox filii precibus resistere non potest, ergo (Ad. 956) „Quid istic" ait

„dabitur quandoquidem hic volt."

Egregie autem dicti vim illustrat Scholiasta annotatione (ad Eun. 171): „Hoc adverbium [1]) consentire incipientis est."

Sicine agis lenis est reprehensio eius, qui irascentem cum placare possit debeatque ultro instiget. Sic certe plerumque illud „adverbium" adhibetur, sed locis, ubi eo sensu positum est, nihil a Scholiasta annotatum invenimus, iniuriaque temporis ibi eius observationes periisse censeo. Nam qua voce illa vocabula sint pronuntianda quin recte intellexerit minime dubium. Habemus enim eius annotationem ad locum, ubi diversus quidem eorum sensus est, sed color idem. Taedet Micionem ultra fratrem severum audire obiurgantem, tandemque (Adel. vs. 128) exclamat: „Ah, si pergis abiero." Tum Demea „Sicine agis?" Annotat Scholiasta: „Recte, quia iam abibat, quasi revocantis correptio est." Et vide nunc quanta paucis hisce Demeae verbis insit venustas. Quid enim magis ridi-

---

[1]) Apud Scholiastam adverbium significat loquendi formulam, et inde derivatam vocem adverbialiter quo sensu adhibeat nunc sponte apparet.

culum, simulque vitae accommodatum magis, quam eum qui diu in alterum contumeliis sit invectus, tandem his verbis eundem alloqui: „nuncine irasceris?" [1])

Hem nemo exclamat, nisi qui animo vehementer commotus perturbatusque est, atque inopinata re plane perculsus. Ergo vel metus vel ira vel indignatio ista interiectione significari potest, dummodo vehementes illi sint affectus et subito nati. Quid quod gaudio quoque exprimendo apta est, sed magno et cuius causa sit inexpectata. Tria dabo exempla. In scenam prodit Ctesipho; summis laudibus fratrem, a quo ingens acceperit beneficium, in coelum effert. Ubi vero a Syro servo audivit prope adesse illum domique se expectare, continere se non potest quin „hem" exclamet (Ad. 260).

Andr. vs. 351. Cognovit Pamphilus a patre sibi uxorem destinatam quam ipse minime velit. Ad Davum ergo servum sollicitus animo confugit obsecratque hominem ut se metu illo liberet. At ille: „Hem, libero" exclamat. Etenim aliquantisper secum deliberavit, mox ei res a se conspecta in mentem venit, quam commode intelligit argumento esse falso dominum terreri metu. Itaque hem exclamat, namque felicis inventi sui gaudio exsultat.

Andr. 969. Quanta sibi felicitas obtigerit Pamphilus Davo narrat. „Mea" ait „Glycerium suos parentes repperit" et gratulatur ei servus solita formula: „factum bene." At eorum sermonem audivit Charinus: Glycerium fore iustam uxorem Pamphili intelligit, neque ergo, remoto aemulo, quidquam obstare quominus ipse Philumenam, cuius ardeat amore, ducat. Subita autem laetitia perfundi adolescentem ex una voce hem, qua ille utitur, cognoscimus.

Non poterat autem illius interiectionis vis atque emphasis

---

[1]) Si illud sicine agis Belgice verteris: „dat is nu niet mooi van je", Latini dicti colorem accurate reddideris.

rectius significari quam his verbis, quae ad Andr. 183 adscripsit Scholiasta. Quid consilii ceperit senex et quomodo illi obviam iri possit secum deliberat Davus; at subito nomine se ab eo vocari audit. Et „hem, quid est'' ait. Annotat autem Scholiasta: „Hem nunc quasi correptio totius corporis.''

Ecce is praesertim exclamat, qui malis atque incommodis iam assuetus de nova calamitate accipit nuntium. Adel. 722. Nequam esse adolescentem fratris illum filium, quem adoptaverit, persuasum habet Micio: quid enim ille non designavit, quantas dedit turbas. Ergo fratre ita narrare incipiente:

Fero alia flagitia a te ingentia
Boni illius adolescentis,

aptius nihil interponere potest quam illud „ecce autem nova.'' Annotat Scholiasta: „Ecce autem: Ecce dicitur cum repente triste aliquid rebus intervenit laetis, aut certe quando, cum aliud agitur, aliud emergit novum.'' Atque altera quidem annotationis parte: „aut certe — novum'' colorem, quem apud Terentium illa vox habere solet, describit. Terentii enim personae, qui ea utuntur, vultu ac voce se novo nuntio perturbari dissimulant. Hoc enim eorum maxime est, qui saepe iam de eiusmodi malis facti sint certiores.

Singularem habet vocabulum eho venustatem in interrogatione positum. Eo enim utitur qui rem, de qua rogat, non audet suo nomine vocare; quem pudor verecundiaque aperte loqui vetant. Hec. 267. Lachetis filii uxor absente marito ad matrem discessit ibique latitat. Cur faciat hoc et socer eius et pater ignorant. Hic autem apud illum se defendit atque in se culpam nullam esse asseverat. „Illam'' ait

ad vos redire studeo,
Si facere possim ullo modo.

Tum socer rogat:

Quae res te id facere prohibet?
Eho, numquid nam accusat virum?

Pudet senem verecundum de re venerea loqui, sed caute interiectione *eho* ad illam alludit. Lepidissime autem Scholiasta annotat: „*eho* interiectio ponentis aurem propiorem. Nam illa quaerit, quae solent de maritis puellae matribus queri."

Responsi *recte* vis cognoscitur ex Hec. 355. Ab itinere reversus Pamphilus, qua causa ad parentes abierit uxor cognovit simulque intellexit sibi iam reditum eius sperandum non esse; dolet ergo vehementerque dolet, sed doloris causam reticere decernit. Itaque matre rogante, quid tristis sit, cum tamen salvus ipse salvam uxorem invenerit, „Recte mater" ait. Est ergo *recte* eius qui respondere nolit, sed qua voce illud dicatur Scholiasta nos docet annotando: „*Recte mater*: sic dicimus, cum sine iniuria interrogantis aliquid reticemus."

Differre aliquid inter se *fidum* et *fidelem* Scholiasta admonet ad Phorm. 76, et illud de amico dici, hoc de servo (addere poterat de *amatore* atque omnino de eo cuius fidem in leviore negotio cognitam habemus). Consimilis huic est observatio de *committendi* verbo, quam alibi Scholiasta posuit: tantummodo de maximi momenti rebus adhiberi illud ibi legimus.

IV. Sicubi apud Terentium aliquod vocabulum certum quendam colorem habet, qui ille sit quam accuratissime Scholiasta demonstrat. Pauca hic exempla sufficiunt. Hec. 629 Sostrata Lachetis uxor, quam maritus incusavit causam fuisse cur filii uxor ad parentes suos confugerit, ipsa domo abire decrevit, ne quidquam quominus nurus redeat obstet. Laudat consilium eius Laches, laetusque adit ~~Chremetem~~, nurus patrem, cuius affinitatem maximi facit. Quem simulatque conspicit ita alloquitur:

> Dic filiae rus concessuram hinc Sostratam
> Ne revereatur, minus iam quo redeat domum.

Rectissime hic Scholiasta annotat: „Blande non addidit *tuae*,

quasi dicat communi filiae. Et bene non socrum sed Sostratam."

Eiusdem generis est eius ad vs. 378 eiusdem fabulae annotatio. Pamphilo domum reverso narratum erat uxorem suam non solum ad parentes suos confugisse, sed etiam in morbum implicitam esse ita ut ad eam admitti nemo posset. Tamen introrupit atque qui ille morbus esset cum summo dolore cognovit. Planeque animo perturbatus secum deflet illatam sibi iniuriam. Verba, quibus in memoriam tristissimae rei modo sibi conspectae redit, haec sunt (vs. 373—378):

Postquam intro adveni, extemplo eius morbum cognovi miser:
Nam neque ut celari posset tempus spatium ullum dabat
Neque voce alia ac res monebat ipsa poterat conqueri.
Postquam aspexi „o facinus indignum" inquam et corripui ilico
Me inde lacrimans, incredibili re atque atroci percitus.
Mater consequitur.

Annotat Scholiasta: „Ostendit affectum misericordiae suae, mater potius dicendo quam Myrrinam."

Adel. 143. „Nolo cum fratre meo, viro severo" clemens ille Micio ait „disputare":

Nam itast homo:
Quom placo advorsor sedulo et deterreo:
Tamen vix humane patitur.

Annotat Scholiasta: „Homo dixit moraliter. Sic enim de iis dicimus, quos parce reprehendimus."

Vides quam egregie optimus ille commentator Terentianae vocis varios sonos animo persenserit.

Errare tamen humanum est neque quisquam mortalium vitii immunis. Quid quod ipsae virtutes sua sibi vitia secum ferunt. Id Scholiastae quoque nostro accidit, quemadmodum iam ostendam. Primum virtutem quandam eius in memoriam

lectori revocabo, deinde cuiusmodi ex ea vitium natum sit explicabo. Vidimus egregie illum Terentii vigilantiam laudare et prudentissime indicare locos ubi maxime ea eluceat. De Chryside meretrice eiusque sorore adoptiva Glycerio narrat Simo senex, sed ita ut simul eas quantum potest defendat sublevetque et turpitudinem earum minuat. Illa enim Glycerium iusta fiet Simonis filii uxor, quae res ne nimis videatur incredibilis spectatoribus in tempore est cavendum. Castam ergo etiam in Chrysidis aedibus mansisse Glycerium, et ipsam Chrysidem ceteris ex illo quaestu mulieribus praestitisse, quantum potest demonstrari debet. Haec omnia prudentissime observavit Scholiasta, sed interdum in Terentii oeconomia praedicanda modum excedit. Saepius enim vocabula, quibus aliquis utitur, ita interpretatur ut in iis ὑπόνοιαν quandam quaerat de qua Terentius ne cogitarit quidem. Ita, ut uno exemplo defungar, non facile adducar ut credam verum esse quod ad Eun. vs. 592 sq. annotat. Chaerea ibi amico narrat quid apud Thaidem factum sit, ad quam pro Eunucho fuerit adductus. Custodiae ibi eius concredita fuit puella, quam deperibat. „Dumque etiam" ait, de fortuna mihi oblata cogito:

arcessitur lavatum interea virgo:

Iit, lavit, rediit: deinde eam in lectum illae collocarunt.

His quoque vocabulis spectatorum animos ad futuras Chaereae atque illius puellae nuptias praeparari censet Scholiasta. Annotat enim: „Servavit ordinem nuptiarum et proprio verbo, quasi de nuptura dixit: a r c e s s i t u r, ut alibi: Q u a m m o x v i r g i n e m a r c e s s a n t? Nunc [1]) ipse illam est habiturus uxorem." Et: „D e i n d e e a m i n l e c t o c o l l o c a r u n t: vide an aliquid deest ita legitimis nuptiis. Nam et ipsum verbum c o l l o c a r u n t proprium est et adscribitur pronubis." „Theologicas" eiusmodi explicationes appellare solebat praestantis-

---

1) L. Nam.

simus ille senex Müller-Strübing, quem duos abhinc annos tristi fato vegetum etiam alacremque ereptum nobis lugemus amici.

Satis iam, ut opinor, ex iis quae hucusque dicta sunt, apparet quid sibi Scholiasta noster commentario suo scribendo proposuerit. Terentius ut melius intelligeretur, ut quae fuisset eius indoles melius sentiretur, hoc studuit, hoc spectavit. Omnium qui commentarios ad scriptores poëtasve in lucem edunt eiusmodi esse consilium dixeris. At plerique horum pueros sibi lectores fingunt in ludo literario grammaticae praecepta discentes; noster vero adultorum gratia scribit, ita Terentium legere cupientium tamquam si fabulas eius in cavea spectarent; artifices scenicos quomodo fabulae eius singulaeve earum partes sint agendae, ceteros omnes quomodo pronuntiandae sint docet. Itaque si quid ei innotuit de lepido aliquo invento, quod olim ad aliquam scenam exornandam feliciter fuerit adhibitum, illud commemorare non negligit.

Phorm. 315 et 321. Antipho absente patre amicam suam duxit uxorem. Hoc ut fieri posset adiutore usus est callidissimo mortalium Phormione. Hic enim tamquam amicae illius patronus diem Antiphoni dixit, legibus quae essent περὶ ἐπικλήρου hanc ei destinari uxorem mentiens; ipse autem Antipho ut condemnaretur silendo omnique omittenda defensione perfecit. At reverso patre, timore perculsus latitat, uxor tam callide quaesita ne sibi eripiatur metuit sed quomodo eam retineat nescit. Igitur iterum adiutore Phormione opus est: ad illum Geta servus mittitur, cui obvius factus Phormio quid acciderit quidque metuatur cognoscit; mox se periculi remedium invenisse significat. Actus hoc est initium, quo et Getae perturbatio et Phormionis secura audacia egregie depingitur. Sed verum ei colorem praebuit Ambivius Turpio, de quo haec tradit Scholiasta:

„Adhuc narratur fabula de Terentio et Ambivio ebrio; qui acturus hanc fabulam, oscitans temulenter, atque aurem minimo

inscalpens digitulo, hos Terentio pronuntiavit versus: quibus auditis exclamaverit poëta, se talem cum scriberet cogitasse parasitum, et ex indignatione, quod eum saturum potumque deprehenderat, delinitus statim sit."

Et ad vs. 321:

Cedo senem: iam instructa sunt mi in corde consilia omnia, quo Phormio declarat repperisse se dolum, quo senem decipiat, idem annotat:

„Hic alii excussisse torporem somni inducunt parasitum; alii transglutisse quod in ore mandebat, quasi hoc morae fuerit ad vincendum senem."

Cui non hic vernaculae cuiusdam fabulae in mentem venit? Vir quidam gravis, tenax antiquitatis, in republica optimatium favens partibus, rusticum satis lepidum ad suam pertrahere conatur sententiam. „Vides" ait „quae sit hodierna levitas atque adeo impietas. Iam in ludo literario illa conspicitur; liberi tui insana ista, quam nunc multi admirantur, doctrina a vero Dei cultu abducuntur, parentes suos contemnere et ridere discunt, religionem negligunt." Dum haec magnifice declamat ille, rusticus offam panis lente manducans identidem capite abnuit; stomachatur sapiens orator, negari videns quae tanta orationis gravitate declamet, idque ab eo de quo minime eiusmodi aliquid exspectaverit; vocem intendit, tandem: „quidni vera tibi videntur, quae dico?" clamat. Hic rusticus, qui tandem aliquando panem suum transglutiit, dum sinum purgat micis quae inciderunt: „quia non habeo liberos" respondet. Sic certe hanc partem ab optimo artifice agi vidimus. Quis vero de hoc artificio tacere possit, qui illam fabulam posterorum causa annotationibus revera utilibus instructam in lucem edere velit? Nam revera utiles ad aliquam fabulam annotationes illae demum sunt quae ad rem scenicam pertinent, et illam Scholiasta noster semper habuit ante oculos. Huc omnes eius annotationes sunt referendae. Etenim si, ut hoc exemplo utar,

aiunt de ea re usurpari dicit quae odiosa loquenti sit vel vera non esse videatur, si *gerundivo* aliquid quod inevitabile sit indicari, si *eho* arcani aliquid rogantis esse, non de arte grammatica observationes scribit pusilli animi ludimagistro dignas, sed hoc docet: cum certus sit Terentianae orationis color, certum sibi illa postulat actum certamque pronuntiationem: ibi autem vel maximi sunt momenti brevia quaedam vocabula: his recte pronuntiatis cetera sponte sequuntur. Ergo quemque locum a perfecto quodam artifice agi fingit: de gestu eius et voce tamdiu cogitat donec audire eum atque videre sibi videatur; audit autem atque videt praesertim cum brevia illa vocabula mentis contemplatur oculis.

Totus est in arte scenica. Aut uno vocabulo „pronuntiandum" adscribendo significat hunc locum artificis scenici sibi postulare operam: singularem enim quandam inesse venustatem, quae a legente observari nequeat, nisi saepe bonos spectaverit histriones [1]). Aut quomodo aliquis versus pronuntiandus sit docet, aut certum vocabulum ἦθος habere admonet: ibi autem sic loqui solet: „moraliter", sive: „magna inest moralitas."

Nunc demum quomodo legendus sit Scholiasta intelligimus. Si quid de aliquo vocabulo subtiliter eum observare videmus, non esse nobis rem cum moroso atque obscuro ludimagistro reputemus; ad aliquem egregium actorem, quem saepe admirati sumus, cui saepe plausimus, quique his maxime sit partibus idoneus aptusque, mentem convertamus, ille quomodo hoc sit vocabulum pronuntiaturus quaeramus; de qua re ubi semel certa nobis steterit sententia, simul vera monuisse Scholiastam agnoscemus.

Paucas ergo eius de pronuntiatione observationes, quae maxime memorabiles videantur, ex ingenti protrahamus copia.

Andr. 360. Davus simul Pamphilum herum suum et eius

---

[1]) Ergo hoc „pronuntiandum" Belgice sic vertatur: „daar zit actie in."

amicum Charinum metu solvit; demonstrat enim non fore hodie, id quod illi dixerat pater, nuptias illas adeo reformidatas; non esse ergo Charino desperandum de ducenda Philumena, quam ipse ardenter uxorem cupit, Pamphilo vero invitissimo obtrudit pater. Demonstrat autem narratione cuius hoc est initium (vs. 353—60):

Tuus pater modo hic me prendit: ait tibi uxorem dare
Hodie, ita alia multa, quae nunc non est narrandi locus.
Continuo ad te properans percurro ad forum, ut dicam [tibi haec.
Ubi te non invenio, ibi ascendo in quendam excelsum locum.
Circumspicio, nusquam: forte ibi huius video Byrriam;
Rogo: negat vidisse. mihi molestum. quid agam cogito.
Redeunti interea ex ipsa re mi incidit suspicio: „hem,
Paululum obsoni: ipsus tristis: de improviso nuptiae:
Non cohaerent."

Haec a Scholiasta annotata invenimus: „Rogo: mira brevitas et imitanda," et: „Ipsus tristis, de improviso nuptiae: mire et moraliter. Ex his enim quae facta non sunt, docet quod fecisse deberet. Et de improviso nuptiae. pronuntiandum." Nonne haec eius sunt qui spectari, non legi vult Terentium?

Andr. 741. Mysis, Glycerii ancilla, a Davo iussa, filium quem Pamphilo peperit illa, ante ostium Pamphili patris deposuit, ipsa remansit, Davus abiit; appropinquantem enim vidit Chremetem, qui omnibus modis ne filiam det Pamphilo est deterrendus. Accedit autem Chremes lentus, nil mali suspicans et secum loquens. Audiamus ipsum:

Revortor, postquam quae opus fuere ad nuptias
Gnatae paravi, ut iubeam arcessi. Sed quid hoc?
Puer herclest, mulier tu apposisti hunc?

Annotat Scholiasta: „Sed quid hoc? Non interrogantis sed mirantis et non intelligentis est. Et apparet eum non oculis prius, quam

corporis offensu puerum sensisse latentem." [1]) Agnoscisne eundem qui narratiunculam de Ambivio ebrio fideliter nobis servaverit?

Adel. 585. Syrus servus Demeam senem tristem atque severum ablegat, ne filium deprehendat genio indulgentem. Sed quia Demea inexspectatus advenit, subito aliquid fingere debet quo eum dimittat. Rogatus ergo ubi Micio frater sit, locum aliquem dicit ad inveniendum difficillimum; quo dum iter monstrat ipse in errorem inducitur: iubet enim senem per angiportum aliquod ambulare, quod ille pervium non esse scit. Mox tamen errorem corrigit, quo mendacium properanter fictum paene deprehen sum fuerat. Sic multis ambagibus eo pervenit ut in fabrica quadam Micionem esse dicat. Atque rogatus quid ibi faciat ille respondet:

Lectulos in sole ilignis pedibus faciundos dedit.

Annotat Scholiasta: „In urbe convivium aut in sole aut in umbra pro conditione temporis instruebatur. Repente igitur interrogatus, quod minime opinabatur quaesiturum senem, arripuit statim lectulos. Et quia potuit senex dicere: Mentiris, nam habet lectulos, addidit ex tempore in sole. Et ne eos quoque habere diceret, addidit ilignis pedibus faciendos. Sed hoc gestu actoris adiutum est, quasi eodem tempore servus et quaerat quid dicat et respondeat." Videmus nunc, ut opinor, veteratorem, quem ipsa inopia atque difficultas solito reddiderit callidiorem insolentioremque.

Ad. 795. Demea tandem aliquando cognovit quantopere ludibrio fuerit habitus et quam diu. Non enim illum solum filium, quem adoptandum dederit fratri, nimia illius levitate corruptum, sed eum quoque, quem ipse antiqua severitate educaverit, abreptum ad pravitatem, quin etiam illius causa a lenone per vim abductam puellam, propter quam olim illi exorti sint tumultus. Prorumpit ex aedibus fratris, ubi illum cum amica epulantem modo deprehendit; deos hominesque

[1]) Latentem an iacentem?

obtestans de sua miseria deque filii nequitia lamentatur. Conspicit eum frater et quid evenerit statim divinatur; iamque omne maledictorum genus ille in animo collegit, iam haec verba acerbitatis plena secum dixit:

Eccum adest
Communis corruptela nostrum liberum,

cum placaturus frater accedit iraque insanientem sic alloquitur:

Tandem reprime iracundiam atque ad te redi.

Hic ille:

Repressi redii: mitto maledicta omnia:
Rem ipsam putemus: dictum hoc inter nos fuit:
Ex te adeo est ortum, ne tu curares meum,
Neve ego tuum: responde.

Nihil horum intelligit qui vocabula tantummodo legit, sed sonum eorum non audit. Verum praesto nobis est Scholiasta praeclaris annotationibus:

„Repressi, redii: Non quid dicatur, sed quo gestu dicatur specta, et videbis neque repressisse adhuc iracundiam neque ad se rediisse Demeam, sed quam mira est atque perspicua moralitas, in huiusmodi rebus apparet." Et „Rem ipsam putemus. Videtur paulo citius destomachatus, quam res etiam incerta exposcebat. Sed et hoc morale. Nam iuste irati omissa saevitia ad ratiocinationes saepe festinant. Et praeterea illud accedit, quod non invenit quod iam condignē dicat, simul etiam quia increpitus est a fratre, quod apud se iam non sit per iracundiam vehementem."

Hec. 516. Phidippus remissurum se filiam Lacheti eiusque filio dixit, at hic effugia quaerit. Modo enim ex itinere reversus causam, cur abierit illa, eiusmodi fuisse cognovit ut iam non possit uxorem eam habere. Hinc ortum iurgium Phidippum inter ac Lachetem atque iratus uterque domum abiit. Hunc exitum habet actus III. Prodit nunc Myrrina Phidippi uxor anxia perturbataque et secum haec loquitur:

Perii, quid agam? quo me vortam? quid viro meo respondebo?
Misera? nam audivisse vocem pueri visust vagientis:
Ita corripuit derepente tacitus sese ad filiam:
Quod si rescierit peperisse eam, id qua causa clam me habuisse
Dicam non edepol scio.

Legitur ad hunc locum annotatio, e qua vel sola commentatoris natura atque consilium cognosci possint:

„Perii, quid agam: haec proloqui oportet Myrrinam, ut ex eius persona reminiscatur spectator gestae rei, simulque ex huius personae verbis, quid agat altera persona, monstretur. Nam perscrutari Phidippum universa conclavia et ire per totam domum cognito partu filiae suae apparet ex praesentibus dictis."

Phorm. 869. Geta servus ingentem felicitatem filio erili Antiphoni evenisse cognovit; puella enim illa peregrina, quam hic Phormionis astutiis usus absente patre uxorem duxit, inventa est non civis solum esse sed patrui Chremetis ipsa illa filia, quam olim et pater et patruus ei uxorem destinaverant. Properat ergo hanc rem domino nuntiare Geta, adeoque exsultat gaudio ut obviam eum venientem non conspiciat, sed praetereat, vixque clamore eius minisque retineri se patiatur. Tum et rem ipsam et quomodo eam cognoverit multis denarrat ambagibus. „Missus eram" ait „a patre tuo ad uxorem tuam; sed

Ubi in gynaeceum ire occipio, puer ad me accurrit Mida,
Pone apprendit pallio, resupinat; respicio, rogo
Quam ob rem retineat me: ait esse vetitum intro ad eram [accedere.
„Sophrona modo fratrem huc" inquit „senis introduxit [Chremem."
Eumque nunc esse intus cum illis: hoc ubi ego audivi, ad foris
Suspenso gradu placide ire perrexi, accessi, astiti,
Animam compressi, aurem admovi: ita animum coepi [attendere
Hoc modo sermonem captans."

Laudat hic eius vigilantiam prudentiamque Antipho duobus verbis: „Eu, Geta.“ Tum servus sic pergit:

Hic pulcherrimum
Facinus audivi: itaque paene hercle exclamavi gaudio.

Brevem hic Scholiastae habemus annotationem: „Pulcherrimum facinus audivi: huiusmodi locos poëtae actoribus indulgent, quod in his actoris est commendatio.“

Nonne legentes admonere videtur ut hanc partem ipsi agere conentur?

Ib. 358. Dum Demipho senex cum advocatis adstat quaerens quomodo nuptiae illae a Phormione conflatae rescindi possint, hic ipse cum Geta sermocinans incedit; clara autem voce loquitur ut a sene audiri possit, estque sermo eius tamquam mirantis et indignantis ob id quod modo a Geta cognoverit: negare senem cognatam sibi esse virginem, quam ducere a iudicibus Antipho filius eius est coactus, vel notum virginis patrem. Sunt autem verba eius lepidissime ficta et alia et haec:

Quia egens relicta est misera, ignoratur parens,
Negligitur ipsa: vide avaritia quid facit?

Adscripta hic est annotatio cognatissima narrationi illi de Ambivio ebrio: „vide avaritia quid facit: haec conversus ad circulum et coronam circumstantium dicit et conqueritur.“

Ph. 935. In tempore cognovit rem Phormio, qua Chremetem coërcere possit, si ille in repetenda pecunia, quam astutissima fraude ei abrasit, fuerit molestior: certior enim factus est illum, dum Athenis uxorem haberet, ex altera uxore Lesbi procreasse filiam. Minitando ergo se illud ad Atheniensem uxorem delaturum quidvis se ab eo impetraturum sperat. Vixque haec verba:

Quin tu mi argentum cedo

audivit cum respondet:

Immo vero uxorem tu cedo.

Haec quomodo in scena fuerint acta ignoraremus, nisi habe-

remus prudentissimam Scholiastae ad verba: quin tu mi argentum cedo annotationem: „Hoc ab utroque cum clamore dici accipiendum est."

„In ius ambula" ait Demipho, quem minae Phormionis adeo non terrent ut vix quid sibi velint intelligat. Itaque Phormio ut simul utrique metum incutiat:

Enim vero si porro odiosi esse pergitis..,

Iterum hic aliquid adscripsit Scholiasta eiusmodi ut gregis magistro similior videatur quam alicui de vulgo commentatorum:

„Vultu iuvandum est et pronuntiatione hoc quod tam minaciter suspenditur." Et

„Enimvero principium est aliquid per iracundiam dicturi." Sed de hac parte satis iam dixi.

Saepe queruntur homines quod Scholiasta Terentianus nondum ita ut oporteat in lucem sit editus. Non est tamen tam difficile editionem eius parare omnibus numeris absolutam. Si quis ceteris omnibus abiectis eas tantummodo colligeret annotationes, quae aliquo modo ad rem scenicam pertinerent, eas dico quibus Terentius ita explanatur ut personas eius loquentes audiamus gestusque earum aspiciamus, nihil iam amplius esset optandum. Atque facile est illas emendatas subiicere legentium oculis. Quamvis enim multa in iis sint corrupta, tamen sententia perlucet; illam nullo labore restituemus; ipsa vocabula non praestabimus; raro hoc facere possumus atque in illis tantummodo emendationibus, quae se nobis nil cogitantibus, nil quaerentibus subito offerunt; nihil hic facit industria atque improbus labor. Ut ergo revera bonam, id est utilem, habeamus Scholiastae editionem non exspectandum est donec omnes eius codices cum pulvisculo sint excussi atque longa illorum depicta stemmata, e quibus quomodo a communi stirpe orti sint appareat: magnum ex hoc negotio capiet emolumentum, qui

codicum naturam cognoscere velit, dummodo persuasum sibi habeat nullum unquam locum hac ratione esse emendatum, nullum posthac sublatum iri vitium.

„Scholiastam" autem semper virum illum egregium dixi: pervulgato Donati nomine uti ausus non sum: iam enim animo praevidebam viros doctos qui agmine facto in me irruerent quod non Euanthium dixissem. Sciebam gravissimas multorum iras moveri, si quis Euanthii illius, quem magistrum suum dicit Rufinus (de metr. com.), rationem non haberet. Huic ergo Scholiorum Terentianorum alteram hic, ille alteram vindicat partem, hique, quod fieri solet in rebus nullius momenti et quae certo sciri poterunt nunquam, internecivum inter se gerunt bellum. Hoc unum constat commentarium illum ad Terentium, qui Donati vulgo dicitur, ab uno homine scribi non potuisse: farraginem esse non librum. Primus indigestam illam molem admirabili industria neque minore doctrina his annis perlustravit vir peritissimus prudentissimusque R. Sabbadini: ingentem numerum codicum, quibus continetur illa, inter se contulit, illorum historiam conscripsit, denique de totius farraginis origine atque auctoribus instituit quaestionem. Sic tandem aliquando hanc sibi informavit sententiam vir praestantissimus, quam singulari defendit acumine:

Commentarii auctor paterque unus est Donatus; Euanthium missum facere possumus. Sed accessit Donato vir, qui eius annotationes in brevius contraxit spatium, quo factum est ut saepe ad aliquem versum bis idem annotatum inveniamus, verbis leviter immutatis. Deinde commentarium auxerunt vario ac desultorio labore multi alii Scholiastae. Quorum unus eas scripsit annotationes, quibus Donatus refutatur (initium illae habent a vocibus s e d e g o: ipse Donatus de se semper plurali utitur numero). Alter corrigendi causa addidit quaedam, amplificandi causa alter, alter denique locis ex variis poëtis scriptoribusque a Donato citatis unum pluresve adiecit (hunc

autem hominem agnoscimus vocabulo et, quod loco citato est praemissum). Sed praestat ipsum virum doctissimum audire:

„A base delle ricerche io vorrei dunque il postulato di un solo commento originario. Questo commento scritto su un testo continuo fu variamente ingrossato da note marginali, ora polemiche (serie ego), ora illustrative (serie et) e simili. Dall' altro canto uno studioso transportò per proprio uso, compendiandoli, gli scolii di Donato sui margini di un codice terenziano: questi soni i doppioni. Venne da ultimo un compilatore, il quale da un testo continuo donatiano cosi ingrossato e dai margini di un codice terenziano coperti di doppioni donatiani raffazzonò la collezione che arrivò fina a noi; naturalmente i doppioni marginali del codice terenziano dovevano avere un contrassegno (p. e. D. = Donatus), dal quale egli fosse autorizzato ad accoglierli sotto il titolo di Donato."

Gratia viro praestantissimo, qui tandem aliquando et diserte pronuntiavit et egregie demonstravit quod quivis commentarii lector verum esse sentiat. Etenim haud dubie haec omnia evenerunt quae Sabbadini enumerat: auctae sunt annotationes, amplificatae, illustratae, excerptae, denique in unum locum coniectae omnes. Quaeritur nunc verumne hoc quoque sit, quod statuit, ab initio unum fuisse nucleum, e quo totus creverit commentarius, postquam accesserint alia multa, quae tamen ex eodem nucleo traxerint originem. Hoc autem, ut ingenue fatear, mihi plane videtur incredibile. Censeo enim atque persuasissimum habeo aut duos pluresve fuisse commentarii nucleos, aut — atque in hanc magis inclino sententiam — veteri commentario, qui in se fuerit teres atque rotundus, adiectas esse annotationes diversissimi generis, sive ut paucis verbis idem significem: commentarium, quem nunc habemus, e variis constare elementis. Habemus enim praeter observationes illas quantivis pretii, scriptas ab eo qui Terentium non legi solum sed et, quantum eius fieri posset, spectari vellet:

I. Annotationes rhetorici generis, quibus admonemur ad quodnam artis oratoriae caput versus aliquis vel aliquod verborum certamen sit referendum. Audire cogimur quaenam hic q u a l i t a s (sive s t a t u s) cognoscatur: sitne c o m p a r a t i v a, an n e g o t i a l i s, an r e m o t i v a; illic disputari a s u m m o a d i m u m, πλοκήν dici hoc demonstrandi genus, aliaque eiusdemmodi, quibus ad Terentium melius intelligendum nemo quidquam adiuvatur. Taedet exempla afferre. Satis illis observationibus enecatur qui commentarium legit.

II. Nugas de grammatica multo etiam ineptiores quam illae sunt de rhetorica annotationes. Earum autem maxima pars ad syntaxin pertinet: identidem nobis obgannit stridula magistelli vox: haec est syllepsis, hoc παρέλκον, hoc ἀνακόλουθον primum, secundum, tertium, quartum. Rariores sunt de etymologia observationes, illarum vero quaedam hominis insanabilis esse videntur. Saepe hic Varro nominatur neque incredibile est multo maiorem partem ex illo esse excerptam. Brevi conspectu dabo omnes: cognitae enim esse debent ei, qui de quaestione, quam nunc tractamus, iudicare velit:

Andr. Prol.	15	v i t u p e r a n t est: „vitium rei parant."
„	I, 1, 4	a r s: a Graeco ἀρετή.
„	I, 1, 58	contradicitur iis qui s o d e s esse dicunt σῶος ζῇς.
„	I, 4, 2	*temetum: quia tenet mentem.* (Eun. IV, 3, 13 quia tentat i. e. labefactat mentem).
„	I, 5, 64	o b s t e t r i x: quae opem tulerit (etiam III, 1, 15).
„	III, 2, 3	f a c i s t a e c u t l a v e t: istaec, quae e puerperio sordebant.
„	III, 2, 7	s u p e r s t i t i o s i: quia senes (quorum id vitium) multis superstites sunt.
„	III, 4, 18	i r r i t a r e: a canibus, qui restrictis dentibus literam R imitantur.
„	IV, 3, 11	v e r b e n a e: quasi herbenae.

Andr.	IV, 4, 39	sobrius = sebrius i. e. separatus ab ebrio.
Eun.	I, 1, 15	induciae ab „in dies."
„	I, 2, 97	sincerus = sine cera.
„	II, 1, 25	decrepiti: quorum, crepitu et plangore familiae, iam fuerant conclamata funera.
	II, 2, 4	*obligurrire: a λιγυρός quod est suavis.*
	II, 2, 25	*cupedinarii* et *macellum: nomen his dederunt Numerius Equitius Cupes et Romanius Macellus* (Varro).
	II, 2, 29	*famelicus pro famedicus a fame et edendo.*
	II, 2, 38	nebulonem: furem quia nebulas obiiciat vel vanum ut nebula est.
	II, 3, 12	*alacris = ἄδακρυς.*
	II, 3, 20	*ubi tu nervos intendas: obscene dictum.*
	II, 3, 90	*flagitium et flagitatio a syllaba fla qua ille crepitus significatur unde et flamma et flagella.*
	III, 1, 34	*scortum: vel ab ἀσπαίρειν, vel propter abdomen in corpore feminarum patiens iniuriae coitus, quod scortum dicitur quia tunc aperiuntur dura coria dicta scorta.*
	III, 2, 24	sollers = ὅλος ἀρετῇ (solus in arte).
	III, 3, 9	dolus: a dolando i. e. minuendo.
	IV, 3, 6	veneficus Chaerea dicitur quia ex virginibus mulieres facit.
	V, 8, 49	fatuus: inepta loquens a fando.
Adel.	I, 1, 17	clemens: qui colit mentem (etiam ad V, 4, 10).
	II, 1, 28	lora: pro laura a lauro triumphorum.
	II, 1, 53	mussitare: a litera *m.*
	III, 3, 5	*ganeus: quia est ὑπὸ γᾶς.*
	III, 3, 43	*nares: a naritate.*
	III, 3, 47	*ager: ab agendo.*
	III, 3, 69	*quod queo: alluditur ad vocem coquus.*

IV, 2, 52 silicernium: a cernendo silentes.

V, 3, 4 maria Neptuni ab irato Demea invocantur, vel quod diis quoque irascitur qui in iis commoratur, vel quia deos non esse putat haec omnia Neptunia dicit, ut est apud Virgilium:

Omnia vel medium fiant mare.

V, 8, 29 verbum: a veritate.

Hec. I, 1, 8 Mulciber: a mutilando.

I, 2, 2 percontari: a conto.

II, 1, 41 oppido: a dicto rusticorum: „vel toti oppido messis mea sufficit."

III, 4, 27 *caro: a cadendi verbo vel a carendi* (*anima*).

III, 5, 9 consobrinus = sororinus.

III, 5, 53 protervus et a substantivo tauro et a verbo proterendi.

IV, 1, 41 virum firmum: firmum in officio coitus.

IV, 4, 19 praegnans: ante gnatum vel ante genetricem.

V, 1, 3 impetrare ideo de rebus difficilibus dicitur quia proprie ad coitum pertinet; ad illum autem perveniri non potest nisi nuptiis contrahendis, quae res multum habet molestiae propter leges formulasque quae sunt observandae (!!).

Phorm. II, 1, 57 columen: columna unde et columellae servi maiores domi.

IV, 4, 28 sq. hariolus: a fando.

haruspex: ab hara.

V, 1, 19 effutire: a vase futili.

V, 8, 95 pugnos in ventrem ingere: ventrem pro ipso parasito.

Adnumerandae his praeterea etymologiae nominum, servorum praesertim.

III. Philosophica quaedam, neque multa neque inepta, *ἀλλ' οὐδὲν πρὸς τὸν Ὅμηρον.* Haud inutile videtur quae sunt huius generis afferre.

Andr. I, 1, 3. „*Ut curentur recte haec:* Diligenter coquantur: curatio proprie medicorum est, cura reliquorum, sed coquina medicinae famulatrix est." Sic editur, cum tamen in quibusdam codicibus sit *adulatrix*, quod utique probandum. *Famulatrix* enim nihili est vocabulum, et totius annotationis hoc est consilium ut appareat eum qui scripsit Platonis Gorgiam legisse, ubi *αἱ τέτταρες τέχναι ταῖς τέτταρσι θωπείαις* opponuntur.

Ad versum sequentem annotatum invenimus in quatuor partes virtutem dividi, prudentiam, iustitiam, fortitudinem, temperantiam. Haec quoque sumpta e Platone.

Andr. IV, 3, 1. Ad verba: „Nilne esse proprium cuiquam" haec annotantur: „omne quod habemus aut *mutuum* est aut *proprium.* Ergo *proprium* perpetuum, ut Virgilius:

Propria haec si dona fuissent.

Ergo nihil nobis proprium esse potest: quod enim non fuit, nec esse quidem potest, aut quod eripi potest, non est nostrum: nisi illa, quae eripi non possunt, ut sapientia, prudentia, quae fortuna neque dare neque eripere cuiquam potest."

Ad Andr. IV, 3, 5:

Facile hic plus mali est quam illic boni

haec videmus adscripta:

„*Quam illic boni:* in summo bono: dixit enim ex bonis, quae bona aestimamus, plus nos mali capere, cum aut amissuros nos credimus aut amittimus, quam boni cum habemus."

Ad V, 5, 3:

Ego vitam deorum propterea sempiternam esse arbitror

annotatur: „Non dixit quod scit, sed quod verum putet. Et est δόγμα Ἐπικούρειον, quod a ceteris philosophis repudiatur de otio deorum ac perenni voluptate."

Adel. I, 1, 44: „Qui suum officium facit" sic vertitur: „ὁ τὸ καθῆκον ποιῶν."

Ad Adel. III, 3, 32 refertur narratio de Thalete et ancilla Thressa, quae est in Platonis Theaeteto.

Phorm. I, 2, 6: Ad verba Nescis quo in metu annotatur: „Duae perturbationum bigae, a malo una, ex cupitis altera. Ergo a mali bigis praesentis temporis periculum esse dicimus et futuri metum." Sumptae hae bigae e Platonis Phaedro. Philosophica ergo, quae in scholiis leguntur, omnia sunt eiusdem generis et tantum non omnia ex eodem fonte hausta.

Eun. I 30 de Academicis

Haeccine ergo tam diversa ab uno Donato profecta credamus? Equidem nego; sed quoniam cum viris doctis digladiari nolo, pertinaciter affirmantibus concedere sum paratus, dummodo mihi concedant illi, si tam variae illae annotationes ad unum auctorem sint referendae, illum de Terentio scripsisse: unum librum praestantissimum utilissimumque, unum, qui a proposito plane sit alienus, postremo tres quatuorve plenos nugarum ineptiarumque. Denique hoc moneo, cum observationes „scenicae" (hoc enim vocabulo brevitatis hic causa utor) aequabiliter per totum sparsae sint commentarium, iis quae ex alio genere sunt saepe multas deinceps paginas carere, deinde subito rhetoricas grammaticasve observationes ὅλῳ τῷ θυλάκῳ effundi. Quod in etymologiarum enumeratione hic illic signo } significavi. Simul illic quae essent absurdissimae inclinatis literis describendas curavi. Atque etymologiis addidi insanas quasdam explicationes quae eandem spirare indolem viderentur.

CAPUT TERTIUM.

Vir doctissimus Gu. Weinberger in dissertatione, quae legitur: Wiener Studien 1892 p. 120 sqq., de iis praesertim scholiis Terentianis agit, quae ad actorum gestum pertinent, conqueriturque quod non satis ratio habeatur Lessingii, praeclari illius de re scenica iudicis, qui summis illa scholia extulerit laudibus, ipse tamen nimis „Donatum" laudare cavet. De qua Weinbergeri dissertatione postquam dixit quaedam doctissimus ille R. Sabbadini, quem toties iam honoris causa nominavi, haec addit: „Utut est, deerit eiusmodi disquisitionibus solidum fundamentum quamdiu carebimus scholiorum editione critica." Et multos iam viros doctos eiusmodi aliquid audivi contendentes, sed quo plures audio eo miror magis. Quid enim? Non poterimus de scholiorum argumento cum aliquo fructu instituere quaestionem, exponere nobis non licebit quaenam fere res in iis tractentur, probabilem de eorum origine atque auctoribus proferre sententiam, denique singulis eorum partibus suum statuere pretium, quia nemodum in commentario edendo codicibus ex artis criticae praeceptis usus est? Male ergo nobiscum agitur: perquam enim verisimile est nostra aetate eiusmodi editionem in lucem non prodituram. Nam qui olim illum laborem aggressi sunt, diem supremum obierunt omnes; illos qui secutus est a proposito destitit; denique qui unice negotio par erat atque idoneus, quoniam plures quam ceteri omnes codices manu versavit, artemque palaeographicam praeclare callet, ipsum Sabbadinium dico, de edendo commentario

se ne cogitare quidem tam firmiter declarat ut nihil iam de eo sperandum videatur. Verum non ita res se habet. Sint enim corrupta scholia, sint lacera mutilaque, vix tamen ullum eorum adeo depravatum est quin tamen sententia eius sit satis perspicua, scriptorisque ex eo eluceat consilium. Mihi certe sedulo labore iterum iterumque illa pervolventi nunquam dubium fuit utrum scenicam legerem annotationem an rhetoricam, grammaticam, philosophicam: scenicarum autem observationum — his enim praesertim operam dedi — fere nullam vidi eiusmodi vitio laborantem ut quid sibi vellet iam non intelligerem. Quid quod scholiorum nunquam praeclarus ille exsistet editor, qui ipsam nobis auctoris manum exhibeat. Finge enim — quamvis incredibile sit — tandem aliquando eo perventum ut ex diligentissima codicum comparatione ipse archetypus sit restitutus, finge ex illo omnia exempta vitia, quae scribentis imperitia commiserit, idque certissima quadam et geometrica ratione: pristinum habebimus commentarium, ipsum Donatum — sic enim brevitatis causa mihi nominare optimorum scholiorum auctorem liceat — non habebimus. An credis illum virum vere doctum, elegantem, artis scenicae et literarum Latinarum Graecarumque peritissimum, tam balbo ore locutum, tam agresti usum sermone, ut quando indicativus, quando coniunctivus ponendus esset neque sciret neque curaret? Et est hoc scholiorum vitium multorum instar. Confidenter ergo de scholiorum variis argumentis locutus sum et loquar posthac. Aut enim semper de illis erit silendum aut iam utendum iis, quae nunc habemus, subsidiis instrumentisque. Nam desultorio labore conflatam Westerhovii editionem aliasque, e quibus mihi cognoscenda fuerunt scholia, lubenter concedo; quod tamen inter has interest spatium atque editionem omnibus absolutam numeris — exstare enim in tempus sumamus — multis partibus brevius est quam quod hanc ab ipso dirimit Donato.

Sed non vereor ne in hac causa multos habeam adversarios.

Non enim admodum temerariam dixi sententiam, quaeque veri careat specie. Hoc audacius videri possit quod nunc proloquar. Quamvis infirmo nitamur fundamento critico, tamen non debet quiescere atque cessare emendandi labor. Permagnam ille habere potest utilitatem; quoniamque non solum Donati manu, sed fortasse etiam commentarii editione ex artis criticae praceptis comparata carebimus semper, coniecturis utendum est. Neque illae omnes tam sunt incertae quam quis, auditis multis multorum de fundamenti critici defectu querimoniis, suspicari possit. Ipse Westerhovius, quem omnibus modis condemnant reprehenduntque qui de scholiis Terentianis edendis scribunt, permultas correctiones palmares, aut ab ipso, aut a Wielingio aliisque inventas nobis tradidit, quae quin omnino sint recipiendae dubium non est. Exempli causa unam alteramque hic proponam.

Andr. I, 5, 6. Pamphilus Chremetis filiam sibi a patre uxorem destinatam audivit ipsumque Chremetem huic consilio assensum. Neque intelligit omnia haec a senibus ficta. Exclamat ergo et alia et haec:

> Quid Chremes, qui denegarat se commissurum mihi
> Gnatam suam uxorem, id mutavit!

Ad verbum c o m m i s s u r u m annotatum legimus: „Putaverat nuptias et Chremetem mutare consilium." Quod sensu cassum esse Westerhovius vidit, ideoque coniecit p u t a v e r a t v e r a s, quam coniecturam Klotzius perfecit edendo p u t a t v e r a s. Illud autem v e r a s (nam utrum p u t a v e r a t an p u t a t legamus parum interest) quis tam perversus est ut probare nolit quoniam in nullodum inventum sit codice?

Eun. V, 3, 6. Pythias, Thaidis ancilla, appropinquantem videt Chremetem cum nutrice: suspicio enim nata erat illius Chremetis esse sororem puellam illam a Thaide eductam; nondum tamen certa res erat, ostendenda etiam – ita ut fit — nutrici erant *τὰ πρὸς τὸν ἀναγνωρισμόν*. Ergo vixdum iuvenem cum comite sua conspexit Pythias, cum eum interrogat:

Iamne ostendisti signa nutrici?

atque illo respondente: omnia, rogare pergit:

Amabo, quid ait? cognoscitne?

Hic Chremes ac memoriter. Ad hunc locum in commentario legitur: Ac memoriter] „Plus intulit quam interrogabatur: nam magna sunt signa, in quibus anilis memoria non erat." Pro erat autem Westerhovius reposuit errat. Quis unquam Bentlejus Cobetusve in emendando felicior fuit? Quid certius quam haec viri ab omnibus contempti coniectura?

Adel. I, 2, 71. Micio de filii adoptivi, quem modo apud patrem naturalem sedulo defendit, nequitia ac levitate cogitans et alia et haec secum de eo queritur (vs. 69—73):

Quam hic non amavit meretricem, aut cui non dedit
Aliquid? postremo nuper, credo, iam omnium
Taedebat, dixit velle uxorem ducere.
Sperabam iam defervisse adolescentiam.
Gaudebam: ecce autem de integro!

Ad verba Dixit se velle uxorem ducere egregia haec legitur ipsius Donati (nosti enim iam, lector, quid eo nomine significatum velim) annotatio: „Sic ex parte magna ostendit nescius argumentum: ideo quia verisimile est, amantissimum Aeschini Micionem omnes scire affectus adolescentis et consuetudines. Et apparet praeterea, conatum ex parte fateri vitiatum amore Aeschinum, et pudore impeditum, tantum hoc dixisse, quod honeste potuit, velle se uxorem ducere: quam autem vellet tacuisse confusum." Egregiam annotationem dicebam, et est haud dubie viri artis scenicae peritissimi, sed turpi macula obscuratur. E verbis enim conatum ex parte fateri vitiatum amore Aeschinum sanum sensum nemo eliciat. Gratia ergo Wielingio, qui nebulas dispersit coniiciendo conatum ex parte fateri vitiasse amicam Aeschinum. Audacem dixeris coniecturam: bene reputanti certissima videbitur. Fingamus enim codicum accuratissima

collatione apparere aliam fuisse lectionem e qua corrupta illa vitiatum amore nata sit, illius tamen sententia diversa esse non potuit ab ea, quam Wielingius restituit. Et veram scholii sententiam cum habemus, desiderare iam possumus nihil. Non enim res nobis est cum Platone aliquo vel Aristophane, cuius singula verba pondus habeant, sed cum Donati compilatore, sedulo quidem homine sed parum diserto.

Adel. IV, 7, 33. Micio fratrem severum ludibrio habet: hic enim omnium rerum ignarus filium, quem Micioni adoptandum dederit, non uxorem solum duxisse quam olim habuerit amicam, sed praeter hanc etiam psaltriam quandam pro uxore patris adoptivi domi habere credit; illam alterius esse filii, quem a se antiqua severitate eductum gloriari soleat, ne suspicatur quidem. De illa autem psaltria iucundissimum hoc apud Terentium fratrum habemus colloquium. Ubi Demea dixit:

Aliquo abiicienda est, si non pretio at gratiis

Micio

Neque est, neque illam sane studeo vendere

ait. Rogat Demea: „Quid igitur facies?" et Micio respondet: „Domi erit". Hic Demea exclamat:

Pro deum fidem!
Meretrix et materfamilias una in domo
M. Cur non? *D.* Sanum te credis esse? *M.* Equidem arbitror.
D. Ita me Di ament, ut video ego tuam ineptiam,
Facturum credo, ut habeas quicum cantites.
M. Cur non? *D.* Et nova nupta eadam haec discet. *M.* Scilicet.
D. Tu inter eas restim ductans saltabis. *M.* Probe.

Ad et nova nupta eadem haec discet haec invenimus annotata: „Alius subaudiet Dicere. Sed, o magna in verbis elegantia, vide enim quam vim significet Discet. Et ideo non uxor sed nova nupta, quam ad omnia docilem esse ipsum indicat nomen." Bona est annotatio sed caput eius misere est mutilatum, vel potius pro capite vulnus habemus. Integrum

vero corpus reposuit Westerhovius pro *alius subaudiet* legendo: *psallere subaudi et restim ducere.* Quam coniecturam si quis ideo in textum recipiendum neget quod a tradita lectione nimium recedat, prave, me iudice, ratiocinetur: testimonio potius illa est, non posse commentarii textum leni sanari medela.

Hec. III, 4, 10. Sosia servus, modo cum domino peregre reversus, Parmenoni servo narrat quot quantasque aerumnas in mari sit perpessus.

Dies triginta, aut plus eo, in navi fui,
Cum interea semper mortem exspectabam miser.
Ita usque advorsa tempestate usi sumus.

Hic Parmeno: „Odiosum" exclamat, atque sic pergit Sosia: „Haud clam me est." Ad hunc locum et alia adscripta sunt et haec: *Haud clam me est*] „*Λιτότης* pro Ego maxime intelligo quam odiosum sit. Nam qui iungunt et sic legunt, errant et non intelligunt." Non magni momenti haec est annotatio; aliquam tamen utilitatem habet, quia nobis facultatem praebet cognoscendi quantum in Westerhovio fuerit ingenii acumen: is enim verba sensu cassa *nam qui iungunt et sic legunt errant* ita correxit: *Nam qui seiungunt et sic legunt odio sum, errant.*

Phorm. II, 1, 43 sqq. Lepidissime Phaedria fratrem patruelem Antiphonem apud illius patrem defendit et aliis argumentis et hoc: „Si quis homo astutus, ut Phormio est,

Insidias nostrae fecit adolescentiae,
Ac vicit, nostrane ea culpa est an iudicum?
Qui saepe propter invidiam adimunt diviti,
Aut propter misericordiam addunt pauperi."

Ad verba *qui saepe — diviti* annotationis miserae quaedam supersunt laciniae; legitur enim: „Notum alteri qui invident"; at praeclara sagacitate quid olim scriptum fuerit Westerhovius investigavit; coniecit enim: „Notum alterare ius qui invident." Opusne

etiam est codicibus addicentibus ut haec coniectura recipiatur?

Hisce igitur exemplis usus et ipse aliquid ausus sum, scholiisque emendandis operam dedi. Atque conamina mea hic proponam, sed iam nunc lectorem moneo nihil a me propositum iri quod mihi ipsi praestantissimis, quas modo citavi, Westerhovii emendationibus par atque simile videatur: abest semperque absit, precor, a me eiusmodi arrogantia. Nihil hic certi invenies, nihil quod non cuivis in mentem venire possit. Saepe ne coniecturam quidem proponam, sed aut quid fere requiratur demonstrare conabor aut tantummodo corruptum esse scholion dicam. Neque tamen plane operam me perdidisse opinor. Nam etiamsi vera alicuius loci lectio ex aliquo codice eruatur vel peringeniosi hominis acumine restituatur, tamen nullum est inventi pretium nisi praecessit longa et accurata virorum doctorum de genere vitii deque sententia qua opus est disputatio deliberatioque. Deinde semper hoc tenendum nullam lectionem idcirco veram esse quod in aliquo codice, cuius magna est auctoritas, inveniatur, sed hoc unice quaerendum quae lectio sanum praebeat sensum suoque aptum loco. Dabo exemplum. Ad Hec. IV, 1, 57:

> Nam quum compressa est gnata, forma in tenebris nosci [non quita est

semper lecta fuit haec annotatio sensu cassa: „Ab activo queo, passivum fecit queor, retinendo participium quita est." Vidit nescioquis pro retinendo legendum esse et inde, atque ex inepta literae *r* repetitione natam esse vitiosam lectionem, quam suo Marte librarius sanare conatus esset. Recipiendum, ut opinor, illud et inde, non quod postea a Sabbadinio in aliquo codice lectum sit, sed quod unice verum est. Aliquod felici invento momentum adiicere dicendus esset codex Leidensis, qui et timida est quita est habet vitio ex literae *t* repetitione nato, si id quod in suo genere perfectum est ullo modo melius fieri posset. Haec ideo dis-

putavi quia doctorum mentes saepe occupatas video superstitione quadam, quam nimia peperit disciplinae palaeographicae diplomaticaeque admiratio. Haud raro — atque in poëtis Latinis plerumque id accidit — venustissimae lectiones spernuntur hoc solum argumento, quod in codicibus legantur quorum minor sit auctoritas, codicum vero vetustorum aperta vitia aut mordicus retinentur, aut, id si prorsus fieri nequit, cum multo sudore atque labore excogitatur aliquid quod literarum, quas hi praebent, sit quam simillimum. Sed ita qui agunt non perspexisse videntur veras emendationes sponte se offerre ei, qui libera mente diu multumque in aliquo poëta vel scriptore sit versatus, non invitas protrahi, minime vero ex corruptelarum nasci permixtione. Plura de hac re dici possunt, sed ad propositum transeo.

Andr. I, 1, 1. Abite] „concitatius legendum est, quia et respectantes properant et discernit a Sosia." Verba corrupta, neque multo praestat quod Klotziana habet properanter discernit (pro pr. et disc.): quid enim istud significare potest? Veram lectionem nemo praestiterit. Hoc unum certum videtur pro properant requiri verbi quod increpandi vim habeat singularis numeri tertiam personam. An forte properat legendum, ut properare sensum accipiat activum sitque fere idem ac urgere?

2. Dictum puta] „Ad hoc respondet ut agi res videatur quemadmodum supra diximus." Sana haec videntur, sed sententiam obscuriorem reddidit istud ad hoc, quod vix Latinum est. Hoc voluit scriptor: „quod hic omnino aliquod responsum Sosia interponit, in ea re agnoscitur poëtae consilium, qui rem agi, non a solo Simone narrari voluit." Supra autem haec dicta sunt: „haec scena pro argumenti narratione proponitur, in qua fundamenta fabulae iaciuntur, ut virtute poëtae, sine officio prologi vel θεῶν ἀπὸ μηχανῆς et periocham comoediae populus teneat et res agi magis quam narrari videatur."

Ubi prius illud et abiiciendum esse putare noli: amat enim huiusce voculae repetitionem bonorum scholiorum scriptor. Est ergo ad hoc = τούτου ἕνεκα, et ita saepe in scholiis.

3. „Coquina medicinae famulatrix est." Recipiendam variam lectionem adulatrix (pro famulatrix) addito argumento dixi p. 117.

7. Ad exspecto quid velis primum annotatur exspectare esse desiderare. Deinde ad quid velis: „Deest scire: nam si dixisset quod velis nihil desiderasset". Egregia est Westerhovii emendatio pro scire legere iubentis scire me. Nunc de ceteris videamus, quae corrupta quin sint quis dubitet? Equidem totum illud desiderasset ab oscitante librario e priore annotatione huc tractum suspicor proque eo legendum deesset [1]). Tota autem non Donati sed inepti magistelli est annotatio.

13. Haud muto factum. De varia lectione haud multo factum haec annotantur: „Hoc est damno, reprehendo, quod si est, sic intelligeretur non nollem factum." Hic sic positum pro vel sic, sic quoque: utique enim opinionem eorum falsam esse Donatus docet, qui ad legem de ingratis libertis in servitutem retrahendis alludi hic putent. Sequitur: „Nemo enim potest factum infectum redere. Sed adverbialiter dixit: ut dicimus nollem factum, nollem huc exitum." Haec neque inter se neque cum praecedentibus cohaerent: pertinent enim ad lectionem haud muto factum; deinde nullus hic est locus coniunctioni enim. Opinor olim hic — id quod sexcenties factum videmus — multis verbis repetitum id quod iam dictum erat brevi atque eleganti scholio: Haud muto factum] „Venuste, non me poenitet"; excidisse autem lemma Haud muto factum cum longioris scholii initio; tum enim

[1]) Sciant qui commentarium edituri vel emendaturi sint nullum esse in eo frequentius vitium quam hoc vocabulorum inepte e vicinia repetitorum.

scriptum pro autem. Nam rectissime habet adverbialiter, de quo Westerhovius dubitavit. Hoc enim sibi vult vox illa: „Non urgenda verba sunt: locutio enim haec est e communi sermone hominum.''

18. Quin tu uno verbo dic] „Una sententia ut in Adelphis:

meum illud verbum facio, quod tu, Micio,
Bene ac sapienter dixti dudum: vitium commune omnium est,
Quod nimium ad rem in senecta attenti sumus.

Nam male intelligit qui putat assimules verbum significare.'' Corrupta postrema sunt atque sic fere emendanda: „nam male intelligit qui putat assimiles verbum significari.'' Hoc enim vult: „verbum hic est sententia; itaque ineptiunt qui contendunt aliquam intercedere rationem inter hoc uno verbo atque illud assimiles, quo mox Simo (vs. 141) usurus est.'' Nam fuisse qui in explicando uno verbo tam inepte delirarent proximum docet scholion, ubi id ipsum dicitur quod nostro condemnatur: ita faciam] „Hoc est, uno verbo dicam; et quod verbum promittit ibi dicit: Nunc tuum officium est, has bene ut assimiles nuptias.''

37. Eorum obsequi studiis] „Talem esse Pamphilum adiuvat argumentum fabulae, simul et Charinum.'' Mire dicta haec; corrupta tamen non videntur. Hoc enim vult Scholiasta: „Mite illud et clemens Pamphili ingenium totum fabulae argumentum reddit verisimile; simul illud proderit Charino: facile enim inter duos iuvenes rixa oriri potuisset, nisi alter eorum tam mansuetus fuisset.

42. Interea] „Interea est, cum habet instantiam superiorum actorum.'' Ecquis haec intelligit? An haec est sententia: interea tum ponitur cum nova re oblata ille, qui antea fuit, rerum decursus subito sistitur, moxque in contrarium vertitur?

44. „Chrysis'' sic fere Scholiasta loquitur „omnibus modis est purganda excusandaque, quoniam Glycerium nunquam fieri

potest iusta adolescentis honesto loco nati uxor, si sic eam constat ante nuptias impudicam ductam esse." Sic, ut saepe Graecum οὕτως, hic significat: sic simpliciter, nulla re accedente, in qua aliquod insit lenimen. Sed impudicam ductam ut sanum sit vereor. Certe de significatione dubito: aut enim est: „meretricis vulgaris habuisse nomen famamque," aut „ad quaestum meretricium educatam." Nam hoc quoque in hunc locum quadrat, commendaturque hac ad vs. 48 annotatione: Lana ac tela victum] „Artificiose, ut videatur pudice apud eam futura materfamilias educari posse, quam meretricem necessitas fecit." Tum autem pro ductam requiritur eductam. Utut est, obscure hic barbareque Scholiasta loquitur. Mox (ad eundem vs. 44): „In conditione turpissimi nominis multum sumitur excusatio voluntatis." Hic aut una vox sumitur aut duae multum sumitur corruptae sunt; sed quomodo emendem non habeo.

47. „Est enim duriter sine sensu laboris." Balbo sermone hoc dicitur: „Duriter (non dure) vitam agere eius est, qui laboris inopiaeque incommoda ne sentire quidem videatur."

54. Postquam observavit perducere eorum esse, qui alios invitos secum trahant, haec addit Scholiasta: „Hoc etiam verbum iudices pronuntiare solent." Quid sibi haec volunt? An forte: „ideoque legitima haec vox est, qua iudices utuntur cum pronuntiant reum non sponte sed invitum fecisse, ideoque esse absolvendum." Haec si est observationis sententia, haud dubie auctor eius et alios locos et hunc Ciceronis aute oculos habuit (Verr. V § 33): „Renovabitur prima illa militia cum iste e foro abduci, non, ut ipse praedicat, perduci solebat."

55. Egomet continuo mecum] „Bene mecum, ut appareat nihil temere constitutum, vel prolatum foras; hoc ipsum satis quaesitum esse, quod statuit de falsis nuptiis, et infensus esset filio." Pro et infensus legendum ut infensus. Hoc enim senex spectat et hoc est falsarum illarum nuptiarum

consilium ut idoneam nanciscatur causam succensendi filio.

61. Laudat hunc locum Scholiasta lepideque adolescentes illos de Pamphilo nil negare sed aperte quidquid gestum est denarrare observat. Sequitur: „et quidem tacitum est, non celatum, sed ut non factum esse ita videatur." Hic primum admonemur quid intersit inter celare et tacere (celamus enim ea quae rogamur, tacemus quae non rogamur). Sed ultima illa: sed ut non factum esse ita videatur vix intelligo. Suspicor vocem ita non post esse sed post sed ponendam, ut haec sit sententia: „(tacent illi adolescentes), sed ita (tacent, atque hoc eorum responsa efficiunt) ut non factum esse (id, quod senex adeo metuit) videatur."

63. Comperiebam nil ad Pamphilum
Quidquam attinere.

Comperiebam] „Vide si non verba patris sunt, et de rebus Venereis circa filii mentionem agentis." Atra caligine obscuriora haec. Pro circa equidem propono citra: „Nonne hoc paterni est animi, ubi de rebus venereis agatur, non eo adduci ut etiam filii mentionem facias?"

72. Hac fama] „An vere laudatus sit, singula haec pro argumentis sunt." Quoniam sequitur: „et excusatio est, non esse stultitia falsum sed impulsum," sententia haec esse videtur: „honestam illam de Pamphilo famam non plane de nihilo fictam fuisse, aliquatenus ex iis, quae supra a patre dicta sunt, effici potest."

79. Beasti] Laudatur hic poëta qui hominis mortui mentione facta statim laetum subiunxerit vocabulum „ne mors in comoedia, luctus in tragoedia personaret." Ante luctus inserendum ut: in tragoedia luctus est perpetuus, in comoedia spectatorum animi quam primum a rei tristis cogitatione sunt abducendi.

92. Et vultu, Sosia, adeo modesto] „Quia formae laudatio cum meretrice commissa est, progreditur artifex poëta ad laudanda ea quae honestiora sunt quam forma." Quantocius

cum Westerhovio legendum communis pro commissa: non enim credibile est commissa hic habere τοῦ communis significationem, qua utique opus est.

94. Ut nil supra] „Ellipsis Terentiana; nam non necesse est subiungere duos versus." Efficiendumne hinc revera fuisse homines adeo stupidos, qui lacunam hic statuerint, quam suo Marte expleverint? Nam quod Westerhovius proponit duas voces (velut dici queat) minime placet. Si enim ellipsis est, necessario quaedam vocabula sunt subiungenda.

121. Ut qui se neget] „Probavit quod non volebat senex Sosiae: adhuc superest ut ostendat quod non sit irascendum quin iuste irascatur." Minime assentior Westerhovio variam lectionem iracundus qui (pro irascendum quin) probanti: haec enim demonstratio a senis consilio plane abhorret, totiusque scholii haec est sententia: „alteram partem senex absolvit perfecitque, nunc ad alteram transit." Sed prima scholii verba corrupta puto, proque probavit quod non volebat legendum narravit quod volebat. Ita enim hanc habebimus annotationem: ea pars colloquii, in qua res gestae erant narrandae, finem iam habet; superest ut senex Sosiae consilium suum probet, eique persuadeat prudenter se agere qui prius irasci nolit quam iustam irascendi causam nactus sit.

127. Relictus est obiurgandi locus] „Mire obiurgandi: tamquam incensus pater in filium videretur." Corrupta haec sunt atque ita emendanda ut recte apteque addantur verba: „Nam supra commotus plus per ἀποσιώπησιν significaverat," quibus Sosiae verba (122): Non tu ibi gnatum? respiciuntur; quoniamque illa ἀποσιώπησις haud parvam habuit acerbitatem, hoc fere scholii esse debet initium: „Mire obiurgandi: tamquam iam mitigatus in patroni filium videretur." Nam olim prae indignatione Sosias quid diceret non inveniebat; nunc non solum perficit interrogationem, sed etiam in ea utitur obiurgandi verbo satis leni.

I, 2, 2. In scena solus remanet senex atque ita secum loquitur:

Non dubium est quin uxorem nolit filius:
Ita Davum modo timere sensi, ubi nuptias
Futuras esse vidit.

Ad ita modo annotatum invenimus: „Argumentum quod supra ab eo quod nostri faciunt." Corrupta haec; requiritur fere: „argumentum sumimus ab eo quod hostes faciunt," hoc sensu: „in omni certamine idem fieri solet quod in bello, ubi diligenter speculamur quidquid faciunt hostes, ut inde efficiamus qui sit praesens rerum status quidque nobis sit agendum.

4. Heri semper lenitas verebar quorsum evaderet;

Davus ait. Annotatur: Semper lenitas] „ac per hoc simulata usque nunc lenitas." Sincera haec videntur atque ita accipienda ut per hoc sit idem quod propter hoc (propterea); etenim (mira res sed vera) semper lenitas sic cohaerere arbitratur Scholiasta ut semper fere adiectivi fungatur vice (more Graeco: *τὴν τοῦ δεσπότου ἀεὶ πρᾳότητα*) sempiternamque lenitatem non posse non esse simulatam docet iis quae addit: „Nam nemo in diversis actibus semper lenis est, nisi forte fictus assimulator et callidus."

8. Faciet] „id est irascetur, denuntiabit, loquetur." Hic denuntiabit corruptum opinor, neque tamen quid reponam invenio.

9. Falso gaudio] „Velut ex ira et vitae senis iracundia." Corrupta haec esse nemo non videt; satis autem mihi placet haec emendatio: velut iam evitata senis iracundia.

10. Amoto metu] „ista singula sunt." Hunc esse annotationis sensum opinor: non sunt haec inter se iungenda sperantes amoto metu, nam et sperantes et amoto metu sententiae sunt membra non inter se dependentia sed paria atque eiusdem dignitatis.

14. „Graviter constanterque senex nondum se fatetur credere, nec verum scire, ne amittat vim vindicaturi, si rescierit."

V i s v i n d i c a t u r i nihili est. Lego: „ne amittat vim, vindicaturus si rescierit."

16. N a m q u o d a n t e h a c f e c i t] „pro a n t e h a c, consuetudine magis qnam ratione dicitur." Lege: p r o a n t e h a e c e. q. s. Hoc enim vult magistellus qui annotationem scripsit: „praepositio a n t e accusativum habet; dicendum ergo erat a n t e h a e c."

23. Ad Davi dictum illud notissimum: „Davus sum non Oedipus" adscriptum est: „Facete se negavit Oedipum, ut senem Sphinga esse confirmet, non Oedipum." Lepidam annotationem pessumdedit qui istud n o n O e d i p u m de suo adiecit. Haec enim fuit Scholiastae sententia: „se Oedipum esse negando maledictum in dominum iacit et *σὺ μὲν Σφίγξ εἶ, ἐγὼ δ' οὔκ εἰμι Οἰδίπους* ait." Praeterea pro c o n f i r m e t nescio an a f f i r m e t sit legendum. Quid enim usitatius quam ista verborum n e g a n d i et a f f i r m a n d i inter se oppositio?

Actus I scenae 3 haec praemittitur observatio: „Hic brevis et comica deliberatio est magna exspectatione populum rerum imminentium commotura, metu et cura aestuantis Davi consideratione proposita." Ne quis haec corrupta esse putet, ita accipienda moneo verba m e t u — p r o p o s i t a: cum populi oculis proposita sit consideratio (i. e. deliberatio) Davi metu et cura aestuantis.

I, 4, 5. Q u i a c o m p o t r i x e i u s e s t] „in vultu remansit oratio." Egregia annotatio, quae docet Mysidem, licet verbum non addat, tamen vultu gestuque significare plura se habere quae dicat.

I, 5, 1. H o c i n e e s t] „hoc est dilatare orationem, ne diceret quod fecit." Sententia scholii obscurioris haec esse videtur:

„Cum possit paucis verbis significare Pamphilus quid pater fecerit, multa consumit lamentando de illius crudelitate."

25. Tot me impediunt curae quae meum animum divorsae [trahunt:

Amor, misericordia huius, nuptiarum sollicitudo.

Ad amor annotatur: „a necessario," hoc, ut opinor, sensu ut amoris vis invicta atque inevitabilis dicatur. Ad misericordia: „ἀπὸ τοῦ αἰσίου," unde sani nihil extundo; neque multo praestare videtur altera lectio ἀπὸ τοῦ ὁσίου. Haec tamen utcunque intelligi potest; sic fere: „Sed et misericordia haud spernendam vim habet, siquidem nos pietatis constringit vinculis."

34. Constitutae] „Non addit a patre, sed invidiose, quasi et a Pamphilo sint constitutae. An timet in negotio?" Illud sed abesse malim: etenim non addendo a patre Pamphilum quoque obscure accusat Mysis. Ultima ista „an timet in negotio?" quid sibi velint non video.

33 sq. Mysidis verba ad Pamphilum haec sunt: Glycerium

Laborat e dolore, atque ex hoc misera sollicita est die
Quia olim in hunc sunt constitutae nuptiae. Tum autem [hoc timet
Ne deseras se.

Hasce hic habemus annotationes:

Hic nuptiis dictus est dies. Tum autem] „Tum praeterea. Tertiam habere sollicitudinem Glycerium, ne deseratur a Pamphilo."

Sollicita est] „Sollicitudo rerum incertarum magis est."

Quod in hunc diem] „Hic certior metus est et gravior."

Quas vehementer confusas perturbatasque esse censeo. Ipse scholiorum auctor hoc praesertim docere voluit: sollicitudinem esse rerum incertarum, timorem certarum.

35—40. Indignabundus Pamphilus Mysidis suspicionem de sua adversus Glycerium perfidia a se reiicit exclamando:

Hem, egone istuc conari queam?
Egon propter me illam decipi miseram sinam?
Quae mihi suum animum, atque omnem vitam credidit;
Quam ego animo egregie caram pro uxore habuerim;
Bene et pudice eius doctum atque eductum sinam
Coactum egestate ingenium immutarier?
Non faciam.

Hic et alia inveniuntur annotata et haec:

Bene et pudice] „Hic illud solvitur lana et tela victum quaeritans: ut hoc praestruat bene et pudice Glycerium esse educatam." Haec me intelligere opinor; sic enim accipio: „nunc habemus explicationem cur olim dictum sit de Chryside: lana et tela victum quaeritans. His enim verbis animi spectatorum praeparandi erant ad credendum pudice Glycerium esse educatam." Sed statim subiicitur: „lana et tela victum quaeritans," quae verba hic scribae errore e praecedentibus repetita arbitror. Adduntur haec, quae mysterii instar videntur: „Et non pertinet ad argumentum, nisi post vitam Glycerii intelligas." Sed leni emendatione haec perspicua reddi posse opinor. Etenim post nisi inserendum est ut. Sic enim haec nascitur observatio: „tota illa commemoratio vitae a Chryside antea probe et pudice actae cum totius fabulae argumento hactenus tantum cohaeret, quod ex ea Glycerii vita est cognoscenda.

42. Adeon me ignavum putas?
Adeon porro ingratum aut inhumanum aut ferum?

Ad ignavum et ingratum annotatur: αὔξησις est: inhumanum aut ferum post subiecta dixit." Quod nihil aliud significare videtur quam: „haec verba inhumanum et ferum nova sunt sententiae membra, augendi causa adiecta."

Laudatur porro a Scholiasta Pamphili oratio, qui non dicat: „adeone putas me patri obedire?" sed „adeone me erga amicam ingratum, ferum, inhumanum credis?", atque sic quod

virtus est vitii nomine appellet. „Ita" ipsa haec sunt scholii verba „amatoris per omnia servat conditiones, ut oratorie hoc cogatur scelus esse si pareret nunc patri." Neque ita hic legendum (quod in Westerhoviana) neque at quod in Klotziana legitur, sed ira, quod Stallbaumiana habet (errore fortasse typothetae: nihil enim est quod fieri nequeat). Unum restat vitium; nihili enim est conditiones, proque eo legendum, quod unice aptum huic loco: conversionem.

44 sq. Ut neque me consuetudo neque amor neque pudor
Commoveat neque commoneat ut servem fidem?

Sch.: ut neque me consuetudo] „non ordinem reddit; ferum enim reddit ad mansuetum quod etiam ferae mansuescunt." Quoniam totum adiectivum mansuetum non legitur in Terentii textu sed in praecedenti scholio, scribae hic errorem latere suspicor, legendumque esse: „ferum enim reddit ad consuetudinem qua etiam ferae mansuescunt," ut haec restituatur observatio: „chiasmo utitur Pamphilus: ad ultimam enim prioris seriei vocem ferus referenda est prima secundae seriei vox consuetudo. Ferae enim consuetudine mansuescunt."

Actus II.

1, 1 Apud forum e Davo audivi. Saepe ita editur lemma mutilatum: recte alii post forum addunt modo. Sequitur enim scholion: „plurima dixit ad confirmandum Byrrhia, quando interrogatus est, a loco, a tempore, a persona." In quo „quando interrogatus est" nihil aliud est quam: „ubi eum dominus interrogat" (vide quae de perfecti temporis in scholiis usu observavimus p. 75); a loco autem, a tempore, a persona loquendi sunt formulae ex arte rhetorica, quas optime sic illustres: „plurima dixit a loco et simm. i. e. plurima argumenta dixit, petita a loco et simm." Petit

autem argumentum a loco Byrrhia dicendo: apud forum, a persona dicendo e Davo, a tempore dicendo modo, quod ergo in lemmate utique ponendum est.

5. Quaeso edepol, Charine, quoniam non potest id fieri [quod vis
Id velis quod possit.

Sch. Quoniam non potest] „Consolatio ad id quod fieri non potest suadens." Mira, hercle, consolatio, qua quis admonetur ut id faciat quod nemo unquam potuit poteritve. Aut tota annotatio mutilata est cum integra fuerit: „Consolatio ab eo quod fieri non potest ad id quod fieri potest suadens," aut una vox non est eximenda ut: „consolatio ad id quod fieri potest suadens" nimia quadam brevitate dicatur pro: „consolatio qua Charinus monetur ut contentus sit eo quod fieri possit, neve cupiat id quod fieri non possit." Sed illud magis arridet. Klotziana autem post suadens etiam habet id ut velis quod possit, quae inutilis est repetitio poëtae verborum.

19. Salutem, auxilium, consilium expetens] „Ut in petitionibus fieri solet, beneficium petens utitur partibus deliberativae." Sensus perspicuus est et sequenti scholio etiam illustratur. Est autem huiuscemodi: „Beneficium cupit exspectatque, sed ita loquitur tamquam si consilium tantummodo petat." (Ita mendicus stipem petens: „quid agam" ait, „aegra est uxor, liberi fame sitique torquentur, ipse opus facere non valeo.") Verum substantivum deliberativa unquam fuisse in rerum natura non credo. Klotziana deliberativis habet; equidem deliberantis propono.

Ad vs. 28. tibi nuptiae hae sunt cordi annotatur: Cordi] „animo acute." Aut enim sic editur aut animo acuto. Utrumque ineptum. Corruptum scholion natum suspicor ex annotatione quae doceret vocabulo cor significari animum et pro cordi est etiam dici curae est (sic fere: cordi „i. e. animo; cordi dicitur et curae").

vs. 30. Pamphilus Charinum sibi gratias agere vetat id facienti, quod non illius sed sua causa faciat, his verbis:

Ego, Charine, neutiquam officium liberi esse hominis puto
Cum is nihil promereat postulare id gratiae apponi sibi.

Ultima Pamphili verba a Scholiasta sic redduntur: „Non enim tui causa fugio, quod, priusquam me peteres, magis nolebam ducere quam tu cupis." Inepte a compilatore vel scriba istud d u c e r e additum est, quo quod in universum dictum est intempestive ad praesentem casum convertitur. Eo autem eiecto verbo lectio nascitur quae praestat Klotzianae, licet et illa sanum sensum praebeat; est enim huiuscemodi: „non enim tui causa fugio q u a m, priusquam me peteres, magis nolebam ducere quam tu cupis."

II, 2. Scenae hoc praemittitur scholion: „Haec scena consilium continet personarum, ad quas maxime pertinet argumentum. Et hic est locus, in quo, ut fieri solet, fortuna mixta rebus dispositis magnas turbas dat." Quid, obsecro, est „fortuna mixta rebus dispositis"? Verum pro d i s p o s i t i s lege emendatione lenissima d e s p e r a t i s, aptissimum habebis scenae argumentum. Pamphilo persuasum est se coactum iri ducere uxorem quam minime velit, Charino sibi invitissimo illam ipsam ereptum iri. Quomodo triste illud fatum fugiat neuter videt; nulla iam spes est, cum subito Davus accurrit laetam rem nuntians, qui nuntius novarum turbarum erit causa. F o r t u n a autem in scholio in meliorem partem est accipiendum (laetitia, laeta res).

De versu 2:

Ut metum, in quo nunc est, adimam, atque expleam animum [gaudio

observatur: „ordine locutus est: prius enim metum adimere, sic demum gaudio perfundere: hic ordo etiam in laude servatur." Quid, quaeso, ultima haec: h i c — s e r v a t u r sibi volunt?

An: „cum aliquem laudes, primum aliqua infamia eum esse purgandum?" Mendum subesse suspicor, atque pro laude scriptum fuisse narratione vel simile aliquid: cum enim tandem aliquando eo pervenit Davus ut res sibi eognitas denarret, ab illis facit initium quae metum demere possint. Quo facto sponte gaudio implentur iuvenes, ut ipsi Davo iam nihil sit addendum.

Narrare ergo Davus sic incipit (vs. 16 sq.):

> Tuus pater modo me prehendit: ait tibi uxorem dare sese
> Hodie.

Annotatur: ait tibi uxorem dare sese] „coniecturam facit a malis quae praecesserunt." Num hoc vult Scholiasta: „revera non ipsis verbis dixit senex uxorem dare se, sed Davus id tantummodo coniectando effecit e minis a quibus senex orsus est?" Atqui hoc et cum ipsa veritate et cum sequenti scholio: „dicit cur primo crediderit veras, dicturus subinde cur falsas" aperta fronte pugnat. Suspicor coniecturam facit e malis corruptum esse, eoque loco scriptum fuisse aliquid in hanc sententiam: „omittit, non commemorat mala." Ecquid iacturam facit malorum? Non enim incredibile pro iacturam dedisse aliquem notius sibi vocabulum coniecturam, quo facto etiam malorum mutandum erat. Cf. ad vs. 17.

> Item alia multa, quae nunc non est narrandi locus.

Item alia multa] „commoda narratio a necessariis tantum. Minas autem senis praetermisit, ne corrumperet bona, quae nuntiabat."

Ad vocabula quae nunc haec annotantur: „argumentum est quaerere potuisse eum qui sit territus, nam timor curam parit." Aut corrupta haec sunt aut sic accipienda: „causa cur istud quae nunc non est narrandi locus addat Davus, haec est quod alioqui facile fieri potuisset ut Pamphilus diceret: ista quoque alia multa narra mihi." Qui enim

timent moleste accurati esse solent et omnia scire volunt. „Vidi" Davus narrat „id quod profecto documento est dominum non parare aliquas nuptias, puerum Chremetis (vs. 32)

Olera et pisciculos minutos ferre obolo in coenam seni."

Postquam Scholiasta exposuit cur pisciculos, minutos, obolo dicta sint, haec addit: „et quid si minutos sed omnibus?" His verbis explicari videtur cur etiam additum sit seni: fieri enim poterat ut minuti quidem pisciculi empti essent, sed tantus eorum numerus ut vel magnae coenae et omni convivarum numero sufficerent.

II, 3, 11. „Dic te ducturum eam quam vult pater" hoc herili filio suadet Davus; atque illo aspernante et alia multa dicit ad consilium suum commendandum et hoc:

Ex ea re quid fiat vide.

Annotatur: „ἀπὸ τῆς ἐμβάσεως." Pro ἐμβάσεως vel ἐκβάσεως (nam hoc quoque legitur) reponendum est aliquid quod assensum vel simulationem significet.

„Noli metuere" Davus ait „ne Chremes tibi filiam suam uxorem det: nimium ei tui sunt noti mores. Inveniet inopem potius generum." Ad poëtae verba inveniet inopem annotatum est: „ὑποφορά, ἐφεκτικῶς, sed nec inopem quaeret." Obscurissima haec neque multo clariora quae leguntur in Klotziana: „ὑποφορὰ ἐφεκτικός, id est inveniet elevationem et superbiam. Inveniet inopem: sed ne inopem quaerat."

„Simulando" Davus monet „te uxorem ducere velle patrem tuum negligentem feceris." Ad negligentem feceris, quae poëtae sunt verba, annotatur: „hoc est etiam in paratis nuptiis." Haec quoque obscura.

II, 4. Iam accedit pater experimenti causa filium iussurus uxorem ducere. Ergo Davus submissa voce Pamphilum sic alloquitur (2 sq.):

Hic nunc non dubitat quin te ducturum neges:
Venit meditatus alicunde ex solo loco.

Ad venit meditatus alicunde annotatur: „Terror obiurgaturi patris hortatio est ad promittendum Pamphilum quod iubetur.'' Corrupta haec neque multum proficimus varia lectione Pamphilo (pro Pamphilum) quae est in Klotziana. Sensus tamen perspicuus. Etenim dicendo: „Venit meditatus alicunde ex solo loco'' aliaque in eandem sententiam efficit Davus ut filio futura illa obiurgatio quam maxime terribilis videatur: et terrore opus est ut sedulo Pamphilus partibus fungatur sibi a servo impositis: quo enim maius instat periculum, eo diligentius patrem simulando decipere conabitur filius.

II, 5, 1. „In hac scena quatuor personae sine inplicatione intellectus loquuntur.'' Ridicule dicta haec sed non obscura; sine implicatione intellectus est: „ita ut alter alterum non intelligat.''

II, 6, 3. Davum solum astantem et secum colloquentem quaedam senex suspicionum plenus rogat: Quid Davus narrat? Respondet ille: Aeque quicquam nunc quidem. Haec nemo unquam intellexit, at intelligere sibi videtur Scholiasta; annotat enim: „bene nunc quidem: similiter nunc nihil, ut paulo ante, cum dixit: id populus curat scilicet.'' Ipsa quoque annotatio satis obscura, itaque illustrandi causa moneo similiter esse interpretationem adverbii aeque; et quicquam Scholiastae videri idem quod nihil. Et quid illo aeque (i. e. similiter) velit Davus ita exponit Scholiasta: „Davus dicit nihil narro, similiter nunc ut olim, nam tum quoque istud agebam: attentus eram ad te audiendum.'' De illo autem tempore Scholiasta putat Davum cogitare cum secum dicebat: „id populus curat scilicet'' (Act. I, 2, 14).

15. Laudatur poëta quod Pamphilo, dum patris decipiendi causa simularet se uxorem ducere (et amicam missam facere) velle, tamen tristem dederit vultum. „Nam et honesto iuveni" Scholiasta ait „non congruebat versipellis vultus, et in amatore absurdum fuerat ingenuum celare tristitiam." Male haec, me iudice, emendat, qui legit: „et in amatore ingenuo absurdum fuerat celare tristitiam." Duas enim ob causas Antiphonem non decebat plena atque perfecta simulatio: primum quod honestus (s. ingenuus) est adolescens, deinde quia amator. Iam dictum est: „honesto iuveni non congruebat versipellis vultus"; substantivo autem amatore non est addendum adiectivum quale est ingenuo vel honesto. Lego: „et in amatore absurdum fuerat ingenium, celare tristitiam." Cf. quod mox sequitur: „ingenium et amoris necessitas in tristitiam retrahebat." Dictum autem istud: „et in amatore absurdum fuerat ingenium celare tristitiam" erit hoc fere sensu: „absurdum est et naturae contrarium amatorem fingere qui facile tristitiam celare possit." Amor enim iuvenes ad tristitiam reddit propensos. Et nulla est fabula Terentiana ubi non lacrimans inducatur amator. [1])

17. Senex dixit: „Nondum mihi ille Pamphili assensus omnino omnem ademit sollicitudinem: cum enim se paratum declarabat ad ducendam eam quam ego iubebam, subtristis mihi visus est." Respondet Davus: „tristitiae erat causa leviuscula: in apparandis nuptiis parcum te videbat." De hoc Davi astuto mendacio Scholiasta observat: „quod ille a summo ad imum opposuit hic causae derivationem opposuit." Istud a summo ad imum formula est e schola rhetorica, satis in scholiis frequens. Totam annotationem sic accipio: „Quod senex argumentum attulit, quo rem totam infirmaret, eo contra illum Davus utitur ut rem alio vertat." Ergo recte

---

[1]) Ingenium Belgice vertendum: „karaktertrek."

pro priore opposuit Klotziana habet proposuit, minus recte pro altero apposuit.

26. Verbis „argumentum falsarum nuptiarum" Scholiasta et hic et alibi significat: argumentum, quo Davus usus est ad demonstrandum se optime intelligere fingi a sene, non parari nuptias. Hoc argumentum Scholiasta hoc loco dicit esse in verbis paululum obsoni. Accuratius locutus esset si dixisset: „in verbis drachmis obsonatus es decem." Etenim paululum obsoni Davus non dixit in colloquio cum Simone, sed cum Pamphilum Charinumque narratione sua consolaretur (II, 2, 23).

III, 1. Scenae haec praemittitur observatio: „In hac scena novo modo cessante Davo fallitur Simo per nimiam sagacitatem suam." Verba cessante Davo significant: „dum Davus, qui tamen in hac fabula impostoris fungitur partibus, quiescit nullamque struit fallaciam." Nunc novo modo iungendum est cum fallitur. Sic enim demum praemoniti pars ultima apte praecedentibus adiungitur: „in multis enim *οἰκονομία* comicorum poëtarum ita se habet ut casu putet spectator venisse (an evenisse?) quod consilio scriptorum factum sit." Haec autem sententia in deliciis est Scholiastae, eiusque proferendae occasionem raro praetermittit.

vs. 1. „Ex hoc sermone, quem habent ingredientes, scenae apparet principium: quod enim auditur, non quod incipitur, initium dicunt." Sententia aperta: nihil enim hic narratur nisi solitum illud de novis personis in scenam prodeuntibus, quae sermone, quem habent, simul significent de quo argumento ante, sive domi, sive in itinere locutae sint. Eodem et annotatio ad vs. 4 pertinet: sed hic] „bene hic ut ostendat de illo ante fuisse sermonem." Verum corrupta verba sunt, ultima praesertim non quod incipitur initium dicunt, neque emendatio in promptu est.

vs. 1. huiuscemodi est:

Ita pol quidem res est, ut dixti, Lesbia.

Praeter citata iam haec annotantur: ita pol quidem] „productio est narrativa ad explendum modo potius iusiurandum." Quid sibi velint haec intelligere mihi videor. Sic enim accipio: „totum istud ita res est ut dixti Lesbia nihil est nisi verbosa quaedam et narrationi a muliere coeptae apta productio iurisiurandi pol." Sed unum scholii vocabulum potius corruptum videtur, pro quo restituendum fere: pronuntiatum.

Ad vs. 2:.

Fidelem haud ferme mulieri invenias virum

annotatur: „fidelem maluit quam fidum dicere: fidum enim honestius dixisset." Inepte enuntiata haec sunt; obscura tamen esse non possunt ei qui sedulo scholia lectitaverit. Sententia enim est: fidum non dixit sed fidelem, quoniam de amatore loquitur; in illum autem adiectivum firmus non convenit: nimiam habet illud gravitatem (amicus erga amicum fidus dicitur, non amator erga amicam).

6. „Pamphilus ergo firmavit fidem," Mysis narrat

Nam quod peperisset (amica) iussit tolli.

Annotatur: „Haec est fides suscipi filios legitimos faciunt parentes." Legendum, ut opinor, suscipiendo pro suscipi. Sequitur: „Sublatio matris est, patris tollere," quae sensu cassa sunt. In Klotziana totum scholion huiuscemodi est: „haec est fides, suscipi. Filios legitimos faciunt partus et sublatio matris et patris," quod ego sic refingam: „haec est fides: suscipiendo filios legitimos faciunt parentes; et partus matris est, sublatio patris."

12. Simo senex tandem aliquando se, dum sibi ipsi videretur astutus, deceptum a servo filioque intelligit. Semet ipsum ergo incusat dicendo

vix tandem sensi stolidus.

Sentiendi autem verbo dum utatur de se eum non tamquam

de homine sed tamquam de pecude loqui, quae calcaribus et verberibus sit admonenda, prudentissima est „Donati" observatio, sed illam commentator philosophicus tam longa involvit de sensibus disputatione, ut fere tota lateat.

15. Auditur parturientis Glycerii eiulatio:

Iuno Lucina, fer opem! serva me obsecro.

Annotatur: serva me obsecro] „Hoc extra etiam hanc potestatem Iunoni attribuitur." Verba sensu cassa haud inepte emendes pro etiam hanc legendo ceteram.

18. Parturire se fingere Glycerium Davi monitu senex suspicatur. Laetus ergo, quod hunc dolum in tempore intellexerit, Davum ludibrio habet et:

Non sat commode
Divisa sunt temporibus tibi, Dave, haec.

At ille, vix verba eius audiens mihin? rogat.

Ad quam vocem annotatur: „Adhuc Davus non percipit et bene quasi dicat, cum ille loquatur illae agant." Scholion et corruptum et mutilum. Olim hoc fere scriptum fuit: quasi dicat: „cum ille loquatur, illa agat (interea sponte meum consilium perficitur)." Qui enim de alicuius rei exitu securus est, cum ab alio interpellatur, ad illum animum non advertit secumque cogitat: „loquere modo, interea fit quod ego volebam."

III, 2, 2. Signa esse ad salutem] „deest haerentia aut pertinentia." Vocem haerentia corruptam esse suspicor.

12 sqq. His verbis Simo in Davum invehitur:

O Dave, itan contemnor abs te? aut itane tandem idoneus
Tibi videor esse, quem tam aperte fallere incipias dolis?
Saltem accurate, ut metui videar certe si resciverim.

Ad ut — resciverim annotatur: „...et utrum pro cum resciverim an quia stultum me putas?" Scholii aut mutili aut nimis coartati haec est sententia: „utrum vim temporalem (cum) habet si, an ea quoque voce significatur permagnam

Davo visam senis stultitiam, cum dubitet etiam resciturusne ille sit an non."

44. Ficta narratione senem confutavit Davus; ille autem solus relictus sic secum loqui incipit:

Non impulit me haec nunc omnino ut crederem.

Annotatur: Non impulit] „non persuasit, non perfecit ut crederem Glycerium peperisse." Immo vero: „Glycerium non peperisse." Cf. quod sequitur: „ut crederet quod Glycerium non peperisset." Quamquam ne sic quidem verum fit quod annotatur. Davus enim ficta sua narratione hoc spectavit ut senex credere pergeret partum illum Glycerii fictum esse et insuper hoc opinaretur non a se (Davo) Pamphilove, sed a Glycerio sola fictum. Sed compilatoris hic error, non scribae.

III, 5, 1. Ubi illic est scelus, qui me perdidit?] „Ad intellectum, non ad genera redegit et est figura σύλληψις per genera. Virgilius:

Pars in frusta secant.

Sed hic figura est per numeros: nam quia scelus scelestus intelligitur, modo qui subiunxit, non quod."

Quamvis sensus horum sit perspicuus, confusum tamen scholion apparet. Duo scholia eiusdem argumenti ab inepto compilatore coniunctione nam inter se conglutinata suspicor.

3 sq. Secum sic lamentatur Pamphilus:

Servon fortunas meas me commisisse futili?

Ergo pretium ob stultitiam fero.

Annotatur: Pretium ob stultitiam] „Sic Plautus locutus est: pretium ob asinos pro asinorum pretium. Virgil.

Rem magnam pretiumque morae fore.

Et alibi:

Illum Tydides alio pro talibus ausis
Affecit pretio.

Et est figura ἔλλειψις ut apud Virgilium

Invidisse Deos patriis ut redditus aris."

Gravi haec morbo laborant. Inter Asinorum pretium et nomen Virgil. excidit lemma novi scholii: de significatione vocis pretium et de infinitivo commisisse.

10. Vehementer iratus Davo Pamphilus sic eum alloquitur: „Ehodum bone vir." Annotatur: „et hoc εἰρωνεία prosequitur, cum omne genus contumeliae leve in eum dicimus, in quem ferimur iracundia." Varia lectio ducimus (pro dicimus) neque in maiore Westerhoviana neque in Klotziana invenitur. Unice tamen vera est, eaque recepta unum tantum vitium restat: prosequitur enim, sive εἰρωνεία, sive εἰρωνείᾳ legis, sanum esse nequit. Requiritur „ad εἰρωνείαν confugimus." (An legendum: hoc εἰρωνείας genus sequitur e. q. s. ?).

IV, 1, 19. Charinus vocabulum repetit, quo usus est ad se purgandum Pamphilus. Hanc repetitionem ideo fieri Scholiasta declarat: „quia articulus omnis defensionis per concessivam qualitatem hoc dicto est constitutus." Eiusdemne hominis insanas hasce ineptias putas, qui annotationibus suis spectandum nobis Terentium praebuerit?

IV, 2, 1. Monet Scholiasta ideo hic Pamphilum a Myside Glycerii admoneri „ne succumbat ad nuptias patri quamvis promiserit se ducturum coniugem." Inepta verborum dispositio totum scholion obscurum reddidit. Ordo esse debebat: „ne, quamvis promiserit se ducturum coniugem, succumbat ad nuptias patri."

19. Quis videor? Charinum Pamphilus rogat. Respondet hic: miser aeque atque ego. Annotatur: „intulit παράδοξον. Nam volebat Pamphilus sibi dici et fortis." Pro et fortis legendum est es fortis.

25. Verum vis dicam? Charinus rogat. Annotatur:

„velut prooemium narratum est.” In Klotziana pro narratum legitur narrationis. Multo elegantius est quod maior Westerhoviana habet: narraturi.

26. Quid me fiet? miser ille Charinus exclamat. Placare eum studet Davus rogando:

> Eho tu impudens, non satis habes, quod tibi dieculam addo
> Quantum huic promoveo nuptias.

Ad quid me fiet annotatur: „Quid igitur? quid de me fiet? Ab eo hoc quasi a iocante pronuntiandum est; nam sic illi impudens respondet.” Ultima illa nam — respondet significant: „ideo in responso Davus vocabulo impudens utitur.” Quoniam autem iocari non est impudentis, dubium non est quin iocante corruptum sit. Videamus sequens scholion: „proprie Charino dixit impudens, quasi insolita et multa poscenti.” Lege ergo poscente et confer, quae supra (p. 137) dicta sunt de iis qui, beneficium dum petunt, consilium se petere simulant. Praeterea equidem pronuntiatum malim quam pronuntiandum (Cf. p. 75 de praeterito tempore huiuscemodi locis).

IV, 3, 3. Ad virum in quovis loco paratum annotatur: „paratum dixit ad omnes affectus, quicumque de proximo esse possunt.” Inepto sermone hoc dicitur: „paratum dixit ad omnes affectus animo capiendos illorum quos artissimum quoddam iungit vinculum.” Comparandi enim causa affertur Homericum illud Ἕκτορ ἀτὰρ σύ κτἑ.

IV, 4, 7. Davus a foro se venire simulans sic loquitur: „quae lites erant in foro, quot homines, quam ardebat annona!” Postremo addit: Quid dicam aliud nescio. Hic annotatur: „hoc post spectatores.” Legendum esse opinor: „hoc post se ad spectatores,” i. e. „hoc ad spectatores, dum se convertit.” Sic enim prudentissima nascitur observatio.

14. Davus conspecto Chremete subito se litigari cum Myside Glycerii ancilla, quae modo ipsius iussu puerum e Pamphilo natum ante Simonis ostium deposuit, simulat. Illa autem quid sibi eius minae et maledicta velint non intelligit. Et alia servi verba sunt et haec:

Verbum si mihi
Unum, praeterquam quod te rogo, faxis, cave.

Annotatur: praeterquam quod te rogo] „hoc est sensim et ut senex sentiat pronuntiari potest." Quoniam paulo supra ad Mysidis verba non tu ipse? annotatum est „submissa voce," suspicor sensim in vitioso scholiorum sermone esse: „ita ut audiri possit"; itaque est aut delendum aut pro eo et legendum; potest autem Davi dictum ita pronuntiari, quia parum interest utrum senex audiat an non. Praescribit enim his verbis Davus Mysidi quid ei sit agendum, sed nihil inest quod Chremeti dolum a Davo structum indicet. Prava ergo est Westerhovii coniectura: „hoc sensim et ne senex sentiat pronuntiari patet."

28. Quid clamitas? Mysis rogat. Annotatur „clamavit enim Davus ut puerum audiret Chremes." Istud puerum additum puto ab eo qui scholion non intelligeret. Non enim opus est ut puerum audiat Chremes, quoniam vidit tetigitque. An hoc vult Scholiasta: „Davus nondum certo scit a Chremete puerum visum; ergo, si forte non viderit, ut clamet puer efficere conatur dum clamat ipse." At primum quis unquam clamando recens nati pueri vagitum provocat? Facilius certiusque idem levi pedis ictu fieri potest. Deinde hanc scholii explicationem alia scholia refellunt. Vide enim quod ad vs. 26 est adscriptum: Hem! quid? Pamphili?] „apparet mulierem vestri et Pamphili lentius pronuntiasse, quam Davus vellet, et ideo nunc (l. hunc) repetisse nomen nostri et Pamphili" et „hem, quid? Pamphili] duas res operatur Davus simul, et ut ignarissimum se ostendat, et ut Pam-

philus nominetur. Et acute repetit nomen Pamphili: quasi per indignationem, ut soceri auribus adolescentis nomen inculcet; metuit enim ne non audiat velut senex."

37 sq. Davi sunt verba ad Mysidem:

Nisi puerum tollis, iam ego hunc in mediam viam
Provolvam.

Annotatur: „dolo quidem minatur quod facturus non est; verum sedulo id agit ut iam puer tollatur e medio: simul eum servat Chremeti, ut ipse recuset generum, non ut a quoquam passus videatur iniuriam." Corrupta haec esse video, sed quid sub mendo latere possit non video. Klotziana pro e medio habet in medium, quo nihil proficimus.

56. De industria sic explicatur: „id est scientia et providentia. Ea enim quae dicimus et scimus operatione genita et industria quadam scimus." Lenissima emendatione atque transpositione sanari haec possunt; lego enim: „ea enim quae scimus operatione ingenii et industria quadam didicimus."

IV, 5, 23. Crito audito cognatam suam Chrysidem mortuam esse, sed puellam quam pro sorore educaverit illa vivere nequedum veros cognatos suos invenisse, Chrysidis hereditatem petere non vult, quoniam Glycerii sit ex aequo. Quod consilium ubi aperuit, sic Mysidem alloquitur:

Duc me ad eam, quando huc veni, ut videam.

Annotatur: „vel hoc inquit ut videam. Cur autem ut videam? quia timet. Et est ordo: duc me ad eam ut videam quando huc veni." Haud dubie mutila est prima pars scholii (vel — videam); requiritur haec sententia: „huc veni ut videam sanum non praeberet sensum." Altera pars scholii (cur — timet) hoc significat: „Crito ipse suis oculis Glycerium vult conspicere; suspicatur enim se a Myside decipi, Glycerium aut mortuam esse aut iamdudum e Chrysidis aedibus pro-

fectam, Chrysidisque hereditatem, quae Glycerio mortua vel profecta iure ipsius sit, a Myside eiusque conservis comedi."

V, 2, 6. Omnia apparata iam sunt intus]: „quia infecta sunt de paratis." Haec quid sibi volunt? An forte: „legitur apparata et non parata quia etiam infecta sunt in rerum paratarum numero" (i. e. parandi verbum nil nisi consilium significat, apparandi rei perfectionem).

19. Plane iam perspecto Davi dolo: „Dromo, Dromo" exclamat senex. Annotatur: „ira et dolore nihil dixit: nisi quod lorarium repetendo saepius vocat." Pro repetendo utique legendum est repente. Nil enim ad ultima Davi verba respondet senex, sed subito lorarium adesse iubet.

Narraverat autem Davus de Critonis Andrii adventu, rogatusque a sene quid ille sibi vellet quidve diceret responderat (vs. 18):

Glycerium se scire civem esse Atticam.

Annotatur: „bene et constanter ad ea quae locutus est scire se dixit." Et veritati et grammaticae convenienter istud ad delebis, et post se inseres dixisse vel dixisse eum.

V, 3, 4. Iratus pater Pamphilum rogat:

Ain tandem? civis Glycerium est?

Annotatur: ain tandem] „mire quasi ipse dicat quod Davus dixerat." Ne quis erret, pronomine ipse Pamphilum designari moneo.

V, 4, 43. Chremetem, qui modo filiam invenit, sic alloquitur Simo:

Omnes nos gaudere hoc, Chremes
Te credo credere.

Annotatur: „gaudere nostris est, ut supra annotavimus, alienis vero gratulari. Plus ergo est gaudere quam lae-

tari." Mira haec ratiocinatio. Laetari ab oscitante librario scriptum pro gratulari.

V, 6, 11. Pamphilum, cui inexspectata obtigit felicitas, Charinus, quem etiam torquent curae de uxore obtinenda quam cupit, rogat:

Age me in tuis secundis respice.

Annotatur: „haec sunt quae absolute dicuntur." Ecquis haec intelligit? An forte legendum: „haec sunt quae absoluto dicuntur (sc. a sociis iam condemnatis vel etiamnunc reis)"? Sed potius sunt quae abiicienda puto, ut scholio nil aliud significetur quam secundis dici pro secundis rebus. V. ad Hec. I, 2, 19: „absolutum est praefinito; deest tempore aut quid tale." Ne hoc quidem incredibile (variis enim casibus obnoxius fuit commentarius) olim scriptum fuisse: „haec absolute dicuntur," hinc fecisse „haec sunt quae absoluto dicuntur" compilatorem qui de quaestionibus reisque cogitaret, denique iterum casu vel consulto pro absoluto scriptum absolute. Quis enim, nisi ad alia omnia mente aberrans, simplici atque notissimae observationi „absolute" (vel „haec absolute dicuntur") adiiciat vocabula: „haec sunt quae — dicuntur" vel „sunt quae?"

13. „Terentius" sic fere legimus in scholiis „reliqua post scenam fieri vult." Sequuntur nunc ipsa scholii verba: „ne vel iusto longior fieret, vel in eandem propter rerum similitudinem cogerentur." Ritschelius post in eandem inserit „καταστροφὴν bini amores," quo facto observatio nascitur plane aliena ab hoc loco Scholiastaeque consilio.

17. Hoc scholion qui scripsit satis inepte post scenam peragi censet et alia et hoc: „Crito Chrysidis haereditatem, vacuam iam, agnita Glycerio a patre Chremete, sibi vindicat." Id autem post scenam fieri dicit Scholiasta: „ne vel parvo rei Critonis tractatu aut defraudatione Glycerii infuscaretur finis fabulae." Ubi verba parvo rei Critonis tractatu signi-

ficant: „nimia Critonis diligentia in sua pecunia repetenda." [1]) Mira, hercle, Latinitas! Klotzius pro parvo edidit parvae; male, ut opinor.

AD EUNUCHUM.

Prol. 9. Narrato Phasmatis Menandrei argumento sic pergit Scholiasta: „utrum ergo hoc dicat quod totam fabulam transferendo laeserit L. Lavinius, *an hoc tantum de quo reprehendat*, sed his signis velit ostendere quem dicat vitiose Thesaurum composuisse?" Vocabula inclinatis depicta literis corrupta sunt. Sensus, qui requiritur, huiuscemodi est: „an hoc quidem nomine non reprehendat —" (De coniunctivis in interrogationibus directis v. pag. 10). Haud spernenda ergo Westerhovii coniectura: „an hoc tantum dicat, non quo reprehendat." Sabbadinius ac (ex codicibus) dedit pro an, et quam dicat pro quem dicat. Qua ratione quid lucremur non video.

I, 2, 46. Potiorem apud Thaidem esse militem oportebat, quippe qui iam ante Phaedriam illam habuerit amicam. Hoc ubi docuit Scholiasta haec addit: „et hoc sine puella et munerum causa multum pro milite contra Phaedriam valet." Absurdissima oratio; corruptum tamen locum non puto. Hic enim sensus utcumque e verbis sine puella et munerum causa extundi potest: „etiam non accedente puella, quam miles ei dono dederit, vel argumento quod ante tot et tam magna ei ille donarit munera." Paulo elegantior fit oratio varia lectione puellae (pro puella).

52. „Vult ostendere quanto munere miles Phaedriae meruerat anteponi." Westerhovius: meruerit; correctio incertissima, vide pag. 10 de coniunctivis et indicativis in scholiis.

---

[1]) Belgice istud parvo rei Critonis tractatu sic vertendum: „door een kleingeestig behartigen zijner financieele belangen van de zijde van Crito."

63. Ad virginem animum adiecit] „cur hoc inferat? ut vel laedendi militis causa Phaedria patiatur eum quam amet et nolit virginem dono dare." Corrupta haec non videntur. Sensus enim est: „haud aegre feret Phaedria a milite dono dari virginem quam amet et (a se dimittere atque dono dare alii) nolit." Sed satis absurda annotatio, quaeque nullo modo conciliari potest cum prudenti ad vs. 62 annotatione: „Scit meretrix hoc solo amatores inimicos esse, quod idem diligunt."

83. Num solus ille dona dat?] „iam quasi quaestiones tractantur: sed ille munus advexit." Atra haec nocte obscuriora.

87. Quaesivi] „vide ut exhibeat aerumnas sibi difficilium munerum imposuisse meretricem." Pro exhibeat Sabbadinius coniecit: exaugeat aiatque. Vix mutatione opus: non enim incredibile videtur exhibendi verbum a Scholiasta hoc sensu poni: „magnis verborum ambagibus atque oratorie aliquid demonstrare."

88 sq. Porro Eunuchum dixti velle te,
Quia solae utuntur his reginae.

Annotatur: quia solae utuntur his reginae] „oratorie hic subdidit quod in ancillula praetermisit: quia nulla Aethiopissa honesta dici potuit." Sensu cassa haec. Legendum puto: „quia nulla de Aethiopissa honesta dicere potuit." (nulla honesta pro honesti nihil).

II, 1, 7. Sed numquid aliud imperas] „In his servus nihil vult nisi coactus facere propter maiorem dominum. Sic et alibi iubesne inquit, responderet ei Chaerea cogo atque impero." Corruptum locum opinor, neque multum proficimus varia lectione respondente (pro responderet), quam Klotzius et Sabbadinius receperunt. Legendum arbitror ut responderet. Significandum enim est quo consilio servus iubesne rogaverit.

11. Censen posse me obfirmare? (sc. ut ruri maneam in urbe relicta Thaide) Phaedria servum rogat. Annotantur et alia et haec: „ideo hunc putant non censere quia ipsa desiderat fieri." Sensu cassa. Melius quod est in Ms. Hulst.: „ideo hunc putat non censere quia ipse desiderat fieri," quod Westerhovius probat. Equidem fieri abesse malim: „quod servum vult et desiderat non censere, id eum non censere putat." Sabbadinius pro putat edidit puta, quod non intelligo.

14. „Nam ingratiis non ultro significat: quia ultronea ingrata sunt: ingrata quae ab inimicis fiunt ac recusantibus." Lege non ultro (utraque voce literis diremptis), et ultronea grata (pro ultronea ingrata), quod et Sabbadinius dat. Coniectura Westerhovii invitis pro inimicis fortasse opus non est.

II, 2, 1. Di immortales] „admirantis exclamatio est cum parasiti gesticulatione." Haud multis verbis opus esse videtur ad commendandam lectionem: „admirantis exclamatio est parasiti cum gesticulatione."

19. His ultro arrideo] „non sicut in parasitis fieri solet, ut his arrideatur a regibus, quum potius ipsi dictis factisque rideant alienis, hic esse intelligendum, etiam res ipsa indicat ex contrario. Nam quod ait supra his ego non paro me ut rideant hoc e contrario ostendit, quod subiiciatur ex dictis." Sententia haec requiritur: „arridere non est quod in parasitis fieri solet, ut non ipsi aliorum dicta factaque rideant, sed his arrideatur a regibus; hoc iam apparet ex ipso sententiarum nexu, quod enim prius dixit: his ego non paro me ut rideant, hoc e contrario ostendit (i. e. oppositione illustrat)." Ultima scholii verba, quae statim post istud hoc e contrario ostendit leguntur, haec sunt: quod subiiciatur ex dictis; corruptissima, sed palmari emendatione sanavit Sabbadinius. Legi enim iussit: „quod subiiciatur sed his." Sequitur enim apud poëtam: Sed his ultro arrideo.

Neque minus probo quod pro quum potius recripsit potius quam.

25. Ad originem nominum macelli et fori cupedinarii explicandam et alia e Varrone afferuntur et haec: „his (Numerio Equitio Cupite et Romanio Macello) in exsilium actis publicata sunt bona, et aedes ubi habitabant dirutae; eque ea pecunia scalae Deum Penatium aedificatae sunt. Ubi habitabant, locus, ubi venirent ea quae vescendi causa in urbem erant allata." Quod post aedificatae sunt legitur ubi habitabant, id inepte repetitum est e praecedentibus. Locus autem fere aedificium significat, verbisque „locus, ubi venirent ea quae vescendi causa in urbem erant allata" exponitur quo consilio Scalae Deum Penatium fuerint exstructae.

„Omnes qui esculenta et poculenta vendunt a rebus cupedinis ob alimentum cupedinarii appellantur." Corruptum locum egregie correxit Sabbadinius includendo ob alimentum.

38. Hice] „pro hi vetuste. Virgilius:

His certe neque amor causa est: vix ossibus haerent.

Quia hisce debebat dicere." Non tam sunt haec absurda quam primo aspectu videntur. Sic enim Virgilii versum accipere Scholiastam censeo: neque amor causa est in parenthesi sunt posita et his nominativus est pro hisce: metri enim et euphoniae causa syllaba ce abiicienda fuit.

39 sq. Plurima salute Parmenonem
Summum suum impertit Gnatho.

Sic Parmenonem parasitus alloquitur. Annotatur „haec tota locutio, parasiticae elegantiae et simul εἰρωνείας plena est. Nam et plurimam dicit ei salutem, quem ne exiguam quidem velit continere e. q. s." Corruptum locum aut ita corrigendum censeo ut pro continere legatur obtinere, aut pro quem — continere reponendum cui — contingere.

51. Age modo nunc tibi patent fores hae quia istam ducis.

Flebiliter haec a Parmenone dicuntur. Annotatur: „ex eo

quantum licere oportuit ostendet, quam misere nihil liceat Parmenoni." Equidem hanc propono lectionem: „ex eo quantum liceat parasito ostendit et quam misere nihil liceat Parmenoni." Sabbadinius vero locum sic refinxit: „*Age modo* <*i*> *nunc tibi patent hae fores*] ex eo quantum Parmenoni licere <ire> oportuit ostendit, quamvis ire nihil illi liceat." Quam vellem suo ingenio hic usus esset vir praestantissimus: nam nunc illos imitatus videtur, qui codicum lectiones coacervant, si forte ex illarum ruina vera lectio colligi possit.

56. *Nequis forte internuntius*] „ex his verbis datur intelligere parasitum e domo meretricia egredi." Non ex verbis quibus utitur parasitus id apparet, sed ex eo quod iterum Parmenonem alloquitur cum paulo ante Thaidis aedes intraverit.

II, 3, 9. *Praeut huius rabies quae dabit*] „*prae* ex comparatione significat. Ergo proprie; et est integra locutio et ordo est: praeut illa sunt quae huius rabies dabit." *Est* quod post *ordo* legitur utique abiiciendum; non legi in codd. T. v. Sabbadinius nos docet. De *proprie* v. ad II, 2, 56, ubi legitur: „proprie internuntius."

Auditis Chaereae verbis Parmeno exclamavit:

o infortunatum senem!
Hic vero est qui si occeperit,
Ludum iocumque dicet fuisse illum alterum,
Praeut huius rabies quae dabit.

Annotatur: „hic ex parte characteris inscius quidem est personae Chaereae, quem moribus coniicit servus ardentiorem in amorem fieri posse." Aut corrupta haec sunt aut pronomine *hic* pater Chaereae significatur. Sabbadinius coniicit: *hoc ex parte characteris istius quidem est.* Quo sensu? obsecro.

„Et hic ostenditur iampridem motus in res Venereas Chaeream." Rectissime Sabbadinius *Chaerea* pro *Chaeream*.

15. Qui vir sies] „non si vir sies sed qui vir sies quod est ἐμφατικώτερον. Si quaesisset quidem qui vir sies, an debeat praestare qui virum se sic monstraturus est." Obscurissima haec, nec multum nos adiuvat Sabbadinius omittendo: si quaesisset quidem qui vir sies et vocibus an debeat in novi scholii initio ponendis.

28. „Non enim quia Chaereas est, sed quia amator, de se cupit facere quemadmodum potiatur." Egregie haec Sabbadinius plorare iussis codicibus emendavit legendo: „dicit se parvi facere pro de se cupit facere.

56. Alias res agis] „...hinc natum agite amabo." Lege: hinc natum hoc agite amabo. Respicitur enim I, 2, vs. 50, ut recte Sabbadinius monet.

73. Chaerea Eunuchi fortunam praedicat qui quidem in hanc detur domum. Iure hic Scholiasta Terentii artem admiratur, qui inventum illud de Chaerea pro Eunucho deducendo sic sponte nasci faciat. „Quid" ait „facilius quam imitari velle quod laudes (l. laudas), nec quisquam, nisi qui cupit, eligitur pro Eunucho, qui Eunuchum putat esse beatum." Verba qui Eunuchum putat esse beatum inepta sunt repetitio verborum qui cupit atque inepto loco posita. Eligitur pro Eunucho haud dubie corruptum est. Audacter (nimisque audacter fortasse) Sabbadinius sic sententiam, qua opus est, restituit: „laudes? numquid mirum si cupit deduci pro Eunucho qui Eunuchum putat esse beatum."

83. Facile ut pro Eunucho probes] „probes ut migrantes cernas (Virg. Aen. IV, 401). Aut probes persuadeas. Et simul honeste non dixit quod erat rectum ut Eunuchum probes sed pro Eunucho, ne esset contumeliosum in Chaeream." Verbis: probes ut migrantes cernas nil aliud demonstratur quam quid sibi 2ª pers. coni. velit (nempe possis probare vel potius aliquis possit probare). Quae sequuntur diversissimi sunt generis, ergo aut delendum.

Cetera hoc significant: „non dixit: facile aliquis te probet ut Eunuchum, sed ut pro Eunucho (tamquam aliquem pro- Eunuchum). Ergo hoc in tota annotatione primarium est ut non esse ὥστε sed ὡς vel ὥσπερ.

III, 1, 12. Credere omnem exercitum] „magis ridebis si consideres militem notum esse qui..." Excidit scholii pars ultima; praeterea militem notum corruptum est; latet in eo aliquid, quo certus quidam gradus militiae significatur. Vide sequens scholion: „sub obtentu militis ea stultitia descripsit breviter comitem regium acceptumque imperatori."

19. Immo nullorum arbitror si tecum vivit] „hoc aversus ne miles audiat. Potest tamen et aliter intelligi maxime cum milite." Sensu cassa haec. Coniicio maximo (pro maxime): „tecum maximo cum milite." Si miles verba parasiti audit sic ea accipere debet: „tecum omnium militum summo vivere velle, id est ceteros omnes mortales aspernari. Quis enim tui similis?"

Scholion ad vs. 32 et initium scholii ad vs. 34 recte a Westerhovio sunt emendata, item sch. ad vs. 40.

III, 2, 10. Bene fecisti subito conspecto Parmenone Thais dicit. Annotatur: „quid bene fecit? ...an quod illuserit convicio?" Haec quis intelligat? Propono: an quod distulerit convivium? i. e. „an ideo laudat Parmenonem Thais quod adventu suo moras fecerit odioso isti convivio apud militem, quo iam abitura erat." Cf. quod ad hodie in scholio sequenti annotatur: „dulciter additum hodie, quasi cum exceptione, quo se significat non perpetuo obsecuturam militi."

11. Dona adsunt tibi a Phaedria. Sublata haec voce Parmeno loquitur. Annotatur: „cum illa sub pronomine celaverit nomen militis ex arte Parmeno pronuntiavit a Phaedria." Haud illepida mihi videtur haec emendatio: aperte pro ex

arte. Thais modo hunc dixerat, non, militem, at Parmeno Phaedriam nominare non veretur.

19. Accede huc! Simulatum hoc iubet Eunuchum Parmeno. Annotatur: „Vultu eo dicitur quo debuit dicere, et dicto aemulorum laesus et confidentia destitutus, velut in eo dumtaxat conspectu Chaereae confidens." Corruptum in eo; Klotziana in eos, haud male, si sic accipias „adversus aemulos."

III, 3, 31. Amabo ut illuc transeas, ubi illa est] „vide non esse otiosum, quod omnia praetenta sunt potius quam res importuna fieret." Pro praetenta lege praetentata. Sic omnia praetentata dictum erit eo sensu quo notum illud Ovidianum: „cuncta prius tentata."

III, 5, 10. „Facete repetit verba eius interrogationis." Pro interrogationis lege in interrogatione. Dixerat enim Chaerea (vs. 5—8):

Sed neminemne curiosum intervenire nunc mihi,
Qui me sequatur quoquo eam, rogitando obtundat, enecet.
Quid gestiam aut quid laetus sim, quo pergam unde [emergam, ubi siem
Vestitum hunc nactus, quid mihi quaeram, sanus sim [anne insaniam.

Nunc Antipho rogat:

Chaerea quid est quod sic gestis? quid sibi hic vestitus [quaerit?
Quid est, quod laetus es? quid tibi vis? satin sanus?

49. „Licet iocanti et amico officium iocunde facere." Si officium facere hic est: narranti alicui praebere aurem, satis perspicua annotatio est, dummodo pro iocunde legamus iocantem. Klotziana convicium habet pro officium; ad sensum rectissime: asinum enim Chaeream Antipho vocat.

Sed vel sic iocantem legendum pro iocunde. Non enim serio sed ioco eum asinum appellavit.

56. An ego occasionem
Mihi ostentatam, tam brevem tam optatam, tam insperatam
Amitterem?

Chaerea rogat. Annotatur: „vide quanta dixerit; non voluntatem, sed occasionem." Immo voluptatem.

IV, 1, 11. Heus, puer, Pamphilam arcesse miles ait. Annotatur: „non provoca, sed arcesse, quia non est aptum militi." Nullam unquam vidi praestantiorem emendationem quam haec est Westerhovii: „n. p. s. a. quia non est apud militem." Pamphila enim Thaidis domi erat, atque inde arcessi poterat non provocari: provocamus enim eum qui nobiscum est in iisdem aedibus.

IV, 3, 6. Ut ego unguibus facile illi in oculos involem venefico. Pythias ait. Annotatur: „nonne credis Pythiam id comminari quod a virgine minus factum sit? quod quia puella non potuit?" Obscurissima haec. Hoc solum intelligo Scholiastam in Pythiadis dictis obscoeni aliquid latere suspicari.

IV, 4, 57. Thais iam aderit] „bene dixit aderit, huic enim aderit Thais." Haec quid sibi volunt?

Neque magis perspicuum est quod ad quia cum inde abeo annotatur: „aliam causam ex alia supposuit, quasi diceret video causam."

IV, 7, 6. Postquam dictum est manipulum esse sub centurione, sequitur: „merito ergo centurionem videns manipulum desideravit, hoc est coquum videns convivas desiderat: qui apparaverat, quoties locus affuit, id est convivium est constitutum." Augiae hoc stabulum videtur, sed purgatur fere

Klotziana lectione: „qui apparuerant, quoties coquus affuit, vel quoties convivium est constitutum." Malim tamen apparuerunt. Perfectum autem in verbis apparuerunt, affuit, est constitutum rem significat, quae antehac semper facta sit. Conclamat miles eos qui praesente coquo abfuerunt nunquam. Praeterea non legendum vel quoties convivium est constitutum sed: id est quoties c. e. c.

V, 3, 9. Eccum Parmenonem incedere video] „res odio dignior, novitate scilicet incessus." Sensus hic latet in verbis corruptis: incedendi verbum et substantivum incessus de superbo ac arroganti homine adhibetur.

V, 5, 19. „Pythias" Scholiasta ait „laborans ad contradicendum amitteret fidem supplicis personae." Ingeniosissime rectissimeque Westerhovius pro supplicis reposuit simplicis.

V, 6, 1. „Firmatur mentis status trepidantis senis ut appareat quam inopinato." Haud dubie corrupta haec. Requiritur sententia: „firmus mentis status (depingitur minime) trepidantis senis" i. e. „senex verbose placideque secum loquitur ut qui mali metuat nihil."

24. Num quid est aliud mali damnive] „Cum damnum malum sit, de proximo collatum discernitur." Sic accipio: „damnum malum quidem est, sed si proxime inter se haec vocabula ponuntur, discrimen nascitur."

V, 8, 1. „Et supra quum ad litem venitur, ex verbis Thrasonis manifestum est et Gnathonem invitum sequi." Quantocius alterum istud et expellendum.

V, 9, 20. Hoc scholion et quod sequitur bene a Westerhovio sunt restituta.

39. Ad verba parasiti:

Principio ego vos credere ambos hoc mihi vehementer velim
Me huius quidquid facio id facere maxime causa mea.

Annotatur: principio ego vos] „videt neque se odio haberi neque offendi animos audientium in militis nomine." Pro altero neque legatur et: haec omnia parasitus dicit quum sciat militem ferri a nullo praesentium posse, se vero illis non adeo odiosum esse.

62. Ad verba militis:

Nunquam etiam fui usquam quin me omnes amarent plu-
[rimum

annotatur: „contrarium superiori. Quid est enim quod bene non fecerit quicquam, si in illo est ut ametur?" Dele non et pro quicquam lege quisquam: aptissima haec nascetur sententia: „Si a natura hoc habet miles ut omnes eum ament, nemo bene fecit" id est nemini gratiae sunt agendae (id quod tamen facit miles dicendo: bene fecistis), quod eum aliquo afficiat beneficio.

AD ADELPHOS.

Prol. 8. In Graeca adolescens est] „Diphili scilicet, quasi diceret: Quidam adolescens est qui lenoni eripuit meretricem." Ista quid sibi volunt?

10. Reliquit integrum] „quum aliam transferret." Fieri potest ut sana haec sint: aliam enim h. l. vim habere videtur τοῦ ceteram: cum ceteram Diphili fabulam transferret, hunc unum locum non tetigit.

14. Reprehensum] „retentum, resumptum." Pro retentum legendum est receptum. Synonyma inter se sunt prehendere, capere, sumere, sed tenere diversissimi est generis.

15. sq. Nam quod isti dicunt malevoli, homines nobiles
Eum adiutare assidueque una scribere.

Assidueque una scribere] „non sic dicit adversarius, sed hic oratorie crimen non tangit." Mirum hoc officium oratoris crimen ab adversario prolatum non tangere. Res ipsa declarat quid sit legendum. Revera Terentii adversarii dixerunt interdum vel saepe eum a nobilibus adiutum, non semper vel assidue. Terentius autem, quo melius illud crimen refellat, id facit quod oratores solent, ut augendo atque exaggerando prius reddat ridiculum. Pro non tangit autem extat varia lectio impingit, in quo latet verbum aptissimum ad significandum id quod dicebam: intendit.

23. sq. Senes qui primi venient, ii partem aperient:
In agendo partem ostendent.

Ad verba in agendo partem ostendent annotatur hic esse ἀποσιώπησιν, quae annotatio hoc, ut opinor, sibi vult: verbi ostendent omissum esse subiectum iidem. Quae sequuntur: „hic enim iam non senes accipiendi essent immo potius ceterae personae" nunc sic accipienda sunt ut essent sit: alioquin (nisi per ἀποσιώπησιν locum interpretaremur) essent. Nunc apte haec adduntur: „sed ipsi senes in statario charactere partem aperient, in motorio partem ostendent."

I. 1, 1. Storax] „nomina personarum in comoedia habere debent rationem et etymologiam. Etenim absurdum est, comicum aperte argumenta confingere, vel nomen personae incongruum dare, vel officium quod sit a nomine diversum." Pro confingere legendum videtur confingentem: „cum dubium non sit quin comicus ipse suo arbitratu argumenta confingat, absurdum sit eum personis dare nomina officiaque inter se certantia."

Sequitur: „Nisi per ἀντίφρασιν nomen imposuerit iocolariter, ut Mysargyrides in Plauto dicitur trapezita. Et fere hoc

modo apud alios a poëtis nomina componuntur describenda per ἀντίφρασιν, quod designat Storax." Post Storax excidit illius nominis explicatio; describenda autem hic significare debet explicanda, accipienda, interpretanda. Pro apud alios a poëtis denique legendum censeo apud alios poëtas, quod recte opponitur praecedenti in Plauto. Nata autem corruptela e duarum lectionum apud alios poëtas et ab aliis poëtis confusione.

2. Ierant] „producte I pronuntiando" Lege: pronuntiandum.

Sequitur: „quod nos addita v iverant dicimus: tale est illud Virgilii:

Nos abiisse rati et vento petiisse Mycenas."

Bona annotatio, quam compilatoris corrupit stultitia. Olim haec legebatur sententia: „Sine v litera i corripi solet, ut apud Virgilium: nos abiisse e. q. s., sed cum v produci."

3. Si absis uspiam] „abundat uspiam, aut deest profectus, aut ubi uspiam." Pro aut ubi uspiam legendum: aut uspiam ubi (i. e: aut uspiam hic idem est quod ubi). Klotziana habet aut ibi et ab his vocabulis novum scholium orditur. Minus recte, ut opinor.

4. Si cesses] „ad uxorem iratam refert in desertorem." Hic quoque bonam observationem depravavit stultus compilator. Hoc enim commentator voluit: „cessare proprie de desertore dicitur, nunc odioso isto verbo irata uxor utitur de marito."

15. Atqui ex me hic non natus est sed fratre ex meo.

Sed ex fratre] „hoc est omnino non alienus est." Lege: „non omnino alienus est."

16. Clementem vitam] „figura ipsa." Misellae hae sunt reliquiae huiuscemodi scholii: „Figura (sequebatur nomen figurae): non enim ipsa vita clemens est, sed clementem facit."

19\. sqq. ille contra haec omnia
Ruri agere vitam: semper parce ac duriter
Se habere, uxorem duxit: nati filii.

Ad vs. 20 annotatur: „contra haec omnia suffecerat brevitas." Ridicula corruptio: contra haec omnia e versu 19 citatur. Abiiciendum ergo istud brevitas, ut haec nascatur sententia: „cum dixerit: frater contra haec omnia, non opus erat singula haec: ruri agere vitam, uxorem duxit, nati filii enumerare."

Uxorem duxit] „adiuvandum pronuntiatione est, ne singula utrinque assecuti videantur." Quomodo corrupta haec corrigam non habeo.

32\. sq. Pudore et liberalitate liberos
Retinere satius esse credo quam metu.

Annotatur: „pudore ad liberos retulit, liberalitate ad parentes. Argumentum a coniugatis." Quid ultima haec argumentum a coniugatis significant? An: „in ipsa verborum copulatione inest argumentum?" Liberalitate enim adversus liberos opus esse ex ipsis vocabulis apparet.

33\. „Vitia filios retinent quos retinent patres." Lege cum Westerhovio: Vitia filios tenent. Klotziana praeterea: „quos non retinent patres" habet. Equidem huiuscemodi olim fuisse totum scholion suspicor: „vitia filios tenent, a vitiis retinent patres."

45\. Dum id rescitum iri credit tantisper cavet.

Sch.: „bene cavet quasi malo." Haud dubie vera est antiqua lectio malum.

50\. De tota hac Micionis disputatione, qua suam adversus filium adoptivum lenitatem defendit, annotatum invenimus: „vide quemadmodum suum ad indulgentiam affectum revocet optimae disciplinae." Potestne revocare dici adscribendi sensu? Hoc enim opus hic est: quod sponte fecit Micio, qui leni animo natus est, id se de industria fecisse fingit, ratum hanc esse optimam disciplinam.

I, 2, 6. Omitto] „παράληψις." Immo παράλειψις. Saepe sic in Donati editionibus peccatur.

21. „Quod cum aliis grave propositum est, hoc solum dicendo leve reddit, id est fores effregit." Sententia est: „cetera Aeschini facinora alio appellat nomine Micio; hoc autem (fores effregit), quod grave fieret delictum, si simul cum ceteris Aeschini peccatis commemoraretur, leve reddit separando.

24—27. Tu nunc tibi
Id laudi ducis, quod non fecisti inopia?
Iniurium est, nam si esset unde id fieret
Faceremus.

Ad vs. 26 annotatur: „non est necessario consequens, sed probabiliter admittitur apud oratores." Lege: ut apud oratores: hoc non necessario sequitur, sed tamquam probabile sumitur, ut oratores facere solent.

29 Ubi te exspectatum eiecisset foras.

Expectatum] „odiosum et malae vitae." Pro malae varia lectio est molestae, quam recepit Klotziana. Mihi utrumque displicet. Lego: „odiosum et male vivum (i. e.: quem vivere etiam et ipsi et aliis molestum est).

56. „Rusticani stomachi est repetere semper verba quae invitus alius audierit." Non corruptum audierit sed dictum ita ut Graece ἀκούσειεν ἄν. Excidisse tamen opinor semel post audierit.

71 sq. Dixit velle uxorem ducere:
Sperabam iam defervisse adolescentiam.

Sch.: „mire non dixit: sperabam illum iam corruptum." Pro corruptum lege correctum: non magistri morum instar Micio loquitur, sed hic quoque lenissimi patris sermone utitur.

II, 1, 5. Quamquam est scelestus, non committet hodie
[unquam iterum ut vapulet.

Iterum ut vapulet: „minaciter poëta priorem litem su-

stulit dicendo iterum: ut non eadem lis esset, de qua supra Demea questus est, sed instaurata nascatur." Corrupta haec adeo ut de emendatione desperem.

Eadem videtur conditio scholii ad vs. 11:

Novi ego vestra haec: nollem factum, iusiurandum [dabitur te esse
Indignum iniuria hac,

ubi praestare dicitur separatim legere iusiurandum dabitur et separatim te esse indignum iniuria hac, hoc argumento: „verba enim satisfaciunt; quum res colligitur in generalibus causis, nam saepe irae ac lites iureiurando sunt terminatae."

23. Certam esse formulam, qua is utatur qui nil debeat, non me novit Scholiasta docet, additque: „non quod ignoretur, sed quod in iure non cernatur." Alteram horum partem corruptam censeo.

29. Scholion: „quasi diceret, ubi non est, quando Aeschinus loquitur" ingeniosissime a Westerhovio distinguitur et explicatur: „quasi diceret: ubi non est. Quando Aeschinus loquitur." Vult enim Donatus Sannionem plura dicturum fuisse, sed ab Aeschino interpellatum tacuisse."

37. Minis viginti tu illam emisti: quae res tibi [vortat male.

Scholiasta: „adiicit contumeliam, quasi et hoc multum sit et inimicum." Hoc est: pro ancilla solvere lenoni pretium quo empta est; inimicum corruptum videtur; requiritur fere: non ferendum. An iniquum?

46. Homini misero plus quingentos colaphos infregit mihi.

Schol.: „... et flebiliter pronuntiandum est: hoc enim exprimitur, ut tamen incuset in alieno facto fortunam suam. Et vide quantum hoc distet ab illo quod supra dicebat: istuc volo ergo ipsum experiri: hoc quia solus est, illud quia cum adversario." Sensus est: „quamquam de facto Aeschini

loquitur, tamen quid sibi evenerit eo demonstrat; inde flebilis exsistit oratio, planeque diversa ab ea, qua supra de eadem re actum est: hic enim leno solus loquitur." Hoc enim exprimitur vereor ut sanum sit.

II, 2, 1. sq. His verbis Ctesiphonem lenonis vindictam metuentem confirmat Syrus:

Tace, egomet conveniam iam ipsum: cupide accipiat faxo, [atque etiam
Bene dicat secum esse actum.

Bene dicat secum esse actum] „actum recte additum est." Primum scholii verbum inepte e lemmate repetitum. Verbis enim quae sequuntur: „nam multa etiam cupide accipimus, ita tamen ut male nobiscum esse dicamus actum" demonstratur non actum recte esse additum sed bene dicat secum esse actum.

2. Tum ad lenonem conversus: „Quid istuc Sannio e. q. s." ait. Schol.: „Vide quam ingeniose Terentius, qui supra ab Aeschino lenonis nomine facit Sannionem vocari, utpote ab homine arroganti et feroci ob aetatem et negotium, at hunc blande circumvenientem honorificentius inducit cum lenone loqui et Sannionem eum vocare." Post negotium inserendum videtur alienum. Ferox enim adversus lenonem fuit Aeschinus, et quia iuvenis est et quia non sua res agebatur.

9 sqq.

Metuisti, si nunc de tuo iure concessisses paululum atque
Adolescenti esses morigeratus, hominum homo stultissime,
Ne non tibi istuc foeneraret?

Sannionem haec rogat Syrus. Schol.: „bene tuo iure, ne diceret: non erat res mea quam venalem habui." Sententia est: „periculum erat ne leno, ut in Phormione ille diceret: non est mea, iam vendidi alii."

Respondet leno: „ego spem pretio non emo.'' Hic Syrus: „nunquam rem facies.'' Ad quae verba annotatur: „leno quidquid agit ad lucrum refert: et sic lucri genus dicit esse Syrus a lenone, quemadmodum persuadet.'' Sensu cassa. Propono: „leno quidquid agit ad lucrum refert, et sic spem lucri genus dicit esse Syrus lenoni quem ad morigerandum persuadet.''

18. „Nunc'' Syrus ait „ancillam tuam Ctesiphoni vende quanti est empta; peregre tibi proficiscendum scio:

ubi illinc, spero, redieris, tamen hoc ages.''

Ad ubi illinc, spero, redieris annotatur: „ex spe sua vult Syrus ostendere quid leno debeat sperare, id est, non se accepturum modo.'' Haec non intelligo; periisse hunc scholii finem suspicor: „pecuniam, sed etiam de reliquo acturum.''

20. Inieci scrupulum homini] „hoc leno non audit; simul enim dicitur quum ille clamat. Et ideo simul legi non potest.'' Ultima sic scripta sunt ab eo qui in clara luce caecutiret. Integri scholii haec fuit sententia: „quamquam quae Syrus dicit et quae Sannio clamat deinceps leguntur, tamen in scena simul sunt pronuntianda. Syrus enim secum loquitur et ita ut Sannio non audiat.''

36. Omnes dentes labefecit mihi] „iniuria lenoni tunc dolet, quum adiuncta damno est: ut supra:

quando eum quaestum occeperis

Accipienda et mussitanda iniuria est adolescentium.

Vel idcirco enumeratis contumeliis adiecit: etiam insuper defrudet?'' Pro vel idcirco legendum est et idcirco.

Sequitur: „et vide ut eadem quae dixit supra repetat, sed ardentius tamen et cum αὐξήσει. Sic Virgilius in maius repetit, quod non semel dicit.'' Aut locus e Virgilio citatus hic excidit, aut, id quod verisimilius videtur, ipsum Virgilii nomen vitio natum est.

44. In Westerhoviana obscurissima hic legitur annotatio de novis personis in scenam prodeuntibus, quarum adventu quaestio

aliqua dirimatur. Quam Klotziana exhibet, ea facilem habet intellectum praeter ultima haec, quae ei sunt cum Westerhoviana communia: „mire tamen, quod quasi ex argumento sit, ut futuri actus sui, antequam loqui incipiant, describantur,” ubi neque tamen neque ex argumento sit sanum videtur.

45. Rogavit leno: „quid quod te oro?” Syrus nil nisi: „paulisper mane” respondet. Hic et alia annotantur et haec: „quam bene fastidiosum lenonem facit Syrus.” Immo vero: „quam bene fastidiosum facit (sc. poëta) Syrum.” Roganti nullum dare responsum sed manere eum iubere arrogantis est et fastidiosi. Talis autem Syrus a poëta depingitur, leno vero tamquam demissus planeque ταπεινός. Sequuntur haec: „nam et supra non intendenti dicit toties in uno sensu hoc idem Syrus de amica. Potest hoc interrogative pronuntiari.” Scribo: „nam et supra non attendenti dicit toties in uno sensu hoc idem Syro.” A vocibus autem de amica novum incipit scholion, quod suo loco motum est. Ad verba enim praecedentia: laetus est de amica pertinet. Verbis denique in uno sensu hoc idem parum eleganter nimisque fuse significatur aliis verbis idem supra saepe iam dixisse lenonem. An corruptum in uno sensu?

II, 3. Quid ego nunc te laudem?]: „quia laus genus causae est, quod non adhibetur nisi dubiae rei.” Quid haec sibi volunt?

6. Ctesipho secum fratris de se merita postquam extulit haec addit:

> Itaque unam hanc rem me habere praeter alios praeci-
> [puam arbitror,
> Fratrem homini nemini esse primarum artium magis
> [principem.

Annotantur et alia et haec: „si distinxeris fratrem, erit bis

ut arbitror, subaudiendum." Immo vero: „erit bis arbitror subaudiendum."

Sequitur: „hanc sane locutionem scire debemus, propter personam elaboratam." Multum hic sudarunt critici; verum dele virgulam post debemus, sanissima erunt omnia. Persona elaborata nihili est, sed locutio est elaborata propter personam, i. e. ut moribus conveniat personae quae ea utitur.

7 sq.

Sy. O Ctesipho! *Ct.* O Syre! Aeschinus ubi est? *Sy.* Ellum
[te exspectat domi. *Ct.* Hem.
Sy. Quid est? *Ct.* Quid sit? illius opera, Syre, nunc vivo,
[festivum caput!

De festivum caput postquam dixit esse qui illis verbis significari putent non Aeschinum sed initium orationis, quo Ctesipho utitur, haec addit Scholiasta: „quod si est, nihil potest supra hanc laudationem, nam supra hoc factum erit accipiendum." Merae tenebrae! Aliquid tamen lucis afferre possum: pro supra hoc factum haud dubito quin Syri hoc dictum sit legendum. Et fortasse sic totus locus persanatur. Raro enim laudat Syrus, ergo eius laudes maioris sunt pretii quam ceterorum omnium.

9 sq.

Quin omnia sibi postputavit esse prae meo commodo:
Maledicta, famam, meum amorem et peccatum in se
[transtulit.

Scholiasta: quin omnia] „admirative quin, et sic pronuntiandum quin, τὸ παρέλκον usque ad maledicta, famam." Corruptissima haec atque sic fere emendanda: „admirative quin et pronuntiandum" (pronuntiandum autem significat: „voce gestuque actoris adiuvandum," v. p. 105). Deinde novum sequitur scholion: „τὸ παρέλκον usque ad maledicta, famam," i. e. „post omnia παρέλκει maledicta, famam,

sed non ultra procedit τὸ παρέλκον, nam meum amorem et peccatum sunt verbi transtulit obiecta."

II, 4, 1: „oportet autem mene quaerit cum quadam gesticulatione et subsultatione sperantis lenonis, ad hoc se quaeri ut accipiat, pronuntiare." Immo pronuntiari, ut opinor.

10. Stultitia est istaec] „hoc scilicet fateri ei qui ipse patri nunquam quidquam celaverit." Immo non fateri (id enim magis arridet quam Westerhovii coniectura celare).

12. Quid ait tandem nobis Sannio?

Schol.: „nobis τῷ ἰδιωτισμῷ (i. e. dativi ethici sensu) additum est; non enim nobis intelligendum est." Immo nobis ait: dativus ethicus est nobis, non dativus obiecti remotioris.

14. Ne tam quidem] „tam pro tamen, et deëst dicas me properare, ut sit etiam adverbium hortantis vel consentientis." Intelligi haec non possunt nisi etiam alio genere literarum depingatur. Est enim vocabulum e textu poëtae (vs. 15):

Quamvis etiam maneo otiosus hic.

18. Ne si magis irritatus siet] „velut clamet scilicet." Hoccine vult: „post ne exspectes verbum quale est clamet"? An in ea voce latet canis? Nam bis idem in uno scholio dici mirum non sit.

III, 1, 4. Neminem habeo] „quid enim opus est? aut cur nunc quereris?" Interpellat his verbis Scholiasta Sostratam, ut demonstret (id quod supra ponitur) mulieres, cum querantur, multa coacervare quae a loco sint aliena.

ib. Solae sumus] „nunquam pluraliter solae." Inepte hic compilator sententiam corrupit quae in sequenti scholio legitur: „quum hoc nomen singularitatis sit, mire solae pluraliter dixit."

8. Scholion ad hunc versum egregie emendavit Westerhovius legendo: „et sic maluit dicere, quum non Aeschino culpam

sed potius casui attributam velit" pro „et sic maluit dicere quam nunc Aeschino culpam, sed potius casui attributam vellet."

10. „Et genus iam ad vivos pertinet, familia etiam ad defunctos." Estne iam hic idem quod tantummodo? Et quid tota sibi haec vult doctrina?

III, 2, 8.

Quem neque fides, neque iusiurandum, neque illum [misericordia
Repressit neque reflexit.

Schol.: „sic hoc dictum est ut a Virgilio:

Num fletu ingemuit nostro, num lumina flexit?
Num lacrimas victus dedit, aut miseratus amantem est?

Ut si non potuit reprimi ne faceret, saltem ut in peccando esset mitior, debuit commoveri?" Quoniam sequitur: sed melius quod supra, pro ut si non potuit legendum est aut si non potuit, quodque post illud aut legitur novam continet explicationem (vel verbi repressit vel reflexit).

16. Egregia emendatione Westerhovius hoc scholion sanavit pro bracchiaque et cetera vitia legens: „bracchiaque et cetera. Vindicta e. q. s."

18. Sublimem] „ista poena." Corruptum; neque quidquam prodest coniectura ipsa poena.

23. Te ipsam quaerito
Te exspecto: oppido opportune te obtulisti mihi obviam.

Scholion ad hunc locum sic refinxit Westerhovius: „incerta distinctio utrum te exspecto oppido opportune sit dicendum an exspectare sit impatienter cupere, et sine praescriptione temporis, sperare iuxta certum tempus." Laudo Westerhovii operam, sed integrum scholion restituisse non videtur. Etenim inter an et exspectare excidisse suspicor: 1°. alterius distinctionis significationem, 2°. „altera haec distinctio vera est cum e. q. s."

46. Peiore res loco non potest esse, quam in quo [nunc sita est.

Primum indotata est.

Sostrata de filia vitiata haec conqueritur. Ad primum indotata est annotatur: „ratio subiecta est causae." Nihil horum intelligo; an pro causae legendum est querelae vel tale quid?

III, 3, 8. Hic omnino inspiciatur Westerhovii editio, qui feliciter emendando prudentem hanc restituit observationem: „ordo est nobilium, grex obscurorum hominum."

40. Nihil nisi sapientia est] „ridicule prius additum nihil quam quicquam laudis nomine." Hic haereo, cum praesertim non liceat iungere priusquam. Sequitur enim deinde.

42. Sineres] „ab argumento fabulae repetit sinerem." Non intelligo. An forte haec est sententia: „verbum sinerem desumptum ex initio fabulae (vs. 108), ubi argumentum exponitur"?

50. Vitiosum ad hunc versum scholion sanare non contigit Westerhovio, nisi quod in verbis: „adoriri est quasi aliquem oriri id est exsurgere" rectissime probavit egregiam Wielingii emendationem ad aliquem pro aliquem.

55. Lacrimo gaudio] „recte additum est gaudio, quia lacrimae solum moerorem significant." Wielingius pro solum legit solae. Praestat ut opinor pro lacrimae — significant legere: lacrimare... significat.

84. Egregie scholion ad hunc versum correxit Westerhovius pro: „bene autem dubitat et familiam inveniat civem et multum absens a conspectu civium" legendo: „bene dubitat an familiarem inveniat civem, ipse multum absens a conspectu civium."

III, 4, 8. „Quomodo accipimus haud sic auferent? an factum suum auferent sic; an si correxerint culpam, non silentio

transituros ipsos, vel ipsum quod factum est." Westerhovius pro si scribi iussit nisi, sed vel sic cetera sensu cassa videntur.

10. Quid sibi vult haec observatio: „parens veri amoris nomen est et aequali loco continet interpretationem?"

12. „Si deseris nos" Geta ait „perimus." Respondet Hegio:

Cave dixeris.

Neque faciam, neque me satis pie posse arbitror.

Ad neque — arbitror annotatur: „honesta locutio, qua significat, quidquid fecerit pro pietatis debito illis merito parum esse." Corrupta videntur lenique emendatione in integrum restituenda. Pro parum enim factum rescribo.

17. Neque boni

Neque liberalis functus est officium viri.

Neque boni] „quasi id quod est, velit quod esse debet." Optime Westerhovius: quia is prodest vel prodesse debet.

25. Aeschini peccatum sic Hegio describit reprehenditque: „Simuli amici nostri filiam vitiavit:

ubi scit factum, ad matrem virginis
Venit ipsus ultro lacrumans, orans, obsecrans,
Fidem dans, iurans se illam ducturum domum.
Ignotum'st, tacitum'st, creditum'st, virgo ex eo
Compressu gravida facta'st: mensis hic decimus est.
Ille bonus vir nobis psaltriam, si dis placet
Paravit quicum vivat; illam deserit.

Annotantur et alia et haec: ubi scit factum] „id est intelligit et sentit, quia supra futurae peccaverit." Eleganter Wielingius: „id est intelligit et sentit, quid sua persuasione peccaverit."

35. „Proferendi Getae haec maxima causa est e. q. s." Aut corrupta haec sunt aut proferre vim habet extollendi.

61. „Sollicita obsequela Hegionis, ultima in loquendo." Immo ultimi. Anxie et sollicite cavet Hegio ne arrogantior videatur: ergo semper loquitur ultimus.

IV, I, 13. „Vide magistrum ad nequitiam, ut simplici adolescenti mentiendi viam demonstret, et honestum tentet afferre argumentum ad mendacium: propter clientem, amicum aut hospitem in urbe cessare visum." Pro cessare visum lege cessavisse. Hoc enim mendacium servus adolescenti commendat: „propter clientem, amicum, hospitem in urbe cessavi."

IV, 2, 21. „Mire Terentius eos ipsos, qui falluntur, ex aliqua parte cautos facit, ut eo delectabilius spectatoribus procedant doli. Nam quae gratia est aut delectatio non stultissimum falli?" Omnino non, quod ante stultissimum legitur, delendum est, ut stultissimum sit: plane et sine ulla exceptione stultum.

25. „Laudo, Ctesipho, patrissas" verba haec sunt Demeae senis illius nimis severi nimisque suae sibi sapientiae conscii. Annotatur: patrissas] „attende quam bene inventum sit inanem se dicere. Nonne videtur ibi stultissimus, cum huiusmodi laude non modo se non laudare velle, quod odiosum est, sed etiam filium apud intelligentes vituperare videatur." Emendo sic: inventus sit inanis senex pro inventum sit inanem se dicere.

31. Scio ubi sit, verum hodie nunquam monstrabo.

Verum hodie nunquam monstrabo] „volens senem avidius quaerere quod hic ardor semper paratissimus credentes etiam fallit, ei fingit se nolle dicere." Corrupta; requiritur fere tardissime credentes pro paratissimus credentes. Sunt autem tardissime credentes suspicaces homines et qui non facile fidem habent.

32. At nomen nescio illius hominis: sed locum novi ubi siet] „recte, quia si hominem diceret, non erat errandum agnita persona hominis: et ubi habitet cognito, si notus esset, nulla causa quaerendi." Sanum sensum hinc non extundo itaque emendationem propono hanc: „recte siet, quia

si habitet diceret non erat errandum, agnita persona ubi habitet cognito; et si notus esset nulla causa quaerendi." Si Syrus dixisset: „scio ubi homo ille habitet, errare iam non posset Demea, quia cognito illius hominis domicilio, simul ipsum agnosceret; et si notus ille homo ei esset (et notus est cuius domicilium novimus) non iam erat quod quaereret Demea." Cf. Phormio vs. 305:

Hominem commonstrarier
Mi istum volo, aut ubi habitet demonstrarier.

35. Ubi eo veneris, clivos deorsum vorsus est hac te praecipitato] „hoc lentius aliqui legunt, aliqui clarius ut sit praecipitato cito descende." Antiqua haec lectio sanaque, nisi quod pauca vocabula desiderantur: post prius enim aliqui legunt inserendum est ut sit maledictum. Ambigue enim dictum praecipitato te.

47. Ubi potetis vos] „incerta persona: nam Syro vel Demeae hoc dictum iungi potest." Pro iungi lege iniungi. Et nomen Demeae corruptum est; non enim illi dictum hoc est sed ipse dixit. Sententia requiritur haec: „Vos significat: te cum toto isto nepotum grege."

48. Data vocis Silicernium explicatione haec addit: „et sic est melius quam ut quidam Xenophonta interpretantes putant, sic nos Silicernium intelligere, hoc est silicem cernentem senem, dum incurvus est, vel stratae saxo viae intentus vel sarcophagi iamiam appropinquantis sibi." Quid haec omnia ad Xenophontem? Baylius ξυννενοφότα legit; equidem comoediae titulum latere hic opinor. Stratae viae est genitivus ab eodem saxo dependens a quo pendet sarcophagi appropinquantis.

IV, 3, 2. In peccatum ortum est vocem peccatum esse subiectum hoc argumento demonstratur: „nunquam enim eadem pars orationis iungi nisi per ἀσύνδετον potest." Dele nisi:

sic, quamquam satis inepto sermone, hoc dictum erit: „si et ortum et peccatum praedicata essent, utique interponenda erat coniunctio." Auctorem scholii aliquanto elegantius scripsisse opinor.

14. Omnes, quibus res sunt minus secundae, magis sunt, [nescio quomodo,
Suspiciosi.

Nescio quomodo] „hoc est vehementia, nulla palam ratione." Lege vehementer; nam utrumque inest in illo nescio quomodo, et vehementer et nescio cur.

17. „Coram ad ceteras personas refertur, palam generaliter dicitur." Omnino recipienda varia lectio certas pro ceteras.

IV, 4. In scenam prodit Aeschinus et sic lamentatur:
Discrucior animi. Hoccine de improviso mali mihi obiici
Tantum.

Annotatur ad hoccine de improviso mali: „haec verba repentino nuntio perculsum indicant Aeschinum propter divortium stare et iram circa se Sostratae et eius filiae ob raptum meretricis." Quid, quaeso, in isto propter divortium stare latet? Legendum fere: Aeschinum divortium metuere propter iram e. q. s.

ib. „Obiici dicitur in utramque partem: ut si quos ante quis videt, quam exspectaverit, quo verbo magnitudo doloris ostenditur ex improviso incommodo." Legendum censeo et si quos pro ut si quos et et eo verbo pro quo verbo: alioquin istud in utramque partem sensu carebit.

6 sqq. Sic infortunium suum Pamphilus narrat:
Sostrata credit mihi me psaltriam hanc
Emisse: id anus fecit indicium mihi.
Nam ut hinc forte ea ad obstetricem erat missa: ubi [eam vidi, illico

Accedo, rogito Pamphila quid agat: illa exclamat: abi [abi iam, Aeschine.

Ad illa exclamat annotatur: „non respondet sed exclamat. Et bene vim addidit ad exclamationem fuisse. Ergo a vocis sono, non a verbis.“ Sic equidem hanc annotationem accipio: „exclamandi verbum interdum tantummodo orationis genus significat, quo quis utitur; hic tamen Aeschinus, dum illo verbo utitur, hoc addit narrationi: aniculae etiam superfuisse clamandi vim.“ Ipsum Donatum paulo elegantius locutum suspicor.

21 sq. Sic semet ipsum alloquitur adhortaturque Aeschinus:

Cessatum usque adhuc est: nunc porro, Aeschine, ex- [pergiscere!

Nunc hoc primum est: ad illas ibo ut purgem me: [accedam ad fores.

Annotatur: Nunc hoc primum] „primum ab eo quod rogandus est pater.“ Pro est legendum opinor erat. Haec enim requiritur sententia: „primum post illud, quod olim faciendum erat, ut a patre peteret ut uxorem sibi Pamphilam ducere liceret.“

IV, 5, 9. Gaudet Micio filium adoptivum non adeo esse impudentem quin erubescere possit et erubuit, salva res est ait. Annotatur: „nimis paterna sententia. Et e contrario Simo in Andria: vide, num eius color pudoris signum usquam indicat. Et quanti affectus est non dixisse erubuit, salvus est sed salva res est. Nonne tibi videtur res eius omnis in Aeschino constituta? eodem animo et supra dixit, in eo me oblecto: solum id est carum mihi. Non enim solum intulit quod exspectabatur, sed absolute, quasi ex omnibus solum id est inquit.“ Legendum: „non enim solus intulit e. q. s.“ Hoc enim sibi vult annotatio: „multo maioris est caritatis solum id de homine dicere quam solus.“

12. Ego dicam tibi] „senile est, nam id iam dicendum fuit, et hoc ἔμφασιν habet vilis rei, quae vel facile dici possit, vel non celanda sit." Sic accipienda haec opinor: „exordium ego dicam tibi loquacitatis senilis est, indicatque id quod sequitur non esse magni momenti, neque quidquam arcani habere."

18 sq. *Aesch.* Perii! *Mi.* Quid est?
Aesch. Nihil, recte, perge.

Nihil, recte] „id est, recte quod perii. Et vide trisyllabum artificiose esse subiectum, ut qui perii dixit, vix hoc locutus fuisse videatur." Egregie Wielingius trisyllabo pro trisyllabum. Primum enim trisyllabo perii Aeschinus usus erat, nunc vocem trisyllabam edere iam non potest.

26. Nonne haec iusta tibi videntur postea] „Scilicet illa quae amicus tuus dixerat prius quam haec audires." Deleatur quae. Tota annotatio perversam continet vocabuli postea explicationem. Etenim postea hic, ut saepe hodie, stomachantis est et cum quadam acerbitate loquentis.

32. Quicum illa consuevit] „legitur et illam, et dicebant veteres hanc rem consuevit." Lege: „legitur et qui illam."

51. In qua civitate tandem te arbitrare vivere?

Verba haec sunt Micionis, senis lenissimi ad filium adoptivum. Sch.: in qua civitate] „vide omnes sententias poni accusatorias et nihil amoris. Isti sunt orationum colores difficillimi: sed elaboravit Terentius Micionem facere leniter accusantem et inducere Demeam durissime blandientem." Egregie Wielingius pro nihil amoris reposuit nimii amoris, sed praeterea pro difficillimi requiro dissimillimi, qua voce opus hic esse vel una particula sed, quae sequitur, demonstrat: „sunt quidem colores accusatoris et lenis patris dissimillimi, sed hoc ipsum voluit Terentius. Quemadmodum enim Demeam mox duriter blandientem faciet, sic hic Micionem inducit leniter accusantem." Quod in altero

Scholio legitur: „quod obiurgat Micio, magni amoris est et necessaria pro persona assentatio" corruptissimum videtur. Quid enim est necessaria pro persona assentatio?

65. „Magnus institor sui beneficii est, qui a diis petendum esse dicit quod ipse praestabit." Quo sensu hic dictum est institor? An hominem significat qui, ut institor circumforaneus merces suas, ita beneficium suum exornat laudibus?

67. Ni magis te quam oculos nunc amo meos] „eleganter inventum est, quod in se amator multum diligat, id est oculos: ut e contrario in Eunucho adolescenti ipsi eriperem oculos, id est ipsos de quibus amat." Mira res est, hic tamquam ex Eunucho citari quae in ipsis legantur Adelphis. E verbis autem ipsos de quibus amat omnino de eximendum.

69. Ardenti oratione patri gratias agit Aeschinus; cumque paulo ante ab illo iussus sit deos precari ut omnia bene vertant, nunc „Abi pater" inquit

Tu potius deos comprecare: nam tibi eos, certo scio,
Quo vir melior multo es, quam ego, obtemperaturos magis.

Annotatur: „mira sententia deos obsequi bonis, quasi bonis hominibus multum debeant. Et in excusationem precandi deos, vide quae facultas nata sit patrem sine assentatione laudandi!" Lege: et ex commemoratione precandi deos pro: et in excusationem precandi deos. Etenim hic quoque Terentii laudatur vigilantia, qui ideo senem verbis deos comprecare utentem fecerit ut lepide eum laudandi facultatem nanciscatur filius.

IV, 7, 13. „Illinc huc transferetur virgo." Micionis haec verba sunt. Annotatur: „Virginem quae etiam cum viro fuit vocat." Immo etiam quae, non quae etiam. Nomine enim virgo Pamphila significatur, qua dudum amica usus est Aeschinus.

Hoc fratris de amica ad iustas nuptias transferenda audito consilio Demea exclamat:

o Iuppiter,
Istoccine pacto oportet?

Annotatur: „o Iuppiter tragice adiecit a Micione versus." Lege aversus pro versus. Secum enim illud o Iuppiter, sed istoccine pacto oportet? ad Micionem conversus Demea dicit.

V, 3, 4. „Neptunus... omnium elementorum potior." Neque potior hic legendum, neque cum Westerhovio potitor, sed potens.

39. Non quod dissimilis res sit, sed quod is qui facit.

Sch. „an quia huic licet?" Fragmentum hoc integri scholii: „an quae huic licet facere huic non licet?"

45. O noster Demea] „blanda et cum quodam complexu eius qui reprehenditur incusatio et de more sublata." Ultima et de more sublata etiam critici manum exspectant.

56 sqq. „Istam psaltriam mecum hinc abstraham" Demea ait. Respondet Micio:

eo pacto prorsum illic alligaris filium.

alligaris] „quis vero dicitur alligari ad aliquid sine quo esse non possit? Ergo proprie ad amicam alligari adolescentem dicit amatorem." Duo hic scholia imperite sunt conglutinata: altero contenditur iocantis esse aliquem alligari dicere ad id quod toto amet pectore, altero proprie et veritati convenienter illud verbum hic poni.

V, 4, 27. „Vide remanere in Demea non penitus eiectam securitatem." Immo severitatem. Etenim usu doctus Demea subito mitis factus est, sed excidit tamen ei acerbe dictum mea minime refert.

V, 7, 1. Occidunt me quidem] „quidem pro exspectatione est." Lege: „quidem propter exceptionem est." Etenim me quidem significat: „me, non alios."

10. „Maceria dicitur paries nunc alicuius demacerata." Praeclare haec sic emendat Westerhovius: „maceries dicitur paries non altus e calce macerata."

16. Iube nunc iam] „tamquam praestet Micioni." Absente haec Micione dicit Demea, sed loquitur „tamquam praesto sit Micio," quod hic legendum.

Ib. „Quasi insultantes dicere solemus nunc minari nunc assistere quem afflictum tenemus." Est haec annotatio de acerbitate, quae inesse soleat coniunctioni nunc, si imperativo addatur. Lege ergo iubere pro dicere et insultare pro assistere.

25. Consilium dedit lenitatis plenum Demea, ideoque laudatus „sic soleo" ait. Ad quae verba annotatur: „potest εἰρωνεία videri, quippe quando tale consilium probat Demea quod probaret adolescens." Lego: „quippe quando tale consilium dedit Demea q. p. adolescens?" Antea enim nunquam tale consilium dedit Demea.

V, 8, 11. Si tu sis homo] „hic facete et mire coëgit Aeschinum ad persuadendum. Non enim dixit si tu sis homo, persuade sed sic faciat." Egregie Westerhovius pro „sed sic faciat" reponi iussit „sed hic faciat." Legitur enim apud poëtam: si tu sis homo hic faciat.

15. Ego novus maritus anno demum quinto et sexagesimo fiam atque anum decrepitam ducam?] „hic deest et quis et quid et quando et quomodo." Nihil deest, sed in una interrogatione insunt permulta, quae omnia deinceps enumerantur. Lege ergo inest pro deest.

22. Sostrata absens neque consulta Micioni uxor obtruditur. Rogat Scholiasta: „cur hic non vertitur de voluntate Sostratae?"

Pro vertitur aut dubitatur aut verbum fit legendum.

24. Quid nunc quod restat?] „quod restat pro quod sequitur, tamquam reliquiarum priorum, ac per hoc minimum.'' Egregie Westerhovius pro reliquiarum priorum legit reliquiae rerum peractarum.

26. Hoc quoque scholion egregie Westerhovius dividendo et emendando in integrum restituit. Vide ipsum.

V, 9, 17. Hanc causam affert Syrus, modo ob merita manu emissus, cur et uxor sua libera fiat:

Tuo nepoti huius filio
Hodie primam mammam dedit haec.

Aequitatem postulati agnoscit Demea dicendo:

Hercle vero serio,
Si quidem primam dedit, haud dubium quin emitti
[aequom siet.

Annotatur: Hodie primam mammam dedit haec] „ridiculum meritum: siquidem oportuerit primam esse quamcunque: an quia causa est quod ingenui dicuntur serio a nutricibus liberis educandi?'' Corruptissima haec atque confusa. Unum hoc video, qui scholion scripserit ineptissime serio iungere cum mammam dedit. Quanto prudentior alter commentator, qui ad Hercle vero serio annotavit: „adverbia sunt confirmantia.''

AD HECYRAM.

PROLOGUS.

2. „Calamitas παρὰ τὴν καλάμην dicitur, clades quia clamatur, ut aliud sit grandinis culmen frangentis, aliud doli mali.'' Praeclare Westerhovius pro clamatur rescripsit

κλάδοις datur. Sed quae nunc est totius scholii sententia? Non posse promiscue poni clades et calamitas? An exciderunt nonnulla?

ALTER PROLOGUS.

„...his omnibus argumentis id actum est, ut neque desperandum sit de Terentio, quod explosus est: ut nihilominus illi tantum attribuendum sit, ut aut par Caecilio, magno tunc poëtae, aut ultro melior esse possit." Lege et nihilominus.

7. „Fabulae aut agi dicuntur aut stare." Pro agi legendum exigi; non enim inter se opponuntur agi et stare.

22. Ita eam oppressit calamitas] „hoc succedit pro illo quod est a [1]) persona adversariorum. Simul ad fortunam retulit culpam populi: non enim dixit quod praesto erat." Legendum opinor: „...non enim ei (i. e. populo) maledixit [2]) qui praesto erat.

26. „Narratio cur exclusa sit hoc est." L. haec est.

32. Datum iri gladiatores] „datum iri dixit ut fabulam commendet, ut et omnia spectatori et populo dicantur." Haec quid sibi volunt? An hoc: datum iri de spectaculo minoris pretii dici; dare enim multo minus esse honestum quam dicere? Si haec est sententia, pro ut et legendum est ubi.

35. Nunc turba non est, otium et silentium est. Sch.: „quae adhortatio per enumerationem." Ut sanum haec praebeant sensum, exclamationis addatur signum. Ineptissime in Klotziana scholio adiiciuntur verba ad tempus est, quod est fragmentum sequentis lemmatis: agendi tempus mihi datum est.

47. Mea causa causam hanc accipite] „hoc oratorie,

---

[1]) De hoc usu praepositionis *a* videatur p. 134.

[2]) De hoc perfecto videatur p. 75.

sic enim fit quum persona pro persona ad commendationem affertur." Immo vero persona pro causa, non persona pro persona. Etenim personam pro causa ad commendationem afferunt oratores, qui argumentis diffisi ad preces confugiunt et „mea causa reo ignoscite" dicunt.

I, 1, 10 sqq. „Noli amatorum quemquam eximium habere." Syra anus Philotium monet, hoc argumento usa:

Nam nemo illorum quisquam, scito, ad te venit,
Quin ita paret se, abs te ut blanditiis suis,
Quam minimo pretio suam voluptatem expleat.
Hiscine tu, amabo, non contra insidiabere?

Ad vs. 11 annotatur: „hoc verbum paret adversum munificos et segnes." Ingeniose pro munificos Westerhovius nullificos coniecit.

Ad vs. 13: Hiscine] „ἐρώτησις, id est talibus. Et vide si pulchra meretrix est." Vide corruptum videtur. Hanc exspectes sententiam: „bonum hoc Syrae consilium, si meretrix pulchra est." Suspicor ergo pro vide legendum esse facile.

17. „Bene, quia non persuasit, sed affectum doloris expressit." Eiiciendum sed. Explicatur enim scholio cur Syra eheu me miseram exclamet.

I, 2, 19. Nam illic haud licebat, nisi praefinito loqui] „legitur et illi, ut sit circumflexus accentus et significet illic ut

Illi mea tristia facta.

Et absolutum est."

Praefinito] „deëst tempore, aut quid tale."

Inepte praefinito novi scholii factum est lemma. Legendum censeo: „et absolutum est praefinito; deëst enim tempore aut quid tale."

22. Sed quid hoc negoti?] „hic ad argumentum nunc

descendit. In Phormione sed quid tu es tristis praelatis scilicet allocutionibus et separatarum et permistarum personarum, ne ieiune ad argumentum veniens, non agere fabulam sed narrare videretur." Corruptane haec an praelatis fere est praecedentibus?

Ad vs. 26: Habet, sed firmae hae vereor ut sint nuptiae annotatur: „animadverte Terentium in nuptiis hoc dictum servare, utrum firmas an infirmas dicat nuptias." Egregie Westerhovius pro dictum coniecit dubium.

40. Amabat ut cum maxime tum Pamphilus.

Sch.: „ut positum pro quemadmodum. Et maxime bis numero subauditur." Immo vero amabat bis subauditur.

Sequitur apud poëtam:

> Quum pater, uxorem ut ducat, orare occipit:
> Et haec, communia omnium quae sunt patrum,
> Sese senem esse dicere: illum autem unicum:
> Praesidium velle se senectuti suae.

Schol.: „omnem causam adolescentis senex amputavit, pro suo senili commodo rogans: potuisset enim adolescens dicere: quam pro me curam geris, hanc precor pro me deponas." Utique alterum pro me abiiciendum. Curam enim pro aliquo gerere, non vero pro aliquo deponere possumus. Et pro adolescentis lege adolescenti.

Senem sese dicere] „illud posset agere amator contra utilitatem suam: sed non poterat filius contra utilitatem patris." Pro illud lege aliud (sc. quam quod pater vellet).

Quatuor nunc deinceps ad hanc scenam scholia annotabo, de quibus desperandum videatur:

47. Pudorin anne amori] „latens excusationis ratio explicata est." (Quae praecedunt: „sic ostendit in utramque partem ut tantum in animo honesti adolescentis pudor amorem vincere debuisset" recte a Westerhovio emendata sunt, tamen pro tantum coniiciente).

60. Ut ad pauca redeam] „praeceptum oratorium in longa narratione pro veritatis inquisitione."

63. Cum virgine una adolescens cubuerit] „argumenta in coniecturam necessario posita."

117. Nondum etiam scio] „...deëst scire et est syllepsis scio, scire cum ἀναβάσει."

II, 1, 9. Non, ita me di bene ament] „animadvertendum veteres non minus εὐφημισμόν in verbis quam κακέμφατον neglexisse, velut ita me di bene ament." Quaenam hic latet sapientia?

12. Laches et aliis verbis in uxorem invehitur et hisce:

Te immerito? an quidquam pro istis factis dignum te [dici potest?
Quae me et te et familiam dedecoras, filio luctum paras,
Tum autem ex amicis inimici ut sint nobis affines facis:
Qui illum decrerunt dignum, suos cui liberos committerent.

Dignum suos cui liberos committerent] „multum sonanter et accusatorio strepitu, nec masculinum genus nec femininum posuit, nec unam sed liberos." Prius nec abiiciendum: in eo enim inest orationis gravitas quod Laches non filiam dicit, sed in masculino et plurali liberos.

17. „Tu mulier ἔμφασιν malitiae habet. Et omnino expressio consuetudinis est ad indignationem." Pro est ad requiritur fere significat, ut sensus sit: „in eiusmodi reprehensionibus nomen, quo consuetudo et familiaritas significatur, adiicere indignabundi est."

26. At vide quam immerito aegritudo haec oritur mihi [abs te, Sostrata.

Schol.: „postquam de iniuria dixit, de persona eius cuius fama est, id est cum." Scholii laceri incerta emendatio. Hoc constat pro cuius fama est legendum esse cui facta est. Sequi fere debet: „tum de eius persona quae fecit."

27 sqq. Verba sunt Lachetis uxorem reprehendentis:

Rus habitatum abii, concedens vobis et rei serviens,
Sumtus vestros otiumque ut nostra res posset pati,
Meo labori haud parcens praeter aequom atque aetatem meam.
Non te pro his curasse rebus, ne quid aegre esset mihi?

Praeter aequom] „quia vos estis domini." Immo domi: „vos, mulieres, otiosae domi sedebatis, dum ego ruri me defetigabam."

39. Respondet marito Sostrata:

Qui scis, an ea causa, mi vir, me odisse adsimulaverit
Ut cum matre una plus esset?

Ut cum matre una plus esset] „ἰδιωτικῶς dixit, id est diu ac maiorem partem." Sententia haud dubie haec est: „rustici est oratio plus dicere ad tempus indicandum." Cf. Schol. de impuro sermone militis in Eunucho huius libri p. 78. Sed diu ac corruptum. Coniicio: diei.

II, 2, 20. Verba Lachetis ad Phidippum:

Neque adeo clam me est, quam esse eum (sc. filium [meum) graviter laturum credam
Hoc si rescierit. Eo domum studeo haec prius quam ille [ut redeat.

Schol. „hic subtiliter etiam terrorem iniecit iracundiae mariti." Pro iracundiae legendum puto iracundi.

III, 1, 11.

Rem cognosces: iram expedies, rursum in gratiam [restitues.

Sch.: „τρίκωλος sententia. Et bono ordine usus est. Prius enim fit querela, deinde ponitur iracundia, postremo reditur in consilium. Utique recipienda Westerhovii coniectura gratiam pro consilium. Pro querela requiritur substantivum a quaerendi verbo derivatum. Scriptumne fortasse fuit quae-

rela ab eo qui sic ratiocinaretur: „queror: querela, ergo quaero: quaerela."

32. Fortasse unum aliquod verbum inter eas iram hanc [conciverit.

Schol. „qua sententia totum hic sublatum est quod ait: sed magnum nescio quid necesse est evenisse, Parmeno, unde ira inter eas intercessit." Lege hoc pro hic: „quod olim dixit, hoc nunc tollit."

III, 2. „Instat Terentius bonam socrum facere, ut bonam meretricem faciat." Potest aliquis bonam meretricem facere, licet nunquam antea bonam socrum fecerit. Lege facit pro faciat (ut facit = quemadmodum facit).

4. „Vide quemadmodum per se ipsum Parmeno, per Parmenonem arceatur Sostrata, quae neque deësse propter officium, neque ingredi propter socrum inducitur." Potestne propter socrum significare: propterea quod socrus est, an hoc pro illo legendum?

24. Atque his onera adiuta] „locutio antiqua figurata." Pro antiqua malim antique: antique adiutare cum accusativo et dativo construitur.

III, 3, 20. Omnibus nobis ut res dant sese, ita magni atque humiles sumus.

Sch.: „mire dixit dant sese. Homerus

τοῖος γὰρ νόος ἐστὶν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων
οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγῃσι πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.

Sed hic sese illo et validius dixit, et est haec καθολική sententia." Scholion aut corruptum aut inepte enuntiatum.

22. O mi Pamphile! abs te quamobrem haec abierit [causam vides.

Schol.: „a nomine et blandimento: mire, quia secreta confitetur. Virgilius:

Anna, fatebor enim, miseri post fata Sichaei.

A principio idem elaboravit, ut adversus pudorem conscientia et voce et confessione duraret." Ultima haec a principio — duraret sensu cassa videntur, neque suppetit emendatio.

23. Ab nescio quo improbo] „...ut ostendat ignobilem ita abiectum. Pro ita legendum censeo itaque: abiicitur et contemnitur homo quod ignotus est.

33. Quaestio de mensibus, in qua totum fabulae versatur argumentum, hoc scholio pertractatur, sed misere turbatum illud. Hoc tamen apparet auctorem eius rem egregie perspexisse.

38. abortum esse] „deëst natum vel factum vel absolute; quomodo dicimus e re nata, vel quemadmodum dicimus ex te mihi orta est iniuria." Haec quoque perturbata ita ut iam restitui nequeant.

III, 4, 6. Miserias] „navigationes scilicet." Immo navigationis: de una hic navigatione agitur eiusque miserias Sosia significat.

15. Ego hunc adibo] „vel nova curiositate ait Parmeno." Quid in isto vel lateat non invenio.

29. Non queo, ita defessus sum] „hoc in gestu et spectaculo plus est: nam incessu et auctor exprimit lassitudinem." Pro nam incessu et auctor lege: nam et incessu actor.

III, 5, 8. Cedo quid — noster] Corruptum ad hunc locum scholion a Westerhovio optime corrigitur, remittendam pro revocandam scribente.

18. At istos invidos di perdant qui haec libenter nuntiant. Laches hoc dicit cognoscens veritate inventa suum deprehensum mendacium. Annotatur: „at istos invidos di perdant] „bene invidos qui matrimonio invideant. Ergo revocanda uxor est. Et adeo non puduit mendacii honeste deprehensum

senem, ut invidos faceret qui vera prodiderant." Pro honeste legatur honesti: non enim fuerat turpe mendacium quo Laches usus erat. Sed quid isto ergo revocanda uxor est faciam non video.

43. „Si sanus sis iube illam redire" Lachetis verba sunt ad Phidippum. Sch.: Si sanus sis] „non ergo culpae est cui ut redeat iubere potest." Pro culpae lego in culpa et iuberi pro iubere: Si Pamphili uxor iuberi a patre potest redire ad maritum, apparet eam in culpa non esse et nihil fecisse quod matrimonium necessario in perpetuum dirimat.

49 sq. Cognita adolescentis Pamphili contumacia indignabundus senex Phidippus:

Non credidi edepol adeo inhumanum fore.
Ita nunc is sibi me supplicaturum putat?

Sch.: sibi me] „id est genero socerum, vel Pamphilo Phidippum, vel si quid tale inveneris." In ineptis hisce vel si quid tale inveneris latere suspicor: vel senem iuveni. Hoc enim solum addi etiam potest.

61. Postremo inter se transigant] „non enim haec votiva sunt, quibus interesse delectet." Potestne votivus idem fere significare quod iucundus?

IV, 1, 16. Tempore suo] „...quia et septimo mense nasci solent." Ex hoc scholio, quoniam sincerum est, melius etiam quam ex illo ad III, 3, 33 apparet commentatorem recte quaestionem de mensibus intellexisse. Sic autem solvitur: 1. Nunc abhinc novem menses compressa est virgo. 2. duobus mensibus post, ergo nunc abhinc septem menses nupsit Pamphilo. 3. iterum duobus mensibus post, ergo nunc abhinc quinque menses, Pamphilus primum cum ea rem habuit.

36. Exeuntem aut introeuntem] „*σύλληψις διανοίας* et mollis est: quia luditur de sequentibus ad amicam." Arena

sine calce. Ineptissime vero ad amicam nunc huic adhaeret scholio, cum fuerit lemma sequentis.

38. Nonne ea dissimulare nos
Magis humanum est, quam dare operam, id scire qui [nos oderit.

Magis humanum] „bene quia et illud humanum dissimulare." Apparet pro dissimulare legendum esse foras proferre vel aliquid in eam sententiam. Hoc enim vult scholion: „dissimulare ideo recte magis humanum dicitur, quia etiam quod ei opponitur humanum est." (Humanum enim etiam de male factis adhibetur, de peccatis ex humana imbecillitate natis).

55. Ad versum:

Hoc mi unum ex plurimis miseriis relicuum fuerat [malum

annotatur: „nam non mediocre est, quod omnium miseriarum est ultimum, et inter mala multa, quod sic accipimus." Ex quod sic accipimus nullum sanum sensum extundo; credo eius natum importunitate, qui scholion vocabulis addendis corruperit. Non enim dubito quin olim huiuscemodi fuerit scholion: „nam non mediocre est, quod omnium malorum ultimum et inter mala multa reliquum accipimus."

IV, 2, 12 sqq. (Verba Pamphili sunt ad matrem):

Quaeso, quid istuc consilii est?
Illius stultitia victa, ex urbe tu rus habitatum migres?
Non facies: neque sinam ut qui nobis, mater, maledictum velit,
Mea pertinacia esse dicat factum, haud tua modestia.

Sch.: Mea pertinacia esse dicat factum] „bene retinet, quum vult sua interesse ne fiat." Locus corruptissimus, sed de emendatione non desperandum. Verbum fiat suo subiecto carere non potest, neque suo obiecto verbum retinet; utrumque latet in quum, cui nullus hic locus, quapropter confidenter

pro eo quod reponimus. Si autem Pamphilus retinere aliquid dicitur, nullam aliam vim illud verbum habere potest quam prohibendi vel vetandi. Nihil enim hoc loco agit nisi ut matrem a proposito suo revocet. (An pro retinet legendum prohibet? Non videtur hoc necessarium). Deinde bene retinere cum Pamphilus dicitur, prudentia eius, ut opinor, laudatur. Prudentis autem est retinere (vel prohibere) quod sua interesse ne fiat ......quid? Num vult? Minime; (quis enim unquam hoc cogitavit vel elocutus est: „hoc mea interesse volo"?) sed videt. Lege ergo: „bene retinet (prohibet) quod videt sua interesse ne fiat." Videt autem planeque intelligit Pamphilus sua interesse ne mater domo abeat: illa enim profecta uxor utique recipienda erit atque ipsius famae aeterna adhaerebit macula.

19. Respondet mater et alia et haec:

Haec mihi nunc cura est maxima, ut ne cui meae
Longinquitas aetatis obstet, mortemve exspectet meam.

Annotatur: „ne cui odiose, ne tibi diceret." Lege ne cui, ne odiose ne tibi diceret."

„Hoc ad nurum, exspectationem ad filium refert." Contraria est haec annotatio praecedenti, atque sic accipienda ut hoc sit: ne cui — obstet, et uno vocabulo exspectationem significentur haec mortemve exspectet meam.

24. Ultima Sostratae haec verba sunt:

Sine me, obsecro, hoc effugere, vulgus quod male audit [mulierum.

Sch.: quod male audit] „Supra dixit, ab honesto." Olim hic verbis immutatis repetebatur scholion praecedens: „quia dixerat maritus eius omnes socrus oderunt nurus," sed repetiti scholii nil nisi miserae reliquiae supra dixit supersunt. Verbis autem ab honesto, solita rhetoris oratione, significatur e quo genere sit argumentum quo hic Sostrata utitur.

26. Exclamat Pamphilus:

Quam fortunatus ceteris sum rebus, absque una hac [foret:

Facile intelligitur pronomine hac (i. e. hac re) Pamphilum significare vitium uxori suae olim oblatum. Non tamen intellexerunt stulti homines de quibus in scholiis legimus: „alii hac de uxore dici putant ut absque sit praepositio."

IV, 3, 7. „Pater" Pamphilus clamat, et ille: „quid vis Pamphile?" Annotatur: „facete praesto quid vis respondet. Potestne praesto significare statim? Vix credibile. Quid ergo sibi vult scholion?

11. Credo ea gratia concordes magis, si non reducam, fore. Eliminandum esse non, ut credo suam sibi haberet vim ironicam, dudum intellectum est. Nondum viderat scholii ad hunc locum auctor.

13. „Odiosa haec est aetas adolescentulis." Senis verba haec sunt. Annotatur: „supra in personam socrus culpam iratus contulerat discordiae: nunc et uxori placatus et nurui parcens odiorum causam a personis transtulit ad aetates, sed ita tamen ut magis iuniores accusaret, ei de adolescentibus questus, quum miseratur senes." Nullo negotio in integrum hoc scholion restitui potest. Pro ei enim (id quod iam monuit Westerhovius) et legendum, pro quum miseratur: commiseraretur [1].

IV, 4, 4. Opportune te mihi

Phidippe, in ipso tempore ostendis.

Sch. in ipso tempore] „tibi, id est, et mihi et tibi commode evenisti". Haud dubie rem acu tetigit Westerhovius pro evenisti scribens venisti. Praeterea expungatur prius tibi.

---

[1] De praeteritis in huiusmodi locis v. p. 75.

Modo Sostrata, in quam maritus contulerat culpam discidii filium inter et uxorem eius, discessuram se dixit cum Phidippus advenit hoc nuntio eam purgaturus (vs. 10):

A Myrrhina haec sunt mea uxore exorta omnia.

Hic Pamphilus secum: „mutatio fit." Annotatur: „mutationem suspicionem dicit erroremque iurgantium." Quis unquam pro suspicio vel error dixit mutatio? L. suspicionum errorumque pro suspicionem erroremque. Nam suspicio hic suspicionem trudit et iurgari pergunt inter se pater Pamphili socerque in novum errorem inducti. Vide sequens scholion: mutatio fit] „criminis scilicet et peccati."

21. „Quid mulieris dixit ne diceret qualem mulierem aut aliquid gravius." Pro aut legatur sed. Est enim gravius et acerbius quid mulieris habes quam qualem mulierem habes. Illud mox dicitur „reprehensio cum contemptu."

42. „Nec rogare socerum nec interesse convenit ubi certior sit ad repudiandum gener." Inepta oratione hoc dici videtur: „si genero semel deliberatum est repudiare uxorem, socerum non decet rogare (i. e. preces adhibere) vel remanere: abeundo litem finire debet."

48. Alamus nostrum. Lachetis haec sunt ad Phidippum verba. Annotatur: „Scilicet Pamphili filium nepotem meum utrumque nostrum." Pro meum utrumque legatur utriusque.

53. Indignabundus pater filium rogat:

Ignarum censes tuarum lacrimarum esse me?

Annotatur: „apparet illum a Sostrata hoc audivisse, nam ipse filium deprehenderat flentem." Quando dicimus certum esse aliquem ab alio aliquid audivisse? Nempe cum scimus, vel scire nobis videmur, eum non suis oculis praesentem cognovisse. Ergo verbo deprehenderat praemittenda negatio non. Westerhovius non pro nam legi iubet, sed coniunctione nam carere hic non possumus.

66. Pergit pater sic filium accusare:

(uxorem) impulsu duxisti meo.
Quae tum, obsecutus mihi, fecisti ut decuerat,
Nunc animum rursum ad meretricem induxti tuum.

Quae tum, obsecutus mihi, fecisti] „iuveniliter satis, quia non dixit multum amans." Sensu cassa haec: minime iuveniliter hic senex loquitur et multum amans nihili est. Suspicor: „leniter satis, quia non dixit meretricem amans" (meretricem amans i. e. quamquam meretricem amabas). Nam revera obsecutus mihi, cum sit non tua sponte sed invitus, leniter dictum est pro meretricem amans.

77. Ad incitas redactus patris argumentis uxorem recipere iubentis Pamphilus: „non est nunc tempus" respondet. Schol.: non est nunc tempus] „oratorie confugit ad deditionem, defensione titubante." Quis unquam ad deditionem confugit, quis ab illa unquam speravit praesidium? Desperantis hoc potius esse videtur quam tentantis etiam aliquid. Et qui „non est tempus" dicit, num deditionem facit? Immo vero contumax est et obstinatus, verum non audet aperte recusare sed quaerit ... quid? Moras ut opinor. Ergo dilationem lege.

V, 1, 16. Nam qui post factam iniuriam se expurget [parum mihi prosit.

Parum mihi prosit] „si sic accipiendum ut scriptum est λιτότης est aut ταπείνωσις." Haec aperta fronte inter se pugnant: Λιτότης enim sive ταπείνωσις figura est rhetorica, et qui figura rhetorica utitur eius verba non sunt accipienda sicut scriptum est. Apparet ergo scholion lacuna laborare et sic fere supplendum esse: „si sic accipitur ut scriptum est (languidum est, sed) λιτότης est aut ταπείνωσις.

40. Verba senis ad Bacchidem peregrinam haec sunt:

Verum te hoc moneo unum: qualis sim amicus aut [quid possiem,
Potius quam inimicus periculum facias.

Qualis sim amicus aut quid possim] „in secunda oratione Sallust. ad Iugurtham: „nam vim magis quam benevolentiam experiri mallem." Legatur neu pro nam.

V, 3, 1. Edepol ne meam herus esse operam deputat [parvi preti.

Sch.: „deputat parvi eam qui deputat eam in re nullius pretii consumendam." Ne nullus insit sensus scholio pro priore eam lege operam.

12. „Tua quod nihil refert, percontari desinas" Bacchis curioso respondet servo. Annotantur et alia et haec: „memento hanc esse, cui in principio nihil celaverit Parmeno." Utique cum Wielingio lege: „...quae in principio nihil celaverit Parmenonem." Nam ideo Bacchidis adversus Parmenonem reticentia nunc habet quod spectatorem delectet quia olim eidem omnia quae rogaret narraverit.

AD PHORMIONEM.

PROLOGUS.

4 sqq. Qui ita dictitat, quas antehac fecit fabulas
Tenui esse oratione et scriptura levi,
Quia nusquam insanum scripsit adolescentulum
Cervam videre fugere, sectari canes,
Et eam plorare, orare, ut subveniat sibi.

Annotatur: „ideo videmur leves tenuesque, inquit, quia non in comoedia prodigia facta sunt et tragoedias concitavimus." Eiicienda opinor facta sunt.

13. Lacessisset prior] „aut lacessisset abundat aut

prior." Scholion mutilum: quid enim restabit, si lacessisset aberit?

17. „....Verum oratorie manifesta solvere non curavit, hoc est nullum prologum invenire potuisse Terentium. Et hoc enim obiiciendum fuit omnibus et novis et veteribus poëtis." Vide Westerhovium qui et (alterius sententiae primum vocabulum) delendo lucem e tenebris excitavit.

19. „Nam poëtae probi suas vendebant fabulas." Nimium hic populi tribuitur iudicio. Pro probi legatur probati.

28. „Si a formula esset nomen comoediae, primam produceremus syllabam, si a Phormione corripere debemus." Ain vero: a Phormione derivatur Phormio. Pro a Phormione lege a phormio (φορμίῳ). Vide praec. Schol.

I, 2, 11. Ubi quid mihi lucri est te fallere?] „Ab utili coniectura. Et bene quia servus nihil de honesto dicit." Pro de honesto lege ab honesto: servus tantummodo de lucro et utilitate sollicitus nullum argumentum ab honesto sumit [1]).

18. Ad: modo non montes auri pollicens annotatur: „proverbialis ὑπερβολή facta per exceptionem, aut per superlationem, aut per aequam collationem." Si recte haec intelligo tria hic genera ὑπερβολῆς enumerantur.

37. Nos otiosi operam dabamus Phaedriae] „aut ad pudorem sumitur hoc pronomen in singulari numero aut ad dignitatem." Immo vero in plurali numero: qui nos dicit pro ego aut verecunde loquitur aut cum quadam gravitate.

45 sqq. Modo quandam vidi virginem hic viciniae
Miseram, suam matrem lamentari mortuam.
Ea sita erat exadvorsum.

„Sita posita ...Et hoc ei reciprocum est." Cui, quaeso, sita est reciprocum et quid sibi hic istud vult vocabulum? Lege:

---

[1]) De hoc praepositionis ab usu cf. pag. 195.

„et hoc ea rec. est." Pronomen ea reciprocum dicitur quia ad praecedentia est referendum.

77. Quid est narratio constituta? Agitur, id quod e praecedentibus apparet, in narratione de fallaciis hominum inter se colludentium. Igitur legendum esse suspicor narratio constituti.

82. Quum tu horum nil refelles] „interrogative pronuntiandum est." Qui, quaeso, aliquis haec interrogative pronuntiare potest? Pars lemmatis periit. Censet enim, sed perverse, in istis:

Omnia haec
Confingam: quod erit mihi bonum atque commodum,
Quum tu horum nil refelles, vincam scilicet

quod esse pronomen interrogativum.

85. Factum est, ventum est, vincimur] „brevis et comis narratio." Nulla cogitari potest comis narratio. Lege ergo comica, quo adiectivo aptissime narrationis natura significatur.

I, 3, 10. „Ideo insanum ait Antiphonem, qui in ea fortuna positus, quae adversa et contraria est idem patiatur quod miser." Nonne ergo revera miser qui in fortuna adversa positus est? Et quae est fortuna contraria? Duo vitia una correctione emendabis legendo adversae pro adversa et.

13. „Opportunus locus in quo ostendatur, quam magno amore sit possessus Phaedria, cui par impenditur argumentum." Ultima haec cui par impenditur argumentum corruptissima videntur, sed aptam correctionem non invenio.

I, 4, 21. „Propria et sua cuique personae exhibuit, celeritatem ex praesagio metuenti Antiphoni et tarditatem intellectus quieti pectoris securo Phaedriae." Insere et post pectoris.

II, 1, 11 sqq.

Quamobrem omnes, quum secundae res sunt maxime,
[tum maxime
Meditari secum oportet quo pacto advorsam aerumnam
[ferant.
Pericla, damna, exilia peregre rediens semper secum cogitet.

Semper cogitet] „a singulari ad pluralem transit." Immo a plurali ad singularem.

22. Quid cessas hominem adire?] „bene adire quasi terribilem et pugnaturum." Potestne pater filii delictum reprehendens pugnare dici? Lego purgaturus. Etenim adire est causam dicentis, cui iudex apud quem dicit terribilis videtur.

24. *Ph.* Mi patrue salve. *De.* Salve, sed ubi est Antipho?

Sch.: „bene expressit promptum animum ad litigandum, partim addita salute et potius ad iurgium praevertendo." Pro partim rectissime Westerhovius raptim rescripsit. Sed superest vitium. Non enim addit salutem, sed a salve loquendi facit initium. Lege ergo raptim reddita salute.

29. Sollertissima simulatione et vultu ad severitatem composito fratrem patruelem Phaedria defendit. Admiratur eum Geta his verbis, quae submissa voce dicit: o artificem probum! Ad quae verba annotatur: „εἰρωνεία, nam non est artifex cuius deprehenditur iocus." Nemo hic iocatur sed astutiis fallaciisque res geritur. Lege ergo dolus pro iocus.

34. Ecce autem similia omnia] „ecce autem vox est apta his, quae nova et improvisa animo accidunt." Immo vero quibus, non quae.

57. Acerbissime senex sic servum a quo sit circumventus alloquitur:

Bone custos, salve: columen vero familiae,
Cui commendavi filium hinc abiens meum.

Sch.: „....Haec conveniunt in eas personas quas spectare

non oportuerit." Corrupta. Sub spectare latet aliquod verbum quod fallendi vim habeat. Eiusmodi enim verbis, qualia sunt quae hic leguntur, illos reprehendimus a quibus deceptum iri nos minime exspectaveramus.

81. „Nulla mentio fit uxoris apud Demiphonem. Non enim convenit argumento ut habeat." Ain vero? Nonne recte procederet fabula, si in vivis esset Demiphonis uxor? (Nam habuit certe uxorem, e qua Antiphonem procreavit). Lege... ut mentionem habeat pro ut habeat et a Demiphone pro apud Demiphonem.

II, 2. „In hac scena de parasitis vilioribus Terentius proponit imaginem vitae, ut in Eunucho de potioribus." Quantocius locum inter se mutent vilioribus et potioribus. Nam Phormio, ut parasitus, fidelem se praebet amicis, nil vero abiectius quam Gnatho ille in Eunucho.

Statim sequitur: „et his qui nuper processerunt, id est de assentatoribus." Egregie de vilioribus et de assentatoribus inter se iunguntur. Gnathoni enim nullum nomen aptius est quam illud assentator, quod contra in Phormionem minime convenit. Sed quid isto et his qui nuper processerunt faciam non video.

11. Vereor ne istaec fortitudo in nervum erumpat denique.

Altera lectio nervum rumpat exstitisse videtur. Ea certe parte scholii ad hunc locum illustratur: „proverbium a sagittariis natum est: quod immoderatae plerumque vires adducendo arcu non telum incitent sed nervum rumpant." Sequitur: „an ex eo quod saepe fortius ferientes nervum sibi aliquem laedant?" Quae annotatio sic lectionem nervum rumpat illustrat: fortius ferientes (absolute) sibi laedunt nervum aliquem (brachii puta manusve).

13. Quot me censes homines iam deverberasse usque [ad necem?

„Parasitice totum translationibus loquitur. Huiusmodi est enim vis umbraticorum hominum, scurrilis oratio." Primum prava loci distinctio nata est et illa istud vis peperit. Emendo: parasitice totum translationibus loquitur huiusmodi; est enim umbraticorum hominum scurrilis oratio.

16. Laudantem se parasitum interrogatione interpellat Geta servus. Annotatur ibi: „interrogare dicitur et fingitur Geta, ut parasitica progrediatur oratio." Nullo modo ferendum istud dicitur et. Veram lectionem puto esse dicacem. Si enim dicacem hominem porro loqui cupis, interrogandus tibi est.

21. „Alere nolunt hominem edacem" parasiti verba sunt explicantis cur a creditoribus in ius non ducatur. Annotatur: „hoc sic pronuntiandum, ut facete totum videatur illatum, quando obaeratus sit sub huiusmodi poena: nec accusari ab aliquo se queritur neque damnari." Sententiam scholii hanc esse opinor: „ridicule hic homo obaeratus flebiliter queritur quod nunquam accusetur neque damnetur." Ergo pro quando legendum puto quod (saepe enim in scholiis quod cum indicativo vel coniunctivo pro accusativo cum infinitivo ponitur) et delendum se queritur.

II, 3, 1. Demipho advocatos quibuscum in scenam prodit rogat:

En unquam cuiquam contumeliosius
Audistis factam iniuriam quam haec est mihi.

Annotatur: „iam instructi sunt advocati et recte. Longum enim fuerat omnia haec post scenam geri." Immo vero per scenam. Quod enim toties fit apud Terentium, hic quoque evenit, ut e prodeuntium primis verbis appareat antea iam multa eos inter se collocutos. Haec ergo post scenam dicta finguntur, quia alioqui nimis longa fierent quae per scenam aguntur dicunturque.

13. Paucis parasiti verbis auditis Demipho exclamat:

O audaciam! etiam me ultro accusatum advenit.

Annotatur: „hic iam ostenditur persuasum esse Demiphoni vim adhibitam filio suo uxorem ducere: uno, quum hunc audacem appellat: altero quod dicit etiam. Quae coniunctio et Antiphonem complectitur et sic accusatum." Pro sic accusatum lege se accusatum. Etenim vocabulo etiam senex hoc significat: „non solum olim filium meum accusavit sed nunc me quoque."

14 sq. *Ph.* Nam iam adolescenti nil est quod succenseam
Si illum minus norat.

Annotatur: „...sic dicit, quod si adolescens non agnoscens puellam veniam non meruerit, pater negata cognata ferri non possit." In verbis veniam non meruerit dele non: iuveni ignoscendum quod non noverit eam quae innotescere ei non potuerit; non potest ignosci patri cognatam se ignorare simulanti.

20. Quem ego viderim in vita optimum] „modo in vita ac moribus." Sic emendo: „modo (i. e. hoc loco, ut saepe) in vita in actu, in moribus." Paulo post idem recurrit scholion sincerum integrumque.

31. Adolescens] „est haec auctoritas in senibus ut qui minoris aetatis fuerint illos appellatione pueri vel adolescentis vel iuvenis etiam ostendant: ut hoc de nomine illis quidem detrahant, sibi vero auctoritatem attribuant." E verbis hoc de nomine exime de: etenim nomine adolescens senex sibi auctoritatem attribuit, detrahit (absolute enim hoc verbum hic ponitur) ei quem alloquitur.

35. Egregiam huius loci correctionem vide apud Westerhovium.

43. Stilpho] „σύλληψις, nam reddit ad nominativum [est utique Stilpho], ut rursus ad accusativum." L. redit pro reddit: ab accusativo sobrinum redit ad nominativum Stilpho, ab illo ad accusativum Stilphonem. Verbis inclusis quid faciam nescio.

76 sqq. Demipho haec Phormioni denuntiat:

Omnia haec
Illum putato quae ego nunc dico dicere.
Aut quidem cum uxore hac ipsum prohibebo domo.
Ge. Iratus est. *Ph.* Tute idem melius feceris.

Ad tute idem melius feceris annotatur: „locus est hic ut ostendat Phormio de compacto egisse cum Antiphone." Quid, quaeso, haec sibi volunt? Pertinent, ut opinor, ad vs. 78, estque haec sententia: „haec senex dicit ut significet collusisse Phormionem et Antiphonem." Lege ergo ostendatur pro ostendat.

III, 1, 10. Antipho Getam rogat: „numquid patri subolet?" Annotatur: „sub convenientia sua et Phormionis dicit." Immo super (= de) non sub.

III, 3, 7. Quid faciam?] „comiter, quamvis uterque intelligat, quid alteruter dicat, dissimulant tamen." Verissime Westerhovius pro comiter legendum esse comice putavit.

IV, 3, 18. Herus liberalis est et fugitans litium] „quasi quod vult in domino facere, id iam in eo esse dicit, praeparans hominem ad contemptum pecuniae quae poscetur statim." Lege dominum pro in domino. Geta loquitur tamquam iamiam facturus sit dominus id quod eum facere cupiat.

IV, 4, 2. „.... ideo autem subambigue locutus est ut nequaquam posset aliter interpretari a Geta, qui respondebit: nescio hercle, tantum iussus sum." Itane vero? Ideone aliquis ambigue loquitur ut alter (uno modo tantum et) nequaquam aliter interpretari possit? Prorsus contrarium verum esse opinor. Latetne fortasse nequam in nequaquam? Nam recte praepositionem *a* ante Geta delevit Wielingius: servi

autem nequam est et callidi impudentisque verba domini in alium sensum detorquere.

V, 1, 14. Paululum istorsum] „nunc istorsum adverbium est loci, alias nomen." Qui, quaeso, istorsum unquam nomen esse potest, vel quidquam aliud quam adverbium? Westerhovius pro istorsum legendum censet paululum, sed illud nunquam esse potest adverbium loci. Mutilum esse scholion opinor et sic supplendum: „istorsum ex isto versum; nunc isto adverbium loci, alias nomen."

23. Ex aegritudine miseram mors consecuta est] „bene moderatus est, ut neque nimis aegre ferat, neque rursum ἀπαθής sit." Quis moderatus est? Nam sunt haec verba mulieris. Pro est legendum sermo. Sic restituta erit frequenter recurrens illa de mortibus comicis observatio.

V, 3, 27 sq. Obiurgatus a Chremete quod fidem sibi non habeat Demipho rogat:

Vin me hoc credere?
Vin satis quaesitum mihi istuc esse?

Ad vin satis quaesitum annotatur: „hoc totum pro una persona quidam legunt." Haec quorsum pertinent?

V, 7, 55. „Malum adverbium est interpositae indignationis." Vocabulum interpositae corruptum videtur. An forte interpositum? Nam nunquam ista interiectio malum primam obtinet sententiae sedem.

69. „Ipse confitere uxori tuae quod deliquisti, ne illa e Phormione audiat" Demipho Chremetem monet

„Tum hunc impuratum poterimus nostro modo
Ulcisci."

Sch. Nostro modo ulcisci] „ingenio scilicet." Haud dubie corrupta haec sunt: requiritur aliquis infinitivus.

82. Lacrimis exstillaveris] „stillare est guttas emittere ex corpore, exstillare ipsum corpus guttatim finiri.'' Ultimam vocem corruptam censeo. Quis enim hic passivo locus?

V, 8, 27. Chremetem apud uxorem eius defendit Demipho. De eius oratione et alia annotantur et haec: „et epilogum ἀπὸ τῆς εὐνοίας τῆς ἐκβάσεως fecit, admonens illam oratorie mansuetudinis suae.'' Lege ἀπὸ τῆς εὐνοίας καὶ τῆς συμβάσεως; „argumenta quibus nititur sunt: benevolentia et gratiae reconciliatio.''

59. „Tu tuum nomen dic'' verba sunt Nausistratae ad Phormionem. Annotatur: „bene tu pronomine utitur, quia non habet nomen. Num nomen non habet Phormio? Lege nondum scit (sc. Nausistrata) pro non habet.

CAPUT QUARTUM.

Ad rem nunc accedo plenam periculi: de Terentii enim dicturus sum inventione, et scio persuasum esse debere omnibus, qui non plane in nostra disciplina hospites videri velint, Latinos scriptores hac inveniendi facultate plane caruisse. Certe hoc inculcare solent discipulis aliisque viri summa sapientiae laude conspicui. Sed mihi cum semper temerarium visum est de toto populo declarare eiusmodi aliquid, tum de Terentio paene ridiculum videtur. Quid enim? Magni est ingenii vir Terentius, literas Graecas et quidquid tum erat Latinarum in succum vertit sanguinemque, est praeterea Afer natione: eiusmodine virum, simulac Latine scribere incipiat, inveniendi facultatem, quam haud dubie a natura habeat, amittere censeamus? Neque tamen hic certae nobilissimorum virorum sententiae opponere quaedam auderem, nisi me in Terentio diu multumque versatum multa cogerent. Cogunt me multae magnaeque ipsius virtutes, cogit virorum elegantissimorum et Terentio aetate propinquorum iudicium, sed prae ceteris egregiae quaedam cogunt Donati annotationes: his enim demum efficitur ut Terentium intelligere possimus.

Initium faciam a notissimis illis Caesaris et Ciceronis versibus, quibus continetur quod aetate maximum exstat de poëta nostro iudicium. Ex illis apparet Menandri colorem a Terentio esse mutatum. Et Cicero quidem tectius, Caesar apertius significant

Menandri nervos ab eo esse infractos [1]. Mittamus hanc reprehensionem et suum utrique relinquamus iudicium. Sed certam rem nobis tradunt: non anxie pressisse Terentium auctorum suorum vestigia, non nimia diligentia eorum vocabula vertisse Latine. Et dicunt quidem viri docti, quoniam perierint illa exempla graeca, nobis iam non statuere licere quanta libertate in vertendo usus sit Terentius, sed inter locos, qui in annotationibus ad Hecyram ex Apollodori Hecyra citantur, unus est qui egregie rem illustret. In Hecyra III sc. 4 Parmeno ablegandus est: res enim inexspectata accidit, cuius illum testem esse herus eius Pamphilus minime velit. Ergo Pamphilus fingere aliquam rem debet cuius causa eum dimittat. Videamus nunc versus 17 — 27.

Pam. In arcem transcurso opus est. *Par.* Cui homini? [*Pam.* Tibi.
Par. In arcem, quid eo? *Pam.* Callidemidem hospitem
Myconium, qui mecum una advectust, conveni.
Par. Perii, vovisse hunc dicam, si salvos domum
Redisset unquam, ut me ambulando rumperet.
Pam. Quid cessas? *Par.* Quid vis dicam, an conveniam [modo?
Pam. Immo, quod constitui hodie conventurum eum
Non posse, ne me frustra illi exspectet; vola.
Par. At non novi hominis faciem. *Pam.* At faciam [ut noveris.
Magnus, rubicundus, crispus, crassus, caesius,
Cadaverosa facie.

Pro c r i s p u s, quod versu 26 legitur, Apollodorus dederat φαλακρός, rei et veritati convenienter, quoniam Myconii soleant

[1] Respicit hoc iudicium Scholiasta ad Prol. Phormionis vs. 5 annotans: „revera autem hoc deterior Menandro Terentius iudicabatur quod minus sublimi oratione uteretur."

esse calvi. At multo facetius sciens Terentius crispus dixit: facio enim cum Donato annotante: „ego Terentium puto scientem facetius Myconium crispum dixisse." Nam quo impudentius est mendacium, quo Parmeno decipitur, eo fit tota scena magis ridicula: perturbatus inopinata re Pamphilus et fingere aliquid coactus fingit quod non sit in rerum natura, et callidus ille Parmeno ne hoc quidem sentit.

Et omnino quin certum sibi Terentius habeat colorem, certum facetiarum genus, certa artificia dubitari nequit. Dabo exemplum. Quae insit festivitas in Eun. vs. 916:

Bene edepol narras, nam illi faveo virgini

Scholiasta auctore demonstravimus p. 70, atque recurrere illud artificium Hec. 233:

Gaudeo, ita me di ament, gnati causa

ibidem annotavimus. At Eunuchus Graeca Menandri est, Apollodori fuisse Hecyram Graecam inter viros doctos constat: ergo sive Menandrum sequitur, sive Apollodorum Terentius, tamen suam sibi servat indolem. Deinde non anxie singulos certae fabulae Graecae versus in suam transtulisse Terentium, sed interdum id fecisse, quod de viro in literis utrisque versatissimo exspectari poterat, ut ipse ex ea copia quam mente reconditam haberet suo arbitratu hic illic aspergeret aliquid, ex disertis apparet exemplis. Versus in Andria (959 sq.):

Ego deorum vitam eapropter sempiternam esse arbitror,
Quod voluptates eorum propriae sunt

apud Menandrum non in Andria leguntur sed in Eunucho. Ridiculae illae laudes, quibus in Phormione parasiti vita extollitur (vs. 339 sqq.):

Tene asymbolum venire unctum atque lautum e balneis,
Otiosum ab animo, quom ille et cura et sumptu absumitur!
Dum tibi fit quod placeat, ille ringitur, tu rideas

scriptae sunt ad imitationem versuum non Graeci poëtae

Apollodori sed Latini Ennii. Et fortasse ex eodem fonte proverbium illud quo parasitus utitur:

Tute hoc intristi, tibi omne est exedendum

Terentius hausit, nisi de suo finxit. Haec de Eunuchi loco in Andriam, deque Ennii versibus in Phormionem translatis ita nobis a Scholiasta traduntur ut nullus sit dubitandi locus. Quae si cui pauca videantur, non ego huc confugiam ut fortasse alia ex hoc genere exempla periisse dicam: immo ultro fateor plura ex eodem genere in antiquo commentario mihi lecta fuisse non videri, Sed permulta alia, quae tamen eodem tendant omnia, idem nos docet: quae singula neque plane certa neque magni momenti videri possint, coniuncta tamen et firmissima sunt et gravissima. Etenim quotiescunque Scholiasta Terentium „mire," „artificiose" scripsisse iudicat, simul mihi significare videtur eum illis locis ab exemplari suo recessisse. Nonnunquam disertis illud dicit verbis. Ad Andr. V, 3, 20:

Domus, uxor, liberi inventi invito patre

annotatum invenimus: „mira gravitate sensus elatus est, nec de Menandro, sed proprium Terentii."

Ad Adel. IV, 7:

Ipsa si cupiat Salus,
Servare prorsus non potest hanc familiam.

„Hinc licet aestimare quantum et coloris et gravitatis apud Terentium sit ad imitationem Caecilianam. Vide quantum creverit a superioribus, ut sic finiret."

Certiusne quidquam cogitari potest? Nonne enim hic Caecilio opponitur Terentius tamquam fideli interpreti poëta verus propriique coloris vindex? Nonne hoc dicit Scholiasta, Terentium, cum iam ab initio libera mente exemplaribus suis usus esset, uberrimum huius consilii cepisse fructum cum ultimam scriberet fabulam?

Et quemadmodum Caecilio hic, ita alibi Plauto Terentium

anteponit. Demea ille in Adelphis, ubi expertus est quam parum sibi severitas profuerit, subito hilaris fit, clemens, largus: ignoscit veniam petentibus, quidquid rogatur donat et ipse multa ultro addit, mirantique fratri, quid sibi ista velit benignitas respondet (V, 9, 28 sqq.):

Dicam tibi:
Ut id ostenderem, quod te isti facilem et festivum putant,
Id non fieri ex vera vita, neque adeo ex aequo et bono,
Sed ex assentando et indulgendo et largiendo, Micio.

Annotat Scholiasta: „bene in postremo dignitas huius personae servata est, ut non perpetuo commutata videretur, ut Truculenti apud Plautum." Nonne inepte hic Terentius laudaretur, si a Menandro illum locum sumpsisset?

Hisce ergo exemplis fretus, aut omnibus aut plerisque locis ubi Terentium laudat Scholiasta (modo autem nomine eius utitur, modo p o ë t a m appellat), proprium quoddam eius inventum laudari statuo. Enumerabo quae huc faciant tantum non omnia.

I. Primus omnium Terentius bonas socrus et bonas meretrices in scenam introduxit. Terentii esse illud inventum diserte docet scholion ad Hecyram V, 2, 8: „multa Terentius feliciter ausus est arte fretus. Nam et socrus bonas et meretrices honesti cupidas, praeterquam pervulgatum est, facit. Sed tanta vigilantia causarum et rationum momenta subiungit, ut ei soli merito videantur omnia licere." Eodem pertinet scholion ad V, 1, 1:

„Rarus vitae color in hac locutione miscetur a poëta. Nam meretrix loquitur et senex, et quod est mirabilius, bona meretrix mitis senex: ut intelligas laborasse Terentium ut a lege comicorum recederet et in actu tamen consuetudinem retineret."

II. Lepidissime felicissimeque Terentius novas personas loquentes agentesque inducit. Pluribus locis de hoc agitur artificio, quos afferre opus non est.

III. Nulla vero Terentii virtus frequentius laudatur quam v i g i l a n t i a eius, qua quae fiant futurave sint verisimilia reddat. Insigniores de hac re locos apponam:

Hec. II, 2, 19. Laches Phidippum reprehendit quod filiam ad maritum non remittat et aliis verbis et hisce:

> Neque adeo clam me est, quam esse eum graviter laturum
> [credam,
> Hoc si rescierit.

Annotatur: „ingeniosissime poëta iam praeparat causam simulaturo ob hanc rem iracundiam Pamphilo."

Hec. V, 1, 30. Bacchis peregrina rogata ut ad Philumenam introeat, conciliatura eam Pamphilo marito respondet:

> Faciam: quod pol, si esset alia ex hoc quaestu, haud
> [faceret scio.

Annotatur: „vigilanter poëta, ne non verisimile videretur id ullam fecisse meretricem, ipse lectorem praevenit. Et sic fere in omnibus Terentius, quae minus pervulgata sunt, quaeque abhorrent a consuetudine, agit."

Phorm. II, 1, 65. Cum Geta servo suo loquens Demea filii stultitiam, qui se absente ab improbo impostore coactus sit uxorem ducere, quam cognatam eius dixisset ille, ita exagitat:

> Mitto omnia,
> Addo istuc: imprudens timuit adolescens: sino.
> Tu servus! Verum si cognata est maxime,
> Non fuit necesse habere: sed, id quod lex iubet,
> Dotem daretis, quaereret alium virum.
> Qua ratione inopem potius ducebat domum?

Annotatur: „sub obtentu huius propositionis, in qua pars legis ostenditur, iam poëta praeparat locum fallaciae Phormionis de dote accipienda."

IV. Vigilantiae similes virtutes Terentii his locis laudantur:

Hec. III, 1, 47. Pamphilus, qui modo cum servo Parmenone ante ostium Philumenae steterat, aegrotare ubi illam

audit, introrumpit. Remanet Parmeno et secum sic loquitur:

Non usus facto est mihi nunc hunc intro sequi.

Annotatur: „vide artificem Terentium, quemadmodum alias per Pamphilum, alias per ipsum Parmenonem invenit, quemadmodum nesciatur a ceteris virginem ante nuptias ab ipso Pamphilo vitiatam esse."

Hec. IV, 2, 20. Sostrata, in quam discordiae filium inter eiusque uxorem culpa a marito confertur, e medio recedere vult et rus abire, filioque consilium suum sic commendat:

Haec mihi nunc cura est maxima, ut ne cui mea
Longinquitas aetatis obstet, mortemve exspectet meam.

Annotatur: „sedulo agit socrus ne quid per iracundiam statuisse videatur. Vide tamen ut intermisceatur indignatio et multa dolore deprompta sint, quod poëta non invitus facit ad mores exprimendos personasque reddendas."

Hec. V, 4, 11. Parmeno, servorum omnium curiosissimus, ad herilem filium nuntium attulit, quo accepto ille exsultat gaudio; ipse tamen quid in nuntio insit laeti iuxta cum ignarissimis ignorat. Roganti ergo domino:

Egone te pro hoc nuntio quid donem? quid? quid? nescio.

Respondet:

Nihil enim.
Nam neque in nuntio neque in me ipso tibi boni quid [sit scio.

Annotatur: „facete agit Terentius ut, quanto magis Parmeno curiosus est, tanto magis nesciat illa quae cupit."

V. Ubi duo homines in scena versantur, quid alter faciat quive eius sint gestus ex alterius apparet verbis. Multi huc Scholiastae loci pertinent, quos omnes citare longum est, neque facilis electio.

VI. Nunquam quisquam in Terentii comoediis tam stultus est quin tamen astutiae habeat aliquid. Vide hac de re quae dicta sunt huius libri p. 35 (ad Eun. vs. 443).

VII. Nihil in comoediis esse Terentius patitur tragici.[1] Vide p. 83 huius libri.

Addam pauca quae ad quod genus potissimum sint referenda non video:

Phorm. II, 3, 5. Phormio ad Demiphonem accedens, a quo ad causam dicendam fuerat arcessitus, secum, sed ita ut Demipho audiat, haec loquitur:

Pro deum immortalium!
Negat Phanium esse hanc sibi cognatam Demipho?

Annotatur: „magno ingenio Terentius impudentiam calumniatoris expressit. Nam et prior incipit et prior accusat." Et ipsius Terentii hoc esse inventum efficio ex Andriae loco IV, 1, 20. Charinum, iniuria sibi iratum sedare dum cupit Pamphilus, prior alloquitur his verbis:

Charine, et me et te imprudens, nisi quid di respiciunt, [perdidi.

Annotatur: „mire et artificiose fecit Pamphilum priorem alloqui ad perfringendam iracundiam Charini, alioqui, si prior vociferari potuisset, tragica exclamatione usus fuisset."

Quamvis enim contrarii inter se hi loci dici possint (altero enim impostoris impudentia depingitur, altero verecundi iuvenis placida indoles) eiusdem tamen esse artificis facile sentis.

Adel. III, 3, 65. Demeae severo illi seni ficta quaedam de filii, quem ipse domi educavit, probitate Syrus narravit; quibus auditis gaudio ille adeo perfunditur ut paene iam mitis fiat. Sed subito scurrilibus iocis senem ludibrio habere servus incipit. Annotatur: „prope delinitus erat Demea contra institutum argumenti. Artificiose igitur poëta subiecit ex persona servi, unde illum ad amaritudinem provocet."

---

[1] Puto Ciceronem Caesaremque Terentii comitatem cum levi vituperatione laudantes praeter sermonem eius lenem sedatumque et alia spectasse et hunc *τοῦ τραγικοῦ* metum.

Haec autem omnia, quae neque pauca sunt et facile augeri possunt, omnia mores personarum a Terentio depictos spectant orationemque qua illae utantur. De oeconomia a Terentio immutata nihildum dictum est. Huc ergo transeundum.

Aequales inimici obiicere solebant Terentio quod fabulas contaminaret. Nobis non vitium videri illud potest sed virtus. Ipse quoque rem non negat. Etenim in prologo ad Heaut. ipse declarat:

vs. 4. Ex integra Graeca integram comoediam
Hodie sum acturus Heautontimorumenon.

Agnoscit ergo se non ita egisse in duabus prioribus, neque sibi ita agendi in posterum legem statuere. Sed videamus quae nobis sint contaminationis apud Terentium exempla tradita (omnia hic Donato debemus), sive potius (nam hoc ab illo divelli non potest) quibus rebus in fabularum oeconomia ab auctoribus suis recesserit.

Andria. Primum ratio est habenda eorum quae ipse narrat in prologo vs. 9 — 14.[1]) Sed certiora tradit Donatus. Quae in prima fabula apud Menandrum in Andria solus secum loquitur Simo senex (et tamquam memoria recolit,[2]) ea in eiusdem Perinthia senex uxori suae narrat. At Terentius eadem narrantem Simonem facit Sosiae liberto suo et coquo. Profecto vere dici hoc potest: transferre et pro suis uti. Hoc enim iam pro certo statuere licet, coquum illum a Terentio inventum, fictum, depictumque.

In eadem fabula Charinus et Byrria a Terentio sunt additi. Verba Scholiastae sunt: „Has personas Terentius addidit

---

[1]) Menander fecit Andriam et Perinthiam:
Qui utramvis recte norit ambas noverit:
Non ita sunt dissimili argumento, sed tamen
Dissimili oratione sunt factae ac stilo.
Quae convenere in Andriam ex Perinthia
Fatetur transtulisse atque usum pro suis.

[2]) Cf. initium Adelphorum, ubi de nequitia filii adoptivi Micio solus secum loquitur.

fabulae, nam non sunt apud Menandrum." Et fortasse, ne illi nimis inexspectati in scenam venirent, in priore parte fabulae posuit quaedam, quibus animi spectatorum praepararentur. Eo spectare videtur scholion quale est hoc ad I, 1, 37: „talem esse Pamphilum adiuvat argumentum fabulae, simul et Charinum." Denique fabulae, cuius prior pars adeo esset amplificata, alteram in brevius debuit contrahere. Sch. ad V, 2, 8: „vult enim iam poëta catastrophen patefieri." Certe in ultimis scholiis Donatus frequenter his verbis: „post compendium" utitur. Idem in Eunucho factum est, v. pag. 74 huius libri.

Sch. ad V, 6, 13: „quia audacter et artificiose binos amores duorum adolescentium et binas nuptias in una fabula machinatus est, et id extra praescriptum Menandri, cuius comoediam transferebat, idcirco aliud in proscenio, aliud post scenam retulit, ne vel iusto longior fieret, vel in eandem propter rerum similitudinem cogerentur."

Levius est tertium hoc: Mysis egrediens simul spectatores certiores reddit de re quae est in manibus et facetiarum aliquid addit (de Lesbia obstetrice, quam ideo Archylis ad parturientem Glycerium arcessat, quod ipsius sit compotatrix. v. Schol.).

Eunuchus. In Menandri Eunuchum ex eiusdem Colace translati sunt miles et parasitus; in eadem fabula apud Menandrum Chaerea adolescentulus e Thaidis aedibus egrediens, ubi voto suo est potitus, de felicitate sua solus declamat. At Terentius novam personam Antiphonem invenit, cui Chaerea rem ab initio ad finem vividis depingeret coloribus. Schol.: „bene inventa persona est cui narret Chaerea, ne unus diu loquatur ut apud Menandrum." Non tam levis haec res est quam videtur. Conferatur enim Simonis in Andria soliloquium a Terentio in colloquium conversum, ut appareat peculiare

hoc esse Terentii artificium. Postremo vide quae de sene, cui apud Terentium nullum, apud Menandrum Simo nomen est, diximus p. 74 (ad Eun. V, 5).

In Menandri Adelphis non venit in scenam adolescens qui lenoni eripuit meretricem. Eum Terentius transtulit e Diphili comoedia, cui titulus *συναποθνήσκοντες*.

Leviora ad eandem fabulam pertinentia ex hoc genere haec tradit Scholiasta, quae tamen in unum coniuncta minime sunt spernenda:

I, 2, 1. Schol. Ehem opportune] „melius quam Menander, cum hic illum ad iurgium promptiorem quam ad resalutandum faciat.'' Apud Menandrum ergo Demea resalutat.

II, 4, 11. Schol. ad pene e patria annotat: „Menander mori eum (Ctesiphonem) voluisse fingit, Terentius fugere,'' vide huius libri p. 84.

III, 2, 54. Apud Terentium Hegio, cuius opem implorat Sostrata, Pamphilae mater, Sostratae cognatus, apud Menandrum eiusdem frater est. Haud de nihilo hoc immutasse Terentius videtur. Etenim Hegio depingitur tamquam exemplum probitatis: a fratre autem auxilium ferri sorori eiusque filiae, quibus ingens est illata iniuria, minime mirandum: eiusmodi fidelitatem in cognato remotiore laudamus magis.

V, 8, 15. „Apud Menandrum'' Scholiasta ait „senex de nuptiis non gravatur.'' Ergo Menandri lectores lepidissima illa disputatione, qua, multum luctatus, Micio tandem aliquando eo adducitur ut Sostratam anum ducat, caruerunt. Atque omissa illa disputatione totus locus fit absurdissimus: naturae enim contrarium est ipsum Micionem statim probare ridiculam poenam a fratre excogitatam.

Hecyra. Schol.: „novo genere hic utraque *προτατικὰ πρόσωπα* inducuntur. Nam et Philotis et Syra non pertinent ad

argumentum fabulae. Hoc autem maluit Terentius quam aut per prologum narraret argumentum aut θεὸν ἀπὸ μηχανῆς induceret loqui.'' Ergo colloquium Philotidis Syraeque apud Apollodorum non fuit.[1] Et quam lepidum illud sit, quam apte eleganterque ex nuda narratione iusta scena facta sit, egregie docet Scholiasta, cuius unam hanc affero annotationem. Vs. 18: collocuta cum Philotide Syra anus multumque illam adhortata ne cuiusquam amatoris peculio parcat, quoniam perfidi sint omnes, ad extremum haec dicit:

Eheu me miseram, cur non aut istaec mihi
Aetas et forma est aut tibi haec sententia?

Sch. Eheu me miseram] „bene, quia non suasit, [sed] affectum doloris expressit. Intelligitur enim ex vultu eius non eam persuasisse quod voluit.''

Inspectis scholiis ad II, 1, 1 et V, 2, 8 apparet bonam socrum bonamque meretricem a Terentio inventas. Cf. quae dicta sunt pag. 191.

Apud Terentium Bacchis narrat sibi ipsum Pamphilum narrasse a se virginem vitiatam et quomodo. Apud Apollodorum alio modo se res habet, siquidem legimus (Sch. ad V, 3, 27): „brevitati consulit Terentius, nam in Graeca haec aguntur, non narrantur.'' Absurda haec sunt et a compilatore corrupta (qui enim in scena agi possunt quae abhinc novem menses facta sunt?) docent tamen hic quoque haud leviter immutatum exemplum Graecum.

Id. ad V, 3, 35: „conclusit narrationem fabulae more suo, ne haec in futuro actu exspectaremus.'' (Lege inclusit pro conclusit et spectaremus pro exspectaremus).

---

[1]) Atque ingeniosior quam verior Bentleji coniectura e corrupto ad Terentium scholio hoc fabulae Graecae exordium eruentis:

ὀλίγαις ἐραστὴς γέγον' ἑταίραισιν Σύρα
βέβαιος.

P h o r m i o. πρόσωπον προτατικόν Davi, cui Geta narret quo dolo herilis filius usus sit ut absente patre amatam sibi filiam uxorem duceret, a Terentio est additum. v. Scholia ad vs. 1 fabulae.

I, 2, 41. Schol.: „Apollodorus tonsorem ipsum nuntium facit qui dicat se nuper puellae comam ob luctum abstulisse, quod scio mutasse Terentium ne externis moribus spectatorem Romanum offenderet."

IV, 3, 42. Argentum emuncturus senibus Demiphoni et Chremeti Geta se cum Phormione collocutum narrat de recipienda cognata quam ille Antiphoni uxorem obtruserit. „At nimium quantum" servus ait „argenti postulabat ille. Dixi ergo: nunquam senex meus tantum dabit:

quaeso quid si filiam
Suam unicam locaret? parvi retulit
Non suscepisse: inventa est quae dotem petat!"

Apud Apollodorum autem senem ipsum dicere: „quid interest me non suscepisse filiam, si modo dos dabitur alienae" Scholiasta docet. Neque posset dicere nisi totus locus aliter se apud Apollodorum quam apud Terentium haberet.

Haud pauca ergo nova Terentius ipse suis inseruit fabulis; earum paucissima parvi sunt momenti, plura gravia, aliqua vero gravissima. Omnibus autem illis novis ornamentis fabulae redditae sunt lepidiores, vitaeque accessit permultum, solaque quae nihil huiuscemodi habet Heautontim. ceteris omnibus est languidior exiliorque. N o v a s   a u t e m   p e r s o n a s (de προτατικοῖς hoc non valet) novasque scenas introducenti Terentio quantum praeterea fuerit immutandum in fabulae compositione exponere nolo. Eiusmodi enim disputationes non possunt non esse lectu difficillimae, in labyrinthum inducunt lectorem; atque hoc loco utilitatis habere nihil possunt, cum res sponte appareat. Unum hoc dico nusquam apparere commissuras,

nusquam patere rimas. Sed quo magis appareat quantus sit artifex Terentius, quamque peritus artis scenicae, Andriam eius cum Menandri cognomine fabula comparabo: sic elucebit quanto illa huic praestet. Versabitur disputatio in duplici argumento.

I. Sosia coquus, Simonis libertus, a Terentio est inventus.

II. Charinus Byrriaque a Terentio additi. Utrum ab eo sint inventi an ex alia translati fabula nil refert, sed illud verisimilius.

Menandri Andria a soliloquio orditur, in Perinthiae initio colloquium est senis uxorisque: ergo coqui personam Terentius finxit et non solum verba, quibus ipse utitur, sed etiam quibus eum tamquam libertum alloquitur senex, a Terentio sunt non e Graeco exemplari aliquo modo translata sed „nova facta." Atque haec quidem res, licet totius fabulae oeconomiam non tangat, tamen toti splendidum praebuit ornamentum; inde enim primum actum nacta est, quo nil cogitari venustius possit. Nimis severus in Menandrum sit, qui illud in Andria soliloquium cum hoc Terentiano actu comparet; sed ne colloquium quidem Perinthiae senem inter uxoremque tam egregium fuisse credo quam illud Simonis libertique. Quod enim in suo genere perfectum est non facile aliquid ex eodem genere sibi par inveniet. Et personarum quas apud Terentium videmus nulla tam ex ipsa vita est expressa quam illa coqui; quidquid ille dicit ἦθος habet, vivit, spirat. Neque minus verba quibus eum alloquitur senex ex animo eius et pectore sunt deprompta. Audacius aliquid dicam: rem agi vides non Athenis sed in ipsa urbe Roma: scripta haec sunt a poëta, qui quae ratio inter patronum libertumque intercederet Romae cognovit [1]). Sed adspiciamus singula.

---

[1]) Non hoc dico propter senis verba (vs. 40) „haud muto factum," de quibus quam perverse etiam nunc iudicent viri docti et quam prudenter Scholiasta vidimus p. 86.

vs. 28. Senex graviter commotus est, trepidus, anxius. Hunc animi statum agnosco primum in verbis ista auferte, ad quae Scholiasta annotat: „auferimus ea quae cum fastidio cernimus." Sic ergo is loquitur, qui re, quam cum maxime in manibus habet, quantocius defungi gestit et ad aliam, qua vexatur, convertere mentem. Deinde etiam in vocabulo adesdum, quod equidem hic certe revocantis esse censeo, ita ut senex primum omnes comites suos ableget, solus esse cupiens, deinde animum mutet consiliorumque [1]) sibi sumat socium. Eiusmodi aliquid et Scholiasta sensisse videtur, qui ad abite annotat: „concitatius legendum, quia et respectantes properant et secernit a Sosia." [2])

Illud (vs. 29) dictum puta iocosam habet gravitatem liberti, qui diu in eadem domo servierit, quem admonere opus non sit, qui sciat quid sui sit officii et illud suo tempore sit facturus. Neque negligendum, quod statim sequitur, vocabulum nempe, quod cum lenissimo contemptu ridentis est („noli timere, obsonia ista ex artis praeceptis parabuntur").

vs. 30. Quid est quod tibi mea ars hoc possit amplius? De arte sua tantummodo cogitat artifex, et esse praeter illam quidquam, quod magni sit momenti, in mentem ei ne venit quidem.

vs. 34. Exspecto quid velis duplici potest pronuntiari modo: aut gravitatem quasi militarem habet eius qui se ad imperium accipiendum paratum declaret, aut hic quoque coqui fastus cernitur rogantis: „quae esse potest gravis ista res quae tamen ad culinam non pertineat?"

vs. 35. Cum aliqua gravitate oratoria allocutionem suam orditur senex, qua suum consilium eius fidei committat. Atque postquam de lenitate sua erga servum etiamtum coquum dixit,

---

[1]) Cf. Eun. vs. 765. Chremetem abire volentem Thais retinet. Hic ille: „omitte, iam adero," ubi adero est revertar.

[2]) De huius scholii emendatione dixi quaedam p. 126.

hoc addit: „feci ex servo ut esses mihi libertus." Bene perspexisse videtur Scholiasta qui esset horum verborum color, et aliquatenus etiam significasse annotando: „mire addit e servo ut vim beneficii exprimeret." Non dicit breviter manu emisi te neque libertum te feci sed feci ut libertus esses mihi; neque hoc satis videtur sed adiicit e servo. Consulto verbosus est senex quo magis audientis commoveat animum. Haec est illa ubertas quam orationis succum dicit Cicero.

Atque eadem verbositas tota senis narratione observatur. Nihil omittit unde apparere possit quam iuste doleat et tristis sit anxiusque. Dixerit aliquis: „quorsum pertinet longa ista descriptio pristinae, qua vixit filius, severitatis?" Respondebit Scholiasta, et apte prudenterque respondebit: „bene actae vitae ratio ad eam rem valet ut ostendat quam iustus dolor patri sit spe decepto." Non patiar mihi hic unum eripi verbum; ergo probare non possum recentiorum sapientiam, qui mihi in versibus:

Nam is postquam excessit ex ephebis, Sosia,
Liberius vivendi fuit potestas (nam antea
Qui scire posses aut ingenium noscere
Dum aetas, metus, magister prohibebant?

illud „Sosia — potestas" uncinis includunt. Nonne vident cum quanto loci detrimento ille vocativus Sosia eximatur, quantum ille ἦθος habeat? Equidem audire mihi hic videor senem singultum devorantem. Quidni ergo una voce fuit in ubi mutata ceteris salutem afferamus?

vs. 54. Hic libertus suum ita est interserit. „Intercedit poëta" ait Scholiasta, „ne solus Simo loqueretur: ceterum non erat respondendi locus necessarius." Profecto consulto poëta hic loquentem inducit Sosiam: colloquium enim facit e prologo; sed quam apte hoc ipso loco Sosiae silentium interrumpit. Qui illud ipsum ita est cum capitis quodam nutu et vultu

sapientis dicit. Est enim plenus sapientiae et secum habet promptuarium sententiarum de moribus corruptis et emendandis. Vide modo vs. 60 sq., ubi ita loquitur libertus:

Non iniuria, nam id arbitror
Apprime in vita esse utile ut nequid nimis

et Scholiasta annotationem ponit cognatam modo citatae: „intempestive Sosia respondit, sed prudentia tamen sententiae compensavit importunitatem."

Tum sic senex pergit (vs. 62—66):

Sic vita erat: facile omnes perferre ac pati:
Cum quibus erat quomque una, eis sese debere:
Eorum obsequi studiis, advorsus nemini,
Nunquam praeponens se illis, ita facillime
Sine invidia laudem invenias et amicos pares.

Recipiunt vulgo viri docti Bentleji transpositionem, ut et hic aliquid delere possint. Legunt ergo s t u d i i s o b s e q u i includuntque a d v o r s u s ...i l l i s. Sed ego illa verba mordicus retineo. Quando enim verbosum senem magis decet ipsa verbositas quam ubi describit dilectus suus filiolus qua fuerit olim lenitate, clementia, mansuetudine?

67\. Hic quoque coquus continere se non potest quin sapiens dictum promat:

Sapienter vitam instituit: namque hoc tempore
Obsequium amicos, veritas odium parit.

Est enim, quod de sapiente coquo exspectes, laudator temporis acti se puero, itaque simul suae indulget sapientiae et poëtae adiuvat propositum.

Vix audivit Sosia illud de muliere formosa quae ex insula Andro Athenas migraverit Simonisque sit facta vicina quin exclamet:

Ei, vereor ne quid Andria apportet mali.

Excogitavit personam Terentius ut haberet senex cui narraret. Poteratne lepidiorem excogitare quam hic est Sosia, qui tam

facete significet quam bonus sit diligensque auditor? Quique tam bene tamque diserte significet domini incommoda se sibi illata putare? Iure enim meritoque vocabulo Andria suum adscripsit mire Scholiasta. Nempe hoc uno vocabulo multa dicit Sosia, et quantum illud sit exortum periculum, et quam penitus atque toto, ut aiunt, pectore eius persentiscat gravitatem: ipse enim tamquam nomen illi dat periculo.

Idem illud ἦθος agnoscitur in uno verbo teneo quo vs. 85 utitur, ubi senem dicentem audivit „Chrysidem ... Andriae illi id erat nomen." Sed magis etiam in illa versus 105 exclamatione qua, simulac de Chrysidis morte audivit, gaudium suum testificatur: „o factum bene: beasti: ei metui a Chryside."

De Andria autem, post illam Sosiae exclamationem, ita pergit Simo (vs. 74 sqq.):

Primo haec pudice vitam parce et duriter
Agebat, lana ac tela victum quaeritans:
Sed postquam amans accessit pretium pollicens
Unus et item alter: ita ut ingeniumst omnium
Hominum ab labore proclive ad lubidinem,
Accepit conditionem, dein quaestum occipit.

Et vocabulum victum et verbum quaeritans, id quod prudenter observat Scholiasta, significant vitam Chrysidis simul laboriosam fuisse et pauperem. Et perite annotat: „cum uno quaestus non est, cum altero non est, cum multis fit."

„Postquam audivi" sic senex pergit „filium quoque meum ab amicis ad Chrysidem perductum esse, perculsus animo, amicorum illorum servos ab ea abeuntes observabam, et quis heri Chrysidem habuisset quaerebam. Atque Phaedria, Clinia, Nicerato ab iis nominatis tum denique „eho, quid Pamphilus" rogabam. Illi:

quid? symbolam
Dedit, coenavit.

Hic quoque, ut tam multis locis, ostendit Scholiasta egregie

se sentire quam vitae pleni sint omnes Terentii versus. Annotat enim: „cetera sunt in gestu quaerentis quid dicat de Pamphilo nec invenientis.''

Hic me aliquis sic interpellare possit: „Heus tu, de Sosiae persona dicturus eras, sed identidem etiam, si quos in Simonis verbis deprehendere tibi videris lepores, illos nobis indicas.'' Feci hoc, fateor, sed facti non poenitet. Non enim tam bene lepideque narrare potuisset Simo, nisi tam bonum nactus esset auditorem. Quid quod singula sua verba illius moribus ingenioque accommodat.

89. Sic senex pergit:

item alio die
Quaerebam: comperiebam nil ad Pamphilum
Quicquam attinere.

Hic quoque ego, quamvis mirum videatur, narrantis ἦθος agnosco. Et tamen ne Scholiasta quidem, accuratissimus ille ornamentorum, quae sermo Terentii habet, observator, quidquam me docet. Is enim annotat: Nihil ad Pamphilum quicquam] „παρέλκον: nam abundat quidquam, nam nemo quisquam non dicitur.'' Haeccine a Donato profecta credamus? Non ego. Vix hic oculis meis fidem habeo. Itane vero? Non dicitur nemo quisquam? Quid ergo Eun. vs. 1032 legitur? Nempe:

O populares! ecquis me hodie vivit fortunatior?
Nemo, hercle, quisquam [1]).

Et fac iam nunquam antea dictum illud fuisse nemo quisquam, nonne liceret Terentio eam vocabulorum compositionem

---

[1]) Unus hic locus satis, ut opinor, demonstrat non ipsum Donatum ea scripsisse quae modo citabamus. Corruptam a compilatore annotationem censeo, quae olim huiuscemodi fuerit: „eodem modo nemo quisquam dicitur.'' Nam Donatum aliquid docuisse quod veritati adversa fronte repugnaret mihi non persuadetur. Cf. quod in scholio sincero integroque legitur ad Phorm. I, 2, 30: Noster mali nil quicquam] „quartum παρέλκον, ut in Hecyra: nam nemo illorum quisquam, scito, ad te venit.''

de suo fingere? Nihil hic, ut opinor, faciunt leges grammaticae. Non enim poëtarum domina est grammatica sed ipsa poëtis servit. Perversum itaque est locos qualis hic est eiusmodi observationibus illustrare, quibus ad aliquod grammaticae relegamur caput, vel ad eos annotare: „sic interdum (raro, saepe) legitur apud antiquos poëtas." Verum est: eiusmodi verborum ubertate utuntur qui vehementius commoti intimos affectus animi proferunt. Et hic quidem senex noster illa verbositate significat penitus sibi illo quidem tempore de filii innocentia fuisse persuasum, seque dulci quodam securitatis sensu fuisse perfusum, cum sic quotidie illos homines narrantes audiret. At Eun. vs. 549 Chaereae verba nemo homost tribuuntur, quoniam non poterat alio modo aptius eius indignatio significari quod nunc cum rem laetissimam narrare gestiat amicum conspiciat nullum.

Idem Chaerea in eadem fabula (vs. 1032) exclamat:

O populares ecquis me hodie vivit fortunatior?
Nemo hercle quisquam.

Ibi autem illud nemo quisquam accommodatissimum est homini qui prae gaudio vix inveniat quod dicat.

In Adelph. Ctesipho cum dicit (vs. 258 sq.):

Itaque unam hanc rem me habere praeter alios praeci-
[puam arbitror
Fratrem homini nemini esse primarum artium magis
[principem

nil habet quo melius quam verbis homini nemini amorem suum erga optimum fratrem significet.

In Hecyra (vs. 280) Pamphilus

Nemini ego plura esse acerba credo ex amore homini
[unquam oblata
Quam mihi

ait; ubi illud nemini homini sponte ex animo miseriis plane afflicto fluere videtur.

In Phormione (vs. 591) Getae haec sunt verba:

Ego hominem callidiorem vidi neminem
Quam Phormionem.

Adeo enim Phormionem admiratur ut solito verborum numero contentus esse non possit cum illum laudat.

„Mortua Chryside" sic senex pergit „cum viderem a filio quoque meo eam lugeri idque sincere et ex animo, tamen mali suspicabar nihil (vs. 113):

Haec ego putabam esse omnia humani ingenii.

Quantum sit in uno verbo putabam non sentientes docere potest Scholiasta verissima hac annotatione: „putare est eius, qui simplicitate pectoris aberravit." Videre mihi videor senem, dum haec loquitur, frontem manu verberantem.

Tum hoc addit (vs. 114 sq.):

quid multis moror?
Egomet quoque eius causa in funus prodeo.

Hic continere se iam non potest Sosia quin exclamet: „Hem quid est?" Erret qui putet poëtam colloquii tantum causa, quod sibi facere proposuisset, hic aliquid dicentem induxisse libertum, sed quid diceret ille parum curasse. Meliora eum docere possit Scholiastae annotatio: „Hem perculsi ac metuentis." Nam hoc fere una hac voce dicit Sosia: „Di boni, ad tantamne tu te insaniam abripi passus es?"

„In eo funere" senex narrat (117 sqq.):

inter mulieres,
Quae ibi aderant, forte unam aspicio adolescentulam
Forma.

Interpellat eum Sosia dicendo: „bona fortasse." Quid magis quam illud decet grandaevum libertum [1]) multo usu edoctum

[1]) Nihil huic loco minus aptum inveniri poterat quam Bentleji inventum unum verbum fortasse Sosiae tribuentis et bona Simoni relinquentis. Primum quod annotat: „fere enim servi et liberti in talibus rebus iudicandis inducuntur suis dominis severiores et difficiliores" id in bonum nostrum Sosiam certe non convenit

quantum periculi impendeat patribus ex filiorum amoribus. Etenim gestu, voce, actu adiuvandum hoc dictum est, ut haec ex eo audiatur sententia: „ecce autem! haud iniuria etiam Chrysidis morte cognita, tamen metum non posueram". Et ut malum aliquod ab illa „adolescentula" metueret libertus ipse patronus effecit addendo adiectivo u n a m, quo, ut perite observat Scholiasta, „consuetudo mirantis exprimitur."

„Vultum eius honestum liberalemque admiratus," sic senex pergit, „simulque quia mihi videbatur insigni ob Chrysidis mortem affecta tristitia, quae sit illa rogo, auditoque Chrysidis esse sororem, statim mecum (vs. 125 sq.):

attat hoc illud est:
Hinc illae lacrimae, haec illast misericordia."

„A t t a t" Scholiasta ait „interiectio est admirantis." Sed multo melius et nostro quoque loco aptius ad Eun. vs. 727 de eadem voce annotat: „a t t a t interiectio est paulatim percepti atque intellecti mali." Nonne ergo una nos illa vox admonet scire et persuasum sibi habere Simonem omnia haec se narrare liberto fidelissimo suique amantissimo? Neque eum spes fallit. Exclamat enim Sosia tamquam proprii periculi metu sollicitus:

Quam timeo quorsum evadas.

Et possum sic satis longam patroni narrationem paucaque a liberto interiecta vocabula persequi, nisi mihi nimis saepe esset subsistendum; nam quod ad vs. 132 annotat Scholiasta: omnia ibi vocabula s i g n i f i c a n t e r esse posita, id de toto hoc loco valet. Atque hunc actum tam plenum vitae, in quo quae dicuntur tamquam ante oculos nostros agi cernimus, hanc venustissimam imaginem solus fecit Terentius nulla ope aliena

---

dein mire inter se discordant simplex de f o r m a b o n a narratio et de v u l t u exclamatio illa admirationis plena. Et totum Simonis pectus admirationis plenum esse ex uno illo vocativo Sosia, *ἠθικώτατα* interiecto, vel optime apparet.

adiutus. Qui enim libertum finxerit etiam patronum finxisse censendus est, aliusque fuit sermonis eius color, quem in Perinthia cum uxore habuit senex, atque huius est, qui inter patronum habetur libertumque [1]).

Unum etiam addo quod, ut opinor, documento esse possit indicioque non imitatorem hic fuisse Terentium nedum interpretem, quodque illud melius etiam quam cetera omnia quae dicta hucusque sunt doceat. Qui enim de Graeco Latine vertit, vel Graecum exemplar Latine imitari conatur, is, ut opinor, operam dabit ut omnia sint quam levissima politissimaque; singulis vocabulis elimandis mentem oculosque anxie intentos habebit, non patietur quidquam restare asperi horridique: hic enim, hic unicus locus est ubi artis peritiaeque suae det documentum. At cuius est inventio, is elocutionem non quidem negliget sed mente liberiore in ea versabitur; hoc enim ei est primarium ut inventum suum ipsam referat naturam; quosque ille homines loquentes disputantesve inducit, ut veros verorum hominum habeant mores ingeniumque atque moribus illis ingenioque convenienter loquantur, hoc spectabit, in hoc se exercebit de ceteris omnibus securior. Ita oratio evadet vitae quidem plenissima sed non anxie ad normam aliquam grammaticam exacta atque directa; haud pauca in ea restabunt horridiuscula, hiantia, discrepantia. Atque ex hoc genere admodum multos naevos in ipsa hac parte Andriae observabimus, non illos quidem qui dedecori ei sint sed qui nobis hoc per-

---

[1]) Minime hic negligendum quod in vita Terentii legitur de Terentio fabulam recitante Caecilio et post paucos versus placente:

„Andriam quum aedilibus daret, iussus ante Caecilio recitare, ad coenantem quum venisset, dictus est initium quidem fabulae, quod erat contemptiore vestitu subsellio iuxta lectulum residens legisse: post paucos vero versus invitatus, ut accumberet, coenasse una, deinde cetera percurrisse non sine magna Caecilii admiratione." Admirabatur autem senex poëta, magnae in theatro famae, felicem adolescentis audaciam.

spicuum reddant fingendae quam perpoliendae ei magis fuisse artificis mentem intentam. Ecce unum alterumque.

43. Sed hoc mihi molestum: nam istaec commemoratio
Quasi exprobratiost immemori benefici.

Quomodo haec inter se cohaerent, an plane non cohaerent? Quo referendum illud hoc, quove nam? Denique hoc exprobratio immemori benefici, ubi dativus immemori a substantivo exprobratio pendet, egregie quidem convenit quotidiano hominum sermoni in foro versantium vel inter privatos parietes libere confabulantium, sed a poëta diligenti et de orationis puritate unice sollicito vix et ne vix quidem ferrentur.

vs. 56.

Ut animum ad aliquod studium adiungant, aut equos
Alere aut canes ad venandum, aut ad philosophos.

Vix se hic contineat Orbilius aliquis quin stilo suo semper parato immensos, ut ipsi videntur, turpesque poëtae errores in margine notet. Nos vero poëtam hic deprehendimus soluto animo in argumento suo ludentem, et, dummodo pectus habeant personae suae, satis eos disertos putantem.

vs. 64 sq. Duriusculum hoc quoque quod Simo de filio narrat:

Eorum obsequi studiis, advorsus nemini,
Nunquam praeponens se illis.

Isocrates aliquis inter poëtas quidvis perpeti mallet quam eiusmodi versus incorrectos legendos exhiberet. Sed egregie senem sic loqui decet indoctum rusticanumque. Et haec ipsa causa accedit cur hic quidquam deleri nolim. Ipsum illud illis, quod vocabulo nemini satis dure divellitur ab eorum, quo referendum est, non solum qualis homo loquens inducatur, sed etiam quomodo totus hic actus natus sit perspicuum nobis reddit.

vs. 94 sq.

Nam qui cum ingeniis conflictatur eiusmodi
Neque commovetur animus in ea re tamen.

Graecam hanc structuram diceremus nisi praestaret laxam negligentemque dicere. Hercle si Graeci senis Graeca verba Latine vertisset Terentius, acriore cura in eo labore versatus esset. At nunc senem philosophantem ipse finxit: ut ergo ingenio suo convenienter philosophetur dat operam, sed quae eius sit enuntiatio et syntaxis, id vero minus curat.

vs. 121 sqq.

Quae quom mihi lamentari praeter ceteras
Visast, et quia erat forma praeter ceteras
Honesta ac liberali, accedo ad pedisequas.

Vide quam sit vera ars naturae imitatio et quam bene verus artifex naturam imitetur etiam cum negligens est (an tum vel maxime dicam?). Nam neque repetitum praeter ceteras in fine duorum versuum continuorum, neque illud et quia erat praecedente quom ...visa est poëtae est sollicita cura verba et sententiolas limantis, sed quam egregie utrumque decet indoctum senem, rem quae mentem suam vexet multis verbis balboque fere ore dilecto sibi liberto enarrantem.

vs. 144 sqq.

Venit Chremes postridie ad me clamitans
Indignum facinus comperisse: Pamphilum
Pro uxore habere hanc peregrinam.

Multum sudarunt grammatici ut investigarent quae tandem esset harum sententiarum syntaxis; utrum indignum facinus esset verbi comperisse obiectum, an nil nisi exclamatio. Sed frustra sudarunt, ut opinor. Namque est haec — quod illi non senserunt — poëtica syntaxis, idque veri poëtae, hoc est *ποιοῦντος μᾶλλον ἢ λέγοντος*, quique vitae imaginem fingat magis quam sententiolas struat.

156. Ea primum ab illo animadvortenda iniuriast.

Sententiam verborum hanc esse: „ea primum vindicanda est iniuria ab illo facta'' constat, et sic fere locum nostrum ex-

plicat Scholiasta. Sed quis unquam sic locutus est nisi qui putaret, et suo iure putaret, maius sibi aliquid esse agendum quam anxiam grammaticae praeceptorum observationem.

Et possum multas etiam virtutes virtutumque similia vitia ex uno hoc loco proferre. Sed haec mihi sufficere videntur ad demonstrandum, id quod mihi quidem est persuasissimum, neque Andriae Menandreae prologum neque Perinthiae actum priorem esse potuisse tam egregium quam haec est senis libertique Terentiani confabulatio. Atque hic Terentius in ea re ab auctore suo recedit quae tantummodo ad fabulae initium pertineat. Nunc de altera illa discrepantia Terentium inter Menandrumque agam atque lectori persuadere conabor ita a Terentio exemplar esse immutatum ut ex fabula mediocri egregia praestantissimaque quaedam nasceretur.

„Charini Byrriaeque personae'' Scholiasta ait „in Menandri Andria non erant: addidit eas Terentius.'' Non rogo nunc — id de quo nemo pro certo affirmare quidquam possit — unde eas sumserit. Sed quae fuerit illius additamenti vis exponam comparatione quadam instituenda.

Pater quidam vult filium suum virginem quandam, civem Atticam, uxorem ducere; haec ei stat sententia. At filius illam non vult. Tamen simulat se patri morem gesturum. Hoc enim ei mendacium commendavit servus dum narrat virginis illius patrem iam negasse se filiam suam daturum, quoniam cognoverit generum sibi destinatum habere amicam. Atque in illo commendando mendacio hoc usus est servus argumento: „dum tu ducturum te simulas, uxoremque tibi destinatam dare recusat pater eius, interea certe invisum illud matrimonium differtur, tuque securus amoribus tuis frui potes iucundamque illam cum amica tua vitam producere.'' Sed parum feliciter, immo infelicissime haec sollertia cedit: deprehenditur servi dolus, neque quidquam iam restat quam ut invitissimus

iuvenis illam ducat quam se ducturum tam belle simulaverit, cum forte fortuna in eundem locum Crito Andrius, amicae illius civis, venit, qui dei ex machina instar rem ad felicem perducat exitum. Narrat enim amicam illam non esse peregrinam sed Atheniensem, neque Atheniensem solum sed ipsius illius virginis sororem, quae amatori eius invito est desponsa.

En Andriae Menandreae argumentum brevissimum quidem sed in quo nihil tamen sit omissum quod alicuius esse momenti videri possit. Profecto exilis ea est narratio, quae, ne si in scena quidem quam optime agatur, quidquam habet quod magnopere spectantem audientemque delectet vel detineat. Tum demum lepida fit cum alter quidam intervenit iuvenis, qui ipsam illam virginem, quam spernat prior ille, ardentissimis votis sibi uxorem cupiat. Hunc enim eius, quem sibi rivalem putat, simulatione deceptum inter spem metumque dubium anxiumque haerentem videbis. Profecto excogitari potuit nihil iocosius magisve comicum quam ira dolorque alterius iuvenis servique ex alterius non intellecta simulatione nascentia.

Deinde verissimum est quod observat Scholiasta, non additis Charino Byrriaque tragici aliquid habituram fuisse comoediam. Quid enim? Virgo quaedam, honesto loco nata, ab aliquo cive in matrimonium petitur illius filio, a patre spondetur, deinde negatur, iterum spondetur, iterum negatur, donec tandem aliquando apparet illam facessere iam posse illaque opus non esse, quoniam, si iustas nuptias contrahat adolescens ille, de quo agitur, nihil obstet quominus cum illa contrahat quam vere amet, quandoquidem et illa honesto loco nata spretaeque illius sponsae soror sit. Nunc altera soror cum plausu et gratulatione excipitur, altera innupta manet spreta contempta reiecta idque postquam crudelissime huc illuc rapta tractaque sit. Quem non tristis illius sortis misereat? Contra si illa quoque amatur, idque sincere et ex animo, si amantis illius fit uxor postquam is quoque cui antea fuerat obtrusa, uxorem

nactus est eam quam cupierat, omnia non recte solum procedunt sed iucundissime etiam lepidissimeque.

Quod autem Scholiasta dicit fabulam a qua Charinus Byrriaque absint τραγικώτερόν τι habere, rectius etiam ἀγροικότερόν τι dixisset. Nam ἀγροικίας vitio laborabat Menandri fabula, quod Terentius felicissimo suo invento exemit sustulitque.

Deinde quod de primo nostrae fabulae actu ego observabam, idem de enuntiatione earum scenarum, ubi Charinus Byrriaque loquuntur, dici potest: illa quoque laxior est et legibus soluta. Quae res hic quoque efficit ut rebus factisque Terentium deprehendamus suo solum utentem ingenio.

Postremo quam lepide illae sint a Terentio elaboratae scenae egregie docet Scholiasta his annotationibus:

II, 1, 18. C h a r i n u m v i d e o] „ad hoc prior incipit Pamphilus, ut ad confessionem Charini minus clausa prae pudore sit via."

II, 1, 25. *Pa.* Ehodum dic mihi,

Num quid nam amplius tibi cum illa fuit Charine? *Ch.* [Ah, Pamphile.

„Artificiose personam expressit Terentius nuptias recusantem et simul τὸ πρέπον virgini servavit."

II, 1, 27. Roganti Charino „obsecro ne ducas Philumenam" respondet Pamphilus: „dabo equidem operam." Annotatur: „cum pronuntiatione legendum est. Plus enim dixit d a b o o p e r a m quam si diceret n o n d u c a m."

II, 1, 29. A u d i n u n c i a m. Pamphili haec verba sunt, ad quae annotatur: „correptio impatientis, qui non sustineat audire." [1])

II, 1, 32.

Pa. Nuptias effugere ego istas malo quam tu adipiscier.

Sch. „interposita distinctione voltuose hoc dicit."

---

[1]) Verba de e x s i l i o, quae adduntur, e praecedenti scholio ineptissime repetita videntur.

II, 2, 17. Charinum simul cum domino suo metu solvens Davus huic narrare sic incipit:

Tuus pater me modo prehendit: ait tibi uxorem dare
Sese hodie, item alia multa, quae nunc non est nar-
[randi locus.

Ad alterum versum adscriptum videmus: „bene distulit narrationem, ne, si audirent Charinus et Byrria, desinant dolos struere adversum vigilantissimum senem." Rectissime: hoc enim spectat poëta ut Charini et Byrriae personae non solum adiiciantur fabulae, sed etiam admisceantur, i. e. ut revera et ipsae suas sibi partes agant. Hoc docet et scholion ad

II, 2, 35.

Quasi necesse sit si huic non dat te illam uxorem ducere
Nisi vides, nisi senis amicos oras, ambis.

His verbis Charinum iusto citius gaudentem vituperat Davus (huic non dat i. e. Pamphilo non dat filiam Chremes).

Annotatur: „hic laborat Davus quemadmodum Philumenam Charinus propriis laboribus promereatur uxorem."

IV, 1, 18. „Mire et artificiose fecit Pamphilum priorem alloqui ad perfringendam iracundiam Charini: alioqui, si prior vociferari potuisset, tragica exclamatione usus esset." Vide huius libri p. 89.

Sed fortasse ineptus ego, qui hic illic apud Terentium locos colligam ad demonstrandum non anxie pressisse eum auctorum suorum vestigia, non in verba magistrorum Graecorum iurasse, cum totus poëta multo melius idem docere possit. Ut magnum aliquid paucis dicam verbis: vix ullus est Terentii versus quin aptum mihi idoneumque praebeat argumentum. Innumeri enim sunt apud eum lepores, innumera orationis ornamenta, innumera quibus hominum mores affectusque depingantur artificia; atque nihil hic inest scurrile, sed omnia sunt quam urbanissima. Quod enim est verae urbanitatis documentum, hoc omnes

Terentianae orationis facetiae habent: tenues sunt, subtiles atque eiusmodi ut non sponte a quovis observentur. Raptim obiterque qui Terentium legit, quantus ille fuerit artifex non videbit; sentiet hoc qui diu singulos eius versus apud animum suum perpenderit, et in dies sentiet magis, dummodo — namque hoc accedere debet — poëtae venustates monstrari sibi patiatur a praestantissimo illo viro, de quo totus hic fuit liber. Tam bonus enim ille Terentii fuit lector ut non facile ei par exsistat aliquis. Quodsi quis putet nimis me illi morem gerere et quae nusquam sint terrarum videre velle quoniam iusserit ille: hunc ipsum equidem accipio iudicem. Aliquot de reconditis Terentii facetiis Scholiastae observationes eligat ipse et tamdiu mente contempletur donec veram earum perspiciat sententiam; tum Terentii versus, ad quos illae pertinent, clara voce ita recitet ut recitari eos Scholiasta voluit: recte eum vidisse apparebit. Magis vero perspicuum fiet hoc, si quis bonus praeceptor, qui puerorum mentes capere et detinere possit, in hunc modum discipulis suis poëtam nostrum interpretabitur: mox enim in deliciis eum illi habebunt. Et credat quisquam semper venustatem aliquam vere Terentianam lepido alicui Menandri vel Apollodori verbo respondere? Ita de Graeco Latine vertere posse humanum modum excedit multoque est difficilius quam novas comoedias Latinas facere summa laude dignas. Legite mihi colloquium illud Thaidis cum Phaedria et Parmenone in Eunuchi initio vel Sostratae cum Pamphilo filio in Hecyra: permulta ibi cognoscetis orationis lumina, quae egregius aliquis poëta ipse invenire possit, imitando exprimere omnia ne ipse quidem possit Apollo. Cumque oratio demum mores hominum reddat conspicuos, hoc iam confidenter affirmare possumus — et gratia Donato qui ut possimus effecerit: — non solum locis sat multis fabularum oeconomiam, quae apud Graecos fuit auctores, Terentius mutavit, sed etiam, quod in fabulis, quarum tam simplex narratio, multo maioris

est momenti, mores hominum depinxit ipse; ipse enim proprios invenit adhibuitque colores.

Iamque „exegi monumentum" ad quod delendum neque Iovis ira opus erit neque edaci vetustate sed ipsa lectorum sufficiet benevolentia. Exponere enim conatus sum quantum verae in scholiis ad Terentium lateret doctrinae; per illam deinde silvam primum ut apparerent viae quaedam semitaeque, tum ut vepres inde sentesque removerentur sum enisus, postremo sic eo perveniri posse ut ipsum Terentium melius cognosceremus demonstravi. Si qui ergo — et sint hi quam plurimi — hoc perlecto libro Terentium pluris quam antea facere coeperint, si in eo legendo semper assidue Scholiasta usi erunt monitore, tum si viri ingenii acumine pollentes a me incitari se passi erunt ut scholiis emendandis dent operam; postremo si tandem aliquando hoc illi erunt assecuti ut optima commentarii pars omnibus purgata sordibus in lucem prodeat, meis iam de Terentio et Donato lucubrationibus facile carere poterunt homines.

Lugd. Bat. Kal. Sept. A. MDCCCLXXXXV.